This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07439294 9





AUGUST BOECKH'S

GESAMMELTE

KLEINE SCHRIFTEN.

ERSTER BAND:

ORATIONES.

LEIPZIG,

DRUCK UND VERLAG VON B. G. TEUBNER.

1858.

AVGVSTI BOECKHII

ORATIONES

IN VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

HABITAE.

ASTOR LIBRARY NEW-YORK.

EDIDIT

FERDINANDVS ASCHERSON.

LIPSIAE,

SVMPTIBVS ET TYPIS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLVIII.

PRAEFATIO EDITORIS.

Augusti Boeckhii quae hoc volumine continentur orationes prope omnes eisdem sollemnibus celebrandis sunt habitae, Regis Borussorum augustissimi nataliciis laetissimis. Viginti quinque enim orationes Friderici Guilelmi Tertii, sex Friderici Guilelmi Quarti diebus natalibus supt dictae; accedunt duae orationes singulares: ea, quae in universitatis Berolinensis dedicatione est habita, et Friderici Guilelmi Tertii laudatio funebris. Orationes has nunc coniunctas iterum edi noluisset auctor, nisi multi, qui olim unam et alteram audiverant, id postulassent. Non autem edi curasset sua sponte, quod in eis insunt, quae ipsi videantur esse excusanda. Primum enim quod, quae quoque anno dixit auctor, ea ad huius anni res et condiciones sunt accommodata, tum, quum haberentur orationes, facile, quo quidque spectaret, est intellectum: nunc multis annis interiectis possunt generatim dicta videri, quae ad praesentem tum rerum statum referebantur. Deinde auctor vidit, vel ipso invito aliquarum rerum memoriam in his orationibus esse iteratam, quod temporis vel argumenti similitudo ad similia dicenda incitaverat. Excusavit huiusmodi repetitionem auctor hinc inde, ut p. 217 et 296, et censet se de eisdem rebus non plane eadem dixisse. Tertio loco auctor temporibus et rebus commotioribus non sine ira et studio se dixisse confitetur; quod temporum excusat ratio. Quae res ad secundam potissimum spectat orationem, in qua quae insunt invidiosius dicta, ea, etsi tum audientibus accepta fuerunt, nunc omisisset vel retractasset auctor, nisi haec immutatio visa esset et delere temporis illius memoriam imaginemque ea oratione expressam, et quasi quaedam esse reprehensio eorum sensuum et contentionum, quibus tum Borussia universa agitabatur. Ipse orator ultro fatetur p. 241,

'se in his orationibus haud raro indulsisse animo irritatiori et obsecutum esse odiis, quae temporum iubebat ratio'; et ibidem data opera monuit, deponendas esse inimicitias, quum primum fuerit reconciliationis copia facta. Quapropter sperat auctor, ex eis, quae tum acerbius sunt dicta, neminem aestimaturum, quomodo in hac, qua nunc fruimur, principum et populorum cultissimorum reconciliatione felicissima animatus ipse sit.

Genus dicendi non id efficere studuit auctor, quod Ciceroniano esset simile, sed alia quoque exempla sibi proposuit. Argenteae igitur aetatis usum sequi non dubitavit, neque omnes eas grammaticorum regulas observavit, quae Cicerone potissimum nituntur. Immo interdum consulto ab eis recessit et rariorem aliquam dicendi formulam vel vocem captavit. Nonnullis tamen locis vocabulorum delectus et structura et pauca quaedam alia secundis curis sunt mutata, quod generatim indicatum esse sufficiet. Ceterum facile cognoscetur non omnium orationum dicendi genus esse idem, sed per longam annorum seriem, quibus auctor ex muneris officio orationes has Latinas habuit, paullatim aliquatenus esse mutatum.

Brevi conspectu comprehensa addidi orationum argumenta potissima, instituto, ut opinor, haud inutili.

Scripsi Berolini Nonis Ianuariis a. MDCCCLVIII.

ORATIONVM ARGVMENTA.

		Pag.
I.	De Sparta et Athenis, rebus publicis inter Graecas clarissimis	1
II.	De Borussiae felicitate Friderici Guilelmi Tertii virtutibus stabilita	16
III.	De Alberto, Marchione Brandenburgensi, primo Duce Borussiae, universitatis Regiomontanae conditore	27
IV.	De fine et ingenio doctrinae disciplinaeque academicae, praecipue universitatis Berolinensis, a Friderico Guilelmo Tertio certo consilio conditae	37
V.	Bonae artes quid ad ecclesiam Christianam purgandam profuerint et quid ecclesia emendata artibus praestiterit, exponitur	46
VI.	Quid sit potissimum, quod litterarum studia rei publicae utilitatis afferant et quamobrem maxime a sapientibus civitatium moderatoribus impensiore cura ali et foveri videantur, quaeritur .	56
VII.	De homine ad humanitatem perfectam conformando	68
VIII.	Quae sit universitatum litterariarum vis, et qui docendi in illis finis; quo consilio sint conditae et quae ratio intercedat inter eas et reliquas scholas	78
IX.	De Pericle artium et litterarum statore felicissimo	89
X.	De antiquitatis studio	103
XI.	De eruditorum virtute	110
XII.	De vegeta et valida scientia	119
XIII.	De universitate Berolinensi a Friderico Guilelmo Tertio in regni urbe primaria novo consilio condita, aucta, ornata	129
XIV.	De philosophiae et historiae cum ceteris disciplinis coniunctione	138

		Pag.
XV.	De regia virtute	147
XVI.	De ratione, quae intercedat inter doctrinam et rem publicam	156
XVII.	De ratione, quae sit inter bellicum et militarem statum atque inter artium disciplinas	165
XVIII.	De litterarum et artium cognatione	174
XIX.	De mutua, quae intercedat inter principem et populum, caritate	185
XX.	De moribus litterisque et artibus publica institutione propagandis	194
XXI.	Res humanas oppositorum contentione et reconciliatione augeri et ali	204
XXII.	Quibus consiliis Fridericus Guilelmus Tertius universitatem Berolinensem condiderit, servaverit, auxerit, demonstratur	216
XXIII.	De providentia res humanas administrante . .	224
XXIV.	De principis temperantia	234
XXV.	De principis benevolentia	244
XXVI.	Quaeritur quid sit, quod quoque tempore et in quoque rei publicae statu princeps conferre ad litterarum florem possit, quid ne summa quidem diligentia adhibita possit	255
XXVII.	Friderici Guilelmi Tertii laudatio funebris . .	266
XXVIII.	Friderici Guilelmi Quarti ingenium cum virtute regia comparatur	279
XXIX.	De patriae et principis amore	290
XXX.	Quaeritur, quatenus principes de litteris bene mereri possint et praecipue, quid principis de singulis litterarum partibus iudicia conferre ad doctrinarum florem vel queant vel nequeant. Haec quaestio Friderici Magni de litteratura Germanica commentarioli exemplo illustratur .	301
XXXI.	Exponitur qualis sit principalis benignitas et quam vim habeat	312
XXXII.	De litterarum, philosophiae imprimis et antiquitatis studiorum, condicione praesenti	324
XXXIII.	De rei publicae motu	335

Verzeichnis der Subscribenten

auf

AUGUSTI BOECKHII

ORATIONES ACADEMICAE LATINAE.

	Exemplare
Altenburg:	
Die Herzogliche Bibliothek	1
Herr Schulrath Director Dr. Foss	1
Altona:	
Herr Etatsrath Dr. Trede	1
Amsterdam:	
Durch Herrn Joh. Müller.	2
Anclam:	
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
Bamberg:	
Die Kgl. Gymnasialbibliothek	1
Basel:	
Herr Dr. ph. J. Maehly	1
Herr Dr. J. J. Merian	1
Bayreuth:	
Herr Blumroeder, Kgl. Regierungsassessor	1
Herr Dr. Held, Rector und Professor des Gymnasiums	1
Bensheim:	
Herr Dr. Franz Herberg	1
Berlin:	
Herr Geh. Legationsrath Abeken	1
Herr Cand. phil. H. Deckert	1
Das Friedrichs-Werder'sche Gymnasium	1
Herr Professor Rud. Gneist	1
Herr Oberlehrer Dr. J. E. Heinrichs	1
Herr Eduard S. Joynes aus Virginien in Nordamerika	1
Herr Dr. L'hardy, Gymnasialdirector und Professor	1
Herr Dr. L. Mahn	1
Herr Dr. Parthey, Buchhändler	1
Herr Professor Dr. C. Ploetz	1
Herr Dr. phil. Reinh. Schultze	1
Bern:	
Die Stadtbibliothek	1
Bernburg:	
Die Gymnasialbibliothek	1
Herr Franz Kielhorn	1

	Exemplare
Blankenburg a. H:	
Herr Oberlehrer Dr. Lange	1
Bologna:	
Herr Hugo Glück, Buchhändler	1
Bonn:	
Herr Stud. med. Josef Herz	1
Die Kgl. Gymnasialbibliothek	1
Herr Professor Dr. Otto Jahn	1
Brandenburg:	
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
Herr Collaborator Doehler	1
Herr Prof. Dr. Ernst Koepke, Director der Ritterakademie	1
Herr Conrector A. Rhode	1
Herr Oberlehrer Dr. R. Schultze	1
Herr J. Wiesike, Buchhändler	1
Braunsberg:	
Herr Professor Dr. Franz Beckmann	1
Die Gymnasialbibliothek	1
Breslau:	
Herr G. P. Aderholz, Buchhändler	1
Herr Oberconsistorialrath Middeldorpf	1
Herr Stud. phil. Emil Schönborn	1
Herr Professor Dr. Vahlen	1
Brieg:	
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
Bromberg:	
Die Kgl. Gymnasialbibliothek	1
Carlsruhe:	
Das Grossherzogliche Lyceum	1
Herr Hofrath Professor Platz	1
Charlottenburg:	
Herr Dr. Fr. Hülsen, Lehrer am Pädagogium	1
Coblenz:	
Herr Gymnasiallehrer Dr. Ehlinger	1
Cöln:	
Herr Dr. Saal, Gymnasialoberlehrer	1
Die Bibliothek des Kathol. Gymnasiums	1
Herr Dr. H. Düntzer, Professor und Bibliothekar	1
Cracau:	
Herr Professor Dr. Jülg	1
Herr Dr. F. K. Skobel, Professor der Medicin an der Universität	1
Danzig:	
Herr Professor Herbst	1
Darmstadt:	
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
Dessau:	
Die Herzogliche öffentliche Bibliothek	1

	Exemplare
Deutsch-Crone:	
Die Bibliothek des Gymnasiums durch Herrn Director Peters	1
Donaueschingen:	
Herr Duffner, Director des Gymnasiums	1
Die Gymnasiumsbibliothek	1
Dorpat:	
Herr Oberlehrer Graff	1
Dorsten:	
Herr Gymnasial-Oberlehrer Dr. Lütkenhaus	1
Dresden:	
Durch Herrn Just. Naumann's Buchhandlung	1
Herr Schulrath Dr. Bezzenberger	1
Herr Dr. Klee, Rector der Kreuzschule	1
Herr Professor Carl Scheibe	1
Edinburgh:	
Mr. Schmitz, Rector of the high School	1
Elberfeld:	
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
Herr Oberlehrer Dr. Wilhelm Herbst	1
Erfurt:	
Die Schulbibliothek des Kgl. Gymnasiums	1
Erlangen:	
Die Kgl. Universitätsbibliothek	1
Herr Professor Dr. von Nägelsbach	1
Frankfurt a. M.:	
Herr Professor Dr. A. Fleckeisen	1
Herr Dr. E. Scholderer	1
Friedland:	
Herr Prorector Dühr	1
Gent:	
Herr Professor J. Roulez	1
Gera:	
Herr Professor Dr. Mayer	1
Glatz:	
Das Kgl. kathol. Gymnasium	1
Glogau:	
Herr Gymnasialdirector Dr. Klix	1
Herr Gymnasiallehrer F. W. von Raczek	1
Göttingen:	
Herr Professor Dr. E. Curtius	1
Herr Professor von Leutsch	1
Die Kgl. Universitätsbibliothek	1
Gratz:	
Herr Jacob La Roche, k. k. Professor	1
Herr Professor Max Karasan	1
Greiffenberg in Pommern:	
Herr Gymnasialdirector Dr. Campe	1

	Exemplare
Greifswald:	
Herr Professor Dr. Hertz	1
Herr Professor Dr. Susemihl	1
Grimma:	
Herr Professor Dr. Rudolf Dietsch	1
Herr Professor Dr. Arnold Schaefer	1
Groeningen:	
Herr Dr. H. Riedel, Gymnas.-Docent	1
Hadamar (Nassau):	
Herr Professor H. L. Schmitt	1
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
Halberstadt:	
Herr Gymnasialdirector Dr. Schmid	1
Die Bibliothek des Domgymnasiums	1
Herr Eduard Fritze, Cand. phil.	1
Halle:	
Herr G. Weicker, Stud. theol. et phil.	1
Die Kgl. Universitätsbibliothek	1
Herr Director Eckstein	1
Hamburg:	
Herr Professor Dr. Herbst	1
Herr Cornelius Müller, Dr. theol., Professor	1
Die Stadtbibliothek durch Herrn Professor Petersen	1
Herr Professor Dr. F. W. Ullrich	1
Hamm:	
Herr Gymnasialdirector Dr. Wendt	1
Die Kgl. Gymnasialbibliothek	1
Hanau:	
Herr Director Dr. Piderit für die Bibliothek des Gymnasiums	1
Heidelberg:	
Herr Geh. Hofrath Dr. Baehr	1
Herr Professor Dr. Kortüm	1
Heiligenstadt:	
Die Gymnasialbibliothek	1
Hersfeld:	
Die Gymnasialbibliothek	1
Herr Gymnasialdirector Dr. Wilh. Münscher	1
Holzminden:	
Herr Oberlehrer Dr. phil. Paetz	1
Jena:	
Herr Professor Dr. M. Schmidt	1
Kasan:	
Herr Professor Dr. Theodor Struve	2
Kaschau:	
Herr Dr. M. Walz, Gymnasiallehrer	1
Kiel:	
Herr Professor Dr. Müllenhoff	1
Die Universitätsbibliothek	1
Herr Professor Dr. Georg Curtius	1

	Exemplare
Königsberg i. Pr.:	
Die Bibliothek des Kgl. Friedrichs-Collegii	1
Herr Professor Dr. E. Hagen	1
Herr Provinzialschulrath Dr. Schrader	1
Königsberg i. d. Neumark:	
Die Gymnasialbibliothek	1
Krotoschin:	
Herr Gymnasialoberlehrer Dr. Kübler	1
Lahr (Baden):	
Herr Dr. Deimling	1
Lauban:	
Herr Gymnasialdirector Schwarz	1
Leer:	
Herr Dr. Jul. Schultze	1
Leiden:	
Herr G. Smit Sibinga	1
Leipzig:	
Herr Stud. Wilibald Höhne	1
Herr Professor Dr. Reinh. Klotz	1
Herr Ernst Koch, Handlungscommis	1
Liegnitz:	
Die Gymnasialbibliothek	1
Herr Scheibel, Professor an der Ritterakademie	1
Die Bibliothek der Kgl. Ritterakademie	1
Lingen:	
Die Schulbibliothek	1
Madrid:	
Mr. le marquis de Morante	1
Magdeburg:	
Die Bibliothek des Kgl. Dom-Gymnasiums	1
Die Bibliothek des Klosters Unser lieben Frauen	1
Die Bibliothek des Pädagogiums zum Kloster Unser lieben Frauen	1
Die Lesebibliothek des Dom-Gymnasiums	1
Die Redaction des Magdeburger Correspondenten	1
Herr Oberlehrer Dr. F. Deuschle	1
Mannheim:	
Die Grossherzogl. Lyceumsbibliothek	1
Marienwerder:	
Die Lehrerbibliothek des Gymnasiums durch Hrn. Director Lehmann	1
Maryland (United States of N. A.):	
Mr. Hall Harrison, Tutor in College of S. James	1
Memmingen in Bayern:	
Herr Eugen Rehm, Studienlehrer	1
Mitau:	
Herr Oberlehrer Vogel	1

	Exemplare
Mühlhausen (in Thüringen):	
Herr Professor Dr. Ameis	1
Die Bibliothek des Gymnasiums	1
München:	
Die Königl. Hof- und Staatsbibliothek	1
Das philologische Seminar	1
Herr Professor Dr. Halm, Director der Hof- und Staatsbibliothek	1
Münster:	
Herr Gymnasialdirector Dr. Ferd. Schultz	1
Herr Professor Dr. Winiewsky	1
Nagy Enyed (Siebenbürgen):	
Das Reformirte Collegium	1
Naumburg:	
Herr Dr. Förtsch, Gymnasialdirector	1
Neisse:	
Die Gymnasialbibliothek durch Hrn. Director Dr. Zastra	1
Neuss:	
Durch Hrn. Buchhhändler L. Schwann	1
New-York:	
Herr Professor Henry Drisler	1
Herr Prof. B. L. Gildersleeve, University of Virginia	1
Nordhausen:	
Herr Director Dr. Schirlitz für die Gymnasialbibliothek	1
Odense:	
Die Cathedralschule	1
Obergimpern (Grossh. Baden):	
Herr Pfarrer Sturm	1
Olmütz:	
Herr Alois Vaníček, k. k. Gymnasialprofessor	1
Oppeln:	
Die Gymnasial-Lehrerbibliothek	1
Ostrowo:	
Das Kgl. Gymnasium	1
Oxford:	
Herren J. H. u. J. Parker	3
Paderborn:	
Herr Professor Dr. Lessmann	1
Paris:	
Herr Fr. Klincksieck, Buchhändler	1
Herr A. Franck, Buchhändler	2
Bibliothèque de l'Université à la Sorbonne	1
St. Petersburg:	
Die Kaiserl. Academie der Wissenschaften	1
Pilsen:	
Herr Director Graumann	1

	Exemplare
Potsdam:	
Die **Bibliothek des Gymnasiums**	1
Prag:	
Herr **Dr. Ludwig Lange, k. k. Professor**	1
Pressburg:	
Herr **Dr. Mayr**	1
Herr **Paul Lichner, Professor am evang. Lyceum**	1
Quedlinburg:	
Herr **Gymnasiallehrer G. Forcke**	1
Rastatt:	
Die **Lyceumsbibliothek**	1
Rastenburg:	
Die **Bibliothek des Gymnasiums**	1
Ratibor:	
Das **Königl. Gymnasium**	1
Herr **Gymnasiallehrer Dr. Storch**	1
Ratzeburg:	
Herr **Professor Dr. Zander**	1
Recklinghausen:	
Die **Gymnasialbibliothek**	1
Rom:	
Se. **Excellenz Freih. von Thiele, Kgl. Preuss. Gesandter**	1
Rostock:	
Herr **Vice-Canzler Dr. von Both**	1
Die **Universitätsbibliothek**	1
Rudolstadt:	
Die **Bibliothek des Gymnasiums**	1
Saarbrücken:	
Herr **Gymnasialdirector Dr. Peter**	1
Herr **Oberlehrer Schmitz**	1
Sagan:	
Die **Lehrerbibliothek des Gymnasiums**	1
Herr **Professor Dr. Kayser**	1
Schulpforta:	
Die **Schulbibliothek, durch Hrn. Rector Peter**	1
Schwerin:	
Herr **Gymnasialdirector Dr. Wex**	1
Sigmaringen:	
Durch **Hrn. H. W. Beck, Buchh.**	1
Stade:	
Herr **Conrector Dr. Kiene**	1
Stettin:	
Herr **Dr. R. Volkmann**	1
Die **Bibliothek des Gymnasiums**	1
Herr **Gymnasialdirector Heydemann**	1
Stuttgart:	
Die **Königl. öffentliche Bibliothek**	1

Tilsit: Exemplare

Die Lehrerbibliothek des Königl. Gymnasiums 1

Torgau:

Herr Gymnasialdirector Dr. Graser für die Gymnasial-bibliothek 1

Treptow a. R.:

Herr Dr. R. Geier 1

Trier:

Herr Domcapitular Dr. Eberhardt, Regens des bischöfl. Priester-Seminars 1

Die Redaction der Trier'schen Zeitung 1

Troppau:

Herr A. Peter, k. k. Gymnasiallehrer 1

Warendorf:

Herr Gymnasialdirector Dr. Lucas 1

Weilburg (Herzogth. Nassau):

Herr Collaborator Otto 1

Die Bibliothek des Gymnasiums 1

Wernigerode:

Herr Rector Dr. Müller 1

Die Bibliothek des Lyceums 1

Wertheim:

Herr Hofrath Hertlein 1

Wien:

Das k. k. Münz- u. Antiken-Cabinet 1

Herr Sigismund Schulthess, Prälat des Benediktiner-Stiftes zu den Schotten 1

Herr Professor Dr. Bonitz 1

Herr Professor Dr. Linker 1

Die k. k. Universitätsbibliothek 1

Wismar:

Die Schulbibliothek 1

Wittenberg:

Die Gymnasialbibliothek 1

Würzburg:

Die Königl. Universitätsbibliothek 1

Zeitz:

Herr Director Professor Dr. Theiss 1

Die Stiftsbibliothek 1

Zerbst:

Herr Schulrath Dr. Sintenis 1

Zwickau:

Die Rathsbibliothek 1

I.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. Aug. a. MDCCCXII. habita.

Quum ad orationem audiendam, qua constituimus Regis optimi natalicia non ex more, sed ex animo hodie celebrare, Senatus civitatis huius litterariae vos partim invitaret, partim convocaret, viri illustrissimi, nobilissimi, doctissimi, commilitonesque dilectissimi: quid exspectandum esset in hoc laetitiae publicae documento, ignorasse vestrum neminem arbitramur. Neque enim ore verbisque laudari postulat Fridericus Guilelmus, regum modestissimus et maxime civilis; potius quum non tantum leges civitati det, sed, qualis esse debere Graecis sapientibus rex videtur, ipse pro viva sit lege: civium pectoribus, tanquam tabulis, inscriptam virtutis suae memoriam esse vult, quo ad exemplum ipsius moderationem, iustitiam, pietatem, constantiam, denique omnes, quae ad salutem publicam pertinent, artes bonas comprobent, collaudent, colant, exerceant. Aberit igitur panegyrica laudatio omnis, eo magis quod hoc genus universum, partim a laudatoribus, partim ab ipsis, qui laudabantur, levem aliquam traxit notam. Etenim ex quo res publica Atheniensium optimo consilio instituit, ut publice laudarentur cives, qui cum hostibus depugnantes fortiter, gloriosam pro patria mortem occubuissent: quamvis argumentum esset praeclarum magnificumque, tamen ne in hoc quidem pertractando adulationis speciem effugere oratores summi potuerunt, quod in laudes superstitum evagari, quam in defunctorum consistere virtutibus extollendis maluerunt. Quamquam minor culpa erat in hac vivorum hominum praedicatione, quod non unus et alter, sed universa laudaretur civitas: verum translato a multis ad unum imperio, ad vilem illiberalemque assentationem rediit laudatio a nobilissimo profecta initio. Nam ut omittam Grae-

cos, qui exstincta libertate, exstincto incredibili illo ardore animi, quo ad praestantissimum quodque facinus ferebantur, exstincta denique virtute pristina ipsis Graeci nominis admiratoribus inepti videbantur: quis Panegyricum Plinii ab omni probet parte, quamquam dictum ei principi, quo terra meliorem non tulit? quis vero paullo liberalior Eumenio delectetur, Nazario, Latino Pacato, Mamertino utroque aliisque huius sectae? Quorum quidem dedecus adulatorium temporum infelicitate excuses: nos autem quis est quin beatos praedicet, quod huic Regi paremus, quem et laudare sine adulatione licet et non laudare sine offensione? Quodsi vos putassem exspectaturos, auditores, ut meo praeconio digne dilaudaretur Rex, cuius beneficia in patriam cumulata uno omnium ore efferuntur; profecto meae tenuitatis conscientia huc ego ascendere nunquam sustinuissem: quod vero scio levius quiddam a me deposci, ingenii mei exilitatem vestra indulgentia consolor quodammodo. Attamen, ut largiar remissum esse id, quod longe difficillimum et est et habetur; quantum sit dicere hoc die, hoc coetu, ex hoc loco de argumento quolibet, nemo non intelligit, qui rei dignitatem metiri iusto modulo velit: ego vero, in discrimen vocatus ipse, ita persentio, ut tantum non mentem percellat. Nam, quod Licinium Crassum Tullius loquentem fecit, magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse omnibus silentibus unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. At qualis quantusque hic est conventus? quae et quanta provincia mihi demandata? Tanta mihi videtur, auditores, ut singula reputanti concidat iamiam spes, ei ut respondere satis possim. Nam primum mihi dicendum est non in oppido mediocri, sed in urbe primaria, urbanitatis ac scientiae longo ex tempore plenissima, et quodammodo in ipsa regia aula doctrinae laudibus haud mediocriter celebrata. Deinde hic sedentes conspicio nobilissimos atque illustrissimos civitatis viros, atque inter eos quum universae per terram Borussicam rerum sacrarum et studiorum disciplinae, tum nostrae rei publicae litterariae curatores praesidesque gravissimos, qui inurbanum imprudensque dictum seponere lepido ac sapienti sciunt callidissime: quibus orationem meam probari, ut cupere vehementer debeo, ita vix ac ne vix quidem sperare audeo. Praeterea huc congregatos video et Patres universitatis huius et alios eruditionis atque ingenii fama praestantes viros: qui quo

singuli sunt doctiores mentisque acie et sensu elegantiae instructiores, eo acutius vitia in dicente animadvertant necesse est. Postremo vos, commilitones, magno numero adestis, quibus ut aliquid utile ad doctrinam enarrem, ratio nostrarum rerum postulare videtur, oratorii vero generis popularitas aegre patitur. Denique non meam ego personam sustineo sane quam levem: Senatus partes ago longe gravissimas, qui me sensuum suorum publice interpretem constituit; quod fecit pro benigna, quam de me concepit, opinione, non pro mea modestia. Haec quum considero, quomodo me animatum putatis? Quid ego proferam dici ipsius celebritate, huius loci amplitudine, horum hominum ornatissimorum consessu frequentissimo, denique collegii celeberrimi, quod me oratorem legit, auctoritate aliqua ex parte dignum? Audite, quid commentus sim. Qui quum desperarem fieri posse, ullum ut argumentum mea diligentia ita exornatum redderem, ut non solum res, verum etiam ingenium dicentis vobis probaretur, nec minus a dignitate vestra, ab his temporibus rei publicae, maxime vero a Regis nostri, cui hic dies consecratus est, gravitate singulari aliena viderentur orationis lenocinia et verba quasi calamistris inusta: materiam delegi et nostris rebus et studiis meis coniunctam, quae sua sese gravitate commendaret potius, quam ullam sive artem sive facundiam meam requireret. Exhibebo autem vobis duarum, quae inter Graecas clarissimae erant, civitatium imagines primis lineis descriptas: quarum altera prudentibus institutis et legibus temperata fuit, sed a litteris atque eruditione elegantiori longissimo intervallo seposita; altera optimis quibusque artibus non modo floruit ipsa, sed orbem terrarum universum imbuit, collustravit, mansuetum domitumque fecit: quibus inter se compositis ac comparatis, utra efficacior fuerit ad formandam humanitatem, qui in calculis subducendis haesitet, nemo invenietur. Quas ubi commemoro, quis est quin intelligat, Spartam me Athenasque dicere, Apollineis illam legibus Lycurgi stabilitam divinitus, has Solonis ordinatas institutis liberalibus: nobilitatam utramque rem publicam tum suopte splendore ac magnitudine, tum claris veterum scriptorum ingeniis, qui gestas ab iis egregie res obscuras esse non paterentur? Hanc Spartam, quod aiunt, adornanti, ut de civitatibus his quaedam summatim disseram, tribuite hoc mihi, auditores, ut orationis meae cursus aura facilitatis vestrae adiuvetur. Equidem, ubi Spartam considero, nullam

unquam rem publicam aut firmius constitutam, aut civium virtute tam domestica quam militari domi forisque magis insignem video. Quod partim naturae debebant beneficio, quae iis eos artibus instruxisset, ut ad puros et severos mores nati factique viderentur, partim sapientiae legislatoris, qua prospectum esset, ne quando a prisci vitae generis simplicitate desciscerent. Qui quum intelligeret, nihil aeque ad felicitatem mortalium conferre, quam si iis uterentur legibus, quae indoli cuiusque congruerent maxime; Doriensibus, nationi agresti et durae, montibus colendis, venationi belloque gerendo assuetae, ita quasi ad normam descripsit genus vitae, ut eorum studia antiqua ad bonam frugem dirigeret, ingenium eorum constans et firmum confirmaret, parsimoniam priscae aetatis conservaret, et ferociam insitam institutis tam sacris quam profanis temperaret, atque ab intestinis discordiis, quibus ante vexabantur, in hostes potissimum converteret. Idem vero perspiciebat prudentissime, non posse homines contineri, quin novas subinde molirentur res, nisi numinis divini maiestate, quam vererentur laedere aut minuere, sanciretur lex, ut semper maneret: idcircoque ad Pythium Apollinem rettulit illas rhetras, quibus praecepta disciplinae publicae continebantur; et quum in aliis civitatibus leges darentur in tempus, ut tolli possent, quum primum placuisset populo, Spartae ea condicione tulit, ut nunquam non valerent, nunquam rescindi possent. Ita factum, ut diutissime duraret vetus rei publicae forma, nec usquam religiosius, quam Spartae, lege obligarentur animi civium. Civitatem autem optimo iure non omnes habuerunt, sed nobiles sive Spartani, stirpis potissimum Doricae, qui in urbe Sparta domicilium fixerant, et prudentia ac fortitudine praestabant: ceteri Lacones in oppidis agrisque degebant, specie liberi, re ipsa subiecti. His agrum Laconicum ita divisum esse certo quodam tempore tradunt, ut sortium novem milia Spartanis, Laconibus triginta milia, singulae singulis tributae essent: neve alter altero ditior unquam evaderet, sancitum est, ut agrum neque emi nec vendi, nec donari nec legari, nec dividi liceret: hereditate ad filium natu maximum integer transibat; filiabus dotem dari interdictum; unde binae pluresve sortes ad unum pervenire antiquitus non potuerunt. Regum potentia limitibus artissimis circumscripta: Ephororum, populi tutorum, exigua initio auctoritas, temporum aucta labe: Senatus duodetriginta virorum, cuius ante Ephororum dominationem summa fuerat potestas, ex

nobilibus lectus sexaginta minimum annos natis et probitate singulari praestantibus; nec dignitas exstinguebatur nisi cum vita. Atque haec bonorum aequa divisio et imperium optimorum quam vim habuerint, nemo ignorat. Quum enim constet in civitatibus veterum plurimas turbas et rei publicae vicissitudines natas esse ex nimia opum inaequalitate, quam Phaleas Chalcedonius, Philolaus Thebanus, et Plato in proxima optimae civitate, quam opere de legibus condidit, tollere sedulo studuerunt; ac quum aeque constet, popularem dominationem gliscente plebeculae licentia facile declinare ad superbissimam aut vulgi aut unius tyrannidem: eo valuerunt Dorica Spartanorum instituta, ut novis rebus rarissimis perturbata res publica, neque ullius ante Machanidam et Nabin tyranni violentiam experta sit. Quod vero senibus Spartani parebant, iisque magistratum perpetuum gerentibus, Aristotelis reprehensioni ansam praebuit ferendum hoc dicentis, ubi probi sint et bene instituti: eosdem tamen negat tales ab ipso legislatore habitos; atque ut corporis, ita animi quandam esse senectutem monet. Quod utut est, certe contenderim non melius prospici rei publicae firmitati potuisse, quam hoc senectae habito honore. Quis enim antiquae rerum condicionis tenacior quam senectus composita et moderata? quis novarum rerum studiosior quam iuvenum acria calidaque ingenia in rem publicam recens involantium? Et quanta senum sapientia? quanta rerum notitia? quae consilia? quanta gravitas? quanta constantia? Igitur Spartani quum audaciam putarent florentis aetatis esse, prudentiam senescentis, iuvenes viribus corporis, pugna et gladio excellere voluerunt, senibus, quae ratione, sententia, animo administrantur, agenda arbitrati sunt: ideoque summum rei publicae collegium, quod Athenienses Consilium appellabant, Spartae Senatus et erat et dicebatur. Et quemadmodum in familia summus honos patri familias habetur, ita Spartae, quam unam et indivisam familiam legislator efficere studuit, maxima erat senum reverentia. Rem autem familiarem et connubia quomodo instruxerint, pueros atque adolescentes quibus artibus ad temperantiam, ad prudentiam, ad fortitudinem, ad pietatem, ad legum obedientiam instituerint, enarrare nolo peritis. Quid vero dicam, ut a mercatura, a negotiis maritimis, ab agricultura ceterisque operis illiberalibus retinuerit eos legislator? Et negotiari quidem nec Romae Senatori licuit: et Thebis, qui ad rem publicam accedere vellent, decem annis

quaestu abstinere omni debebant: Spartanis vero mercatura eo magis improbanda erat, quod et funestam veteribus civitatibus illam opum inaequalitatem turpemque lucri cupidinem afferret, et res permultas importaret ad aetatem agendam minime necessarias, nec solum has, sed etiam artes moresque peregrinos, quos ne probarent unquam, cautum volebant iis legibus, quibus indigenis interdicebatur peregre proficisci ante senectutem, et peregrinis in urbe commorari nulla idonea causa. Sed illud iure mirere, quod agri colendi studia non tenuerint homines robustos et laborum patientissimos: in quo dissentientes magnopere Romanos aeque bellicosos habebant, qui, quamdiu vetus florebat disciplina, rebus agrestibus tam delectabantur mirifice, nihil ut iis vita rustica honestius videretur; ut in hac occupati essent Senatores, iique senes; ut apud Ciceronem M. Catoni voluptates agricolarum, inter quos versabatur ipse, ad sapientis vitam proxime viderentur accedere, non modo ob fructum, qui inde rediret, sed ob terrae ipsius vim ac naturam admirabilem. Sed quid immoror his rebus, quae delibari hoc loco et attingi, non pandi et explicari debent, neque ocius penetro ad id, cuius causa haec a me suscepta sunt? Nam artium peregrinarum iniecta mentio admonuit me de Spartanorum eruditione dicere, modo hanc mihi veniam detis, ut eruditionis verbo nuncupem, quidquid Lacedaemon huic simile aut protulit aut toleravit. Itaque quum legislator civium victum vellet simplicissimum esse, cum luxus instrumentis omnibus litteras quoque artesque partim expulit, partim coercuit et quasi custodia vinctas tenuit, Aegyptiorum in modum, apud quos narrant Graeci traditos ante decem milia annorum modos cantici neque obsolevisse situ vetustatis neque immutatos unquam esse: adeo, ut artium apud Lacedaemonios condicionem cum Atheniensibus conferens similes illic videas signorum rudi artificio pedibus compressis effictorum, hic statuarum perfectissimarum Daedalea, hoc est Attica sollertia fabricatarum ita, quasi viverent libereque incederent. Non sinebant Spartani artem apud sese tractari ullam, quae Regibus, Senatoribusque et Ephoris, morum arbitris, minus probaretur: quibus nihil magnopere probabatur novicium. Romae Censores, Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Licinius Crassus, quum rhetores Latini ludum aperuissent, ibique adolescentuli totos dies desiderent, in edicto, quo ostendebant suam sententiam, sibi ea non placere, haec verba posuerunt: „Maiores nostri, quae libe-

ros suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur." Hoc Romae libera re publica semel atque iterum factum: Spartae temporibus optimis nunquam non observatum. Igitur prudentiae viriumque plena breviloquentia contenti, quae non Laconum, sed Doricae stirpis propria erat, quamque cum Argivis maxime communicabant, aspernabantur compta illa et quasi unguentis delibuta factae orationis incantamenta: igitur nullum apud eos reconditae et sublimis sapientiae, nullum rerum gestarum posteritatis memoriae sermone eleganti tradendarum studium: igitur neque de astrorum positu et motibus, neque de geometria, aut numeris, aut litteris, aut harmoniis, aut rhythmis, sed de heroum facinoribus, de civitatibus olim conditis, de prudentibus institutis et legibus Hippiam sophistam disserentem auscultarunt. Sculpturae tamen habitus honos, ob simulacra deorum templorumque religionem: neque ignobilia nomina Doryclidae, Dontae, Callicratis, Spartanorum artificum. Nec spretae cum saltatione musice et poesis: verum quod nihil citius altiusque animis puerilibus insinuari, nihil moribus aut emendandis aut depravandis magis conferre arbitrarentur, quam motus corporis aut modestos aut lascivos, numerosque et modos vel severos et graves, vel leves ac frivolos; religiose caverunt, ne qua prisca morum disciplina his artibus detrimentum caperet. Quapropter sola saltatione gymnopaedica, omnium sedatissima et moderatissima, ac pyrrhicha Aristoxeno auctore ab ipsis inventa, qua bellica meditabantur negotia, a quinto aetatis anno institui pueros voluerunt: molles autem istos flexus Ionicos, protervitate sua nobilitatos, exsulare in perpetuum iusserunt. In musica autem cascos amplectebantur Terpandri modos, quibus descripta disciplinae publicae praecepta putantur: neque immerito gloriabantur sese omnium diutissime veteris musices obstitisse depravationi per Graeciam invectae. Cuius rei documentum publicum fertur decretum, quo animadverterint in Timotheum Milesium, artificem aetatis suae clarissimum, qui, quum Spartam venisset, et spretis antiquae Musae septem chordis undecim sonis canens, pro simplici harmonia varios et effeminatos chromatis modos induxisset, iuvenumque, ut est in decreto, corrupisset aures, atque idem Cereris Eleusiniae ludis fabulam parum decore adornans Semelae dolores docuisset pueros: a Regibus et Ephoris reprehensus esse

dicitur publice et coactus ex undecim chordis, quae plures septem essent, rescindere, ut quivis rei publicae severitate spectata revereretur Spartam inferre quidquam inhonestum, neve unquam certaminum musicorum imminueretur decus. In quo si scaevos fuisse Lacedaemonios dices, saltem hoc teneas, musicae peritissimos apud veteres, et in iis Dionysium Halicarnassensem ac Plutarchum a Timotheo eiusque similibus corruptam musicam censere. Quid vero quod ne Homerum quidem sine reprehensione dimissum a Spartanis constat, quod vitam non Doricam, hoc est parcam continentemque, sed luxuriae ac nequitiarum plenam Ionicam imitaretur? adstipulantibus vel in hac summi ingenii vituperatione viris et probis et sapientibus, Pythagora Samio, Xenophane Colophonio, Heraclito Ephesio et divinae mentis philosopho Platone: ut non iniuria Lacedaemonii sapientiae vetustissimae auctores et praeceptores a quibusdam perhiberi videantur. Tyrtaei autem carminibus, bellicae virtutis stimulis, non solum ut embateriis utebantur ad pugnam incedentes, verum ea etiam in castris post coenam singuli canebant certatim.

Sed revocemus nos a rebus Spartanorum, quibus me diutius immoratum video, et exspatiemur in laetiores iucundioresque Atticae eruditionis campos, ubi natas, altas, perfectas liberalissimas artes conspicimus. Quos quum ingredi cogito, et vobiscum in iis velut in hortis diligenter consitis obambulare; non me latet, si tantum et tam nobile argumentum persequi uberius mea ratione et oratione vellem, non exaequari a me dictis facta posse, et probe intelligo, non solum materiae copiam inopem me consilii reddituram, diemque prius defecturum esse, quam operae pretium fecissem, sed etiam verendum fore, ne vobis taedium crearet rerum notissimarum infructuosa commemoratio: idcircoque mihi et par videtur et tutius paucis defungi in re eiusmodi, in qua ut fueris longior, tamen non multum profeceris. Igitur Athenarum indolem ubi oppositam Spartae adversa fronte dico, sive rei publicae formam et instituta, sive civium condicionem, victum cultumque universum specto, a vero non magnopere aberrare mihi videor. Etenim Ionica gens, quae, quum littora Peloponnesi septentrionalia olim habitasset, a cognatis Atticae orae incolis recepta Asiae minoris loca maritima insulasque plurimas posthac occupavit, ut ipso sedum delectu hoc, navium appulsui et mercaturae opportunissimarum, miram illam

animorum agilitatem, ingenium mobile magis quam firmum, vitaeque licentioris amorem maritimis negotiis Aristotele iudice fere coniunctum declaravit: ita tantum abest, ut aut optimorum dominationem diutius passa sit, aut severam morum disciplinam, qua Spartani delectabantur, censuerit tolerabilem, ut etiam vitam eiusmodi mancipiis quam liberis hominibus aptiorem vixque vitalem duxerit. Itaque, ut omittam Theseum, quem non solum civium libertatem vindicasse praedicant, sed ipsis etiam servis benignum ac praesentem deum venerantur: Solonis tempore post multas factionum clades eo devenisse Athenarum res nostis, ut excusso aere alieno et nexu, quo pauperes obstringebantur nobilibus, sublato molesto illo populorum Orientis instituto, quod singulis tribubus loco, moribus, connubio segregatis suum proprium genus vitae descripserat, postremo abolita Eupatridarum potestate, et cum omnibus civibus, praeter proletarios, communicata, aequo fere iure gauderent universi, nec tamen effrenatum esset plebis imperium, quod ne quando exsisteret, tum Areopagi, sanctissimi senatus et iudicii, auctoritate summa, tum legibus caverat saluberrimis, nec tamen iis eo consilio latis, ne mutari unquam possent, sed copia data populo novarum ferendarum. Insequenti autem tempore quibus rebus per Clisthenem, ac deinceps simul cum navalibus Atheniensium copiis augescentibus, Themistoclis opera, maxime vero Periclis illa illustri tyrannide plebis potentia increverit eum in modum, ut belli Peloponnesiaci aetate nullis legibus teneri, nullo consilio regi, nulla religione deterreri ab immanissimis atque impotentissimis conatibus contio furibunda potuerit: non est quod uberius exponam. Quid quod ipsi servi, exemplis dominorum spectatis, dataque lege, ut mancipium verberare libero cuique ne liceret, liberiores ac superbiores facti sunt quam Spartae cives? Unde vel canum et asinorum impudentiorem Athenis insolentiam quam in ceteris Graeciae terris Plato lepide pronuntiat. Atqui haec Attici populi sive libertas sive licentia, antiquo statu rei publicae legibusque salutaribus funditus eversis, quamquam permultis et de patria optime meritis civibus exitio fuit; quamquam moribus probis grave inflixit vulnus, pravasque libidines ita nutrivit, ut, quasi herba irrigua, succrescerent uberrime; denique quamquam Athenarum libertatem ipsam in discrimen summum adduxit: tamen eam habuit vim, ut laetior non usquam atque amplior omnium ingenuarum artium efflоruerit seges: quas nemo est qui

nesciat nulla re quam libertate magis ali et confirmari, servitio autem illiberali tamquam aliqua procellae calamitate prosterni et exstirpari. Nego fieri potuisse, ut in summum eruditionis universae fastigium Athenae ascenderent, et disciplinarum artiumque prope omnium parentes, nutrices et magistrae evaderent, nisi civitatis leges genus vivendi liberius et victum elegantiorem lautioremque concessissent civibus, eosque a colendis artibus non modo non deterruissent Lacedaemoniorum exemplo, sed laudem quoque multam litteris ac doctrinae tribuissent. Huius rei argumentum dicam, si quid video, haud infirmissimum. Nam quum Thespis tragoediam Athenis coepisset movere, eaque ob rei novitatem vulgus delectaretur maxime, necdum tamen inter publica certamina eiusmodi ederentur ludi; Solon natura docilis et audiendi etiam senex cupidus narratur spectasse Thespidem fabulas suas agentem: post spectationem vero quaesivisse ex Thespide, numne puderet coram coetu tanto talia mentiri ac comminisci: respondente autem poeta, nihil indignum esse ludibrii causa eius generis res dicere atque agere, Solonem produnt solum baculo percutientem exclamasse: „At vero haud diu erit, quum ludibrium hoc, ubi primum laudatum ac comprobatum fuerit, in commercio hominum inveniemus.“ Haec locutum ferunt priscae ac simplicis sapientiae amatorem, qui tamen ipse poeta tam egregius fuit, ut non iniuria de eo Critias praedicaverit, nisi negotiis civilibus et rei publicae tractationi haec remisisset studia, eum Homeri gloriam aequaturum carminibus suis fuisse: atque addunt alii, interdictum ab eo Thespidi fabularum actione esse. Iam ut concedamus falsa haec et conficta esse, quod rationibus docti commonstrarunt abunde: an putatis, siquid Athenis accidisset istiusmodi, ut nobilissima tragoediae poesis Solonis lege esset exsulare iussa, tantum eam emersuram temporibus proximis fuisse, ut ternos illos divini spiritus homines ad artem eam exercendam excitaret, ut Aeschyli sublimitate et magnificentia stabilita, Sophoclis perfectione absoluta, Euripidis sapientia illustrata esset, tantumque posset ad honestatem et sensum pulchri rectique formandum? Sed quod Athenis non solum viribus corporis ac velocitate, ut in aliis Graeciae civitatibus, parabatur gloria immortalitati proxima, verum musicis etiam certaminibus palma erat proposita; quod ibi tragicae comicaeque fabulae in ludis sollemnibus Baccho actis sumptu ingenti committebantur publice: praemiis allecti haud

exiguis praestanti homines ingenio ad musicum hoc studium summa cum contentione sese applicabant; nec concidit ars scenica prius, quam exhaustae opes rei publicae fortunaeque civium attenuatae non iam pares essent immensis illis in scenam olim factis impensis. Quid vero de oratoria dicam Athenarum fere propria? Num ea unquam a prisca tenuitate pervenisset ad summum, nisi in iudiciis et contionibus esset culta? Quid philosophia? Num Socrates de finibus bonorum et malorum, de virtutibus vitiisque, de officiis, de rei publicae gubernatione tanta subtilitate quaesivisset, et sapientiae studium ab indagatione rerum tenebris naturae obductarum ad vitam communem ac quasi in societatem hominum deduxisset: num par magistro discipulus Plato rerum divinarum humanarumque cognitionem alta mente esset complexus, iisque tradidisset verborum illecebris, quibus, quo quisque est elegantior, eo capitur magis et detinetur: num Aristotelis ingens et perspicax animus orbem doctrinarum universum emensus esset: num hi triumviri non modo gentiles tam Graecos quam Romanos, sed Christianae fidei homines per omnes aetates vel obscurissimas auctoritate sua devinctos tenuissent ac tenerent hodieque, si decretum tale Athenis stetisset, quali decreto Spartani Timotheum Milesium notasse feruntur? Quod quum Sophocles Amphiclidae Suniensis tentasset, lata lege, „ut philosophi scholas ne aperirent, nisi si Senatui Populoque Atheniensi placuisset: qui secus fecisset, capitale esset;“ ita ei cessit male, ut anno insequenti Athenienses abrogata lege quinque eum talentis multarent, reditumque decernerent philosophis. Itaque quum vel amissae libertatis temporibus indignum videretur huic populo, artem ullam vel proscribi vel cohiberi legibus, modo ne religio patria violaretur: quod multis obiectum, iure aliis, ut Protagorae Abderitae, aliis iniuria, ut Anaxagorae et Socrati: quid mirum Atheniensium urbem dicendi et litterarum officinam omniumque laudandarum artium extitisse emporium, ac doctrinae laude, praesertim a Periclis aetate, tantum eminuisse inter ceteros Graecos, ut ocellus Graeciae atque Hellas Helladis et esset et diceretur?

Nunc igitur ubi quaeritis, utra civitas his legibus, his institutis et moribus degerit felicius, partim magnos illos legum conditores ea, qua decet, reverentia prosequens, partim aequi iudicis laudem, siqua est, cupiens maximopere, utramque respondeo, dum legislatoris voluntati et consiliis obtemperaret, aeque

fuisse felicem, quod studiis utriusque, ad quae eos natura ipsa adduxerat, genus vivendi legibus praescriptum conveniret. Immota diutissime Sparta stetit, parvo bene vivens; neque aptius in Germanos quam in Spartam dicta Taciti sententia gravissima: „Nemo ibi vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur;“ plurima quin etiam vitia, quibus aliae vexabantur civitates, illa ignorabat: unde Socrates, Xenophon, Plato, et prudentissimus veterum quisque Spartanam rem publicam suis calculis approbarunt usque eo, ut iustissimam dicerent atque aequissimam, eamque ad perfectionem proxime accedere iudicarent. Quid quod Platonis duo illa perfectae rei publicae exempla nulli Graecarum similiora sunt quam Laconicae? quid quod Solon, quum leges suas profiteretur esse non optimas, sed eiusmodi, quales potuissent ferri, praestantiores autem sese praedicaret scire, non alias videtur significasse quam Doricas Pythii Apollinis? quid quod in Italia Pythagorei, divinissimi sapientum, quo populum redderent vere beatum, formam civitatis haud disparem magnopere instituerunt? Verum ex quo a pristina simplicitate Spartani desciverunt, ex quo deletis bello nobilissimis gentibus permultis, agrorum suburbanorum sortes ad mille fere redierunt homines opulentos, ex quo auro inhiare ferrea haec gens coepit, omnesque ex Graecia universa et barbaria Spartam nummi confluxerunt, unde velut bestiae ex leonis cubilibus non proficiscerentur unquam: inde ex ea tempestate luxu, ambitione, avaritia, malis artibus quibuslibet corrupti ac sordentes eo degenerarunt turpius, quo natura ad istiusmodi vitia minus finxerat proclives. Athenas vero splendidas et illustres, decus columenque Graeciae, ut vates Thebanus pronuntiavit, legibus suis beatas fuisse, antequam eas migrarent, quid est quod persuadendum suscipiam persuasis?

Iam enim contrahenda vela sunt, et omittenda plurima, quae unius horae curriculo concludere non possum, ut saltem unum commemorem, quod non alienum mihi neque ab loco hoc neque ab his temporibus videtur. Nempe Sparta civibus profuit paucis: Athenae per orbem terrarum fructus ingeniorum uberrimos propagarunt. Illa viribus, virtute, rebus gestis magna, nullis in exteros beneficiis: hae non sibi solis, sed generi humano operatae sunt. Sparta cecidit: Athenarum eruditionem, quasi lampada cursores, saecula saeculis tradiderunt, et tradent deinceps in omnis aevi sempiternam memoriam, ut ab illa, velut a

sacra prytanei flamma, lumina accendant mentis: neque unquam eae perituraе sunt, dum humanitas, dum sapientia, dum litterae et artes mortalibus cordi erunt. Nostrae vero aetati dubitabit nemo non tam Spartanam illam disciplinam, quam Athenarum liberalitatem sectandam esse, siquidem vel religio nostra sanctissima voluit, non ut mancipia, sed ut liberi essemus, libereque sentiremus. Certe quod Divus Chrysostomus haud absurde pronuntiavit, cruce Christi rusticos omnes esse philosophos factos: id quidem videtur eo valere, ut animorum servitium qualecunque a Christianis hominibus iudicetur alienissimum. Atque animi immortalis immensitatem limitibus actis coercere frustra hodie tentaveris, ita per omnes terras diffusis et disseminatis litterarum luminibus clarissimis, ut, siquis ea vi adhibita exstinguere, tenebrisque contegere et obvolvere ullam sive gentem sive eruditionis partem fuerit conatus, nihil prius compareat, quam miseria quanta laborent ii, quibus mentis quasi lux effodiatur.

Et in nostra quidem civitate constat litteras non solum ingeniis civium, sed principum vel maxime consiliis liberalibus ita florere, ut nobiscum paucae de doctrinae palma contendere possint. Nam ubi memoriam temporum replicamus, vel ea aetate, qua rara admodum in his terris doctrina elegantior erat, aliquot nostrorum principum haud mediocriter eruditos invenimus: quos ut magnitudine animi et prudentia civili, ut rerum gestarum gloria, ut amplitudine imperii, ita litterarum studio Fridericus Magnus superavit. Atque eo rege contigit, quod nisi contigisset, genus humanum posse beatum esse Plato negavit, ut et regnaret philosophus et rex philosopharetur; philosophus autem quum similes sui reddere quam plurimos optet, ille Fridericus nihil duxit magis promovendum quam artes bonas et libertatem sentiendi ac dicendi: quae ubi opprimebatur, ibi vel saluberrima doctorum placita damnata saepe ob vanam impietatis aut alius noxae cuiuslibet suspicionem reperies. Hoc tamen illo imperante accidit luctuosum, quod sanctitas religionis tum fere primum in Germania conatu impio coepta est labefactari: unde quot et quanta mala invaserint patriam, nunc demum imprudentes aeque cum prudentibus sentiunt. Res dignissima prorsus principum sapientium cura sollicita: neque ea neglecta in his terris est; sed aegre medeare malo, cuius obstandum principiis fuit: nec facile modum teneas in compescenda re modi impatientissima.

At nostra aetate tot fortunae publicae privataeque pericula et ruinae ab humilibus studiis ad rerum caelestium contemplationem iam revocare animos mortalium incipiunt, ac sublime spectare docent: Fridericus Guilelmus vero, ut omnes implet boni principis numeros, ita utramque laudem coniungit, et litterarum summa cum liberalitate ac munificentia stabilitarum, et pietatis eximiae, quam quasi exemplum quoddam antiquae religionis, fidei, probitatis praemonstrat egregie. Equidem, ut nunc in eo me contineam, quod nobis proximum videtur, quum cōnsidero, quibus temporibus, quanto sumptu, quam brevi spatio, quam incredibili studiorum promovendorum ardore, denique quantis successibus haec doctrinae schola condita, aucta, perfecta sit: non possum quin commovear partim Regis sapientissimi generosis institutis et consiliis, quibus non nobis solis, sed Germaniae universae, neque huic tantum aetati, sed saeculis futuris consuluit fructuosissime, partim summorum hominum, quibus litterarum tutela apud nos demandata est, prudentia, bonitate, industria singulari. Atque hoc loco mihi vos compellandi estis, commilitones suavissimi. Videte, quanti vos civitas haec faciat, quae vestris studiis palaestram aperuerit huiusmodi, vestra causa tot undique convocaverit doctores artium, vestra causa tantam eruditionis universae supellectilem comparaverit: videte in vobis poni spem patriae, quae ne ad irritum cadat, tanta cura institutionem vestram dignatur res publica: videte exempla maiorum, exspectationem parentum, praecepta magistrorum, religionem legum; haec etiam atque etiam considerate, atque animo capite virtutem, ut dignos vos muneribus tantis, dignos tanta spe, dignos vestro loco et ordine praestetis. Sed, opinor, currentibus acclamo, ut currant: plurimos certe vestrum scire mihi videor laudabili litterarum studio flagrare, morumque modestia et honestate insignes esse. Num mirum iam videtur, hoc Rege, his regiae voluntatis administris, ac, venia sit dicenti, his praeceptoribus et discipulis res nostras crevisse felicissime, novisque in dies incrementis augeri et ornari, necdum cepisse detrimenti quidquam? Necdum quidquam ubi dico, excipio id, quod devitari humanitus non poterat. Hic quis vestrum non intelligit deplorari a me funus illud, auditores, quod nuper duximus haud sine gemitu? O acerbam commemorationem istius luctus, qua utinam diei huius hilaritas contristanda non fuisset: quum immatura morte eriperetur ille, quo nemo nobis esse carior poterat;

cuius quotiens ego memini, quotiens candorem animi singularem et comitatem eximiam recordor tantis ingenii dotibus coniunctam, totiens dolore corripior vel invitus, atque a me, qui familiaris non fui, de iis vestrum coniecturam facio, qui virtutem illius usu longo cognoveratis. Have egregia anima: tua memoria vivit et victura est, quam in pectoribus nostris, in monimentis ingenii, in bonorum omnium existimatione repositam habes.

Tribus verbis aperui sensus nostros: non indulgendum hodie querelis. Referamus pedem a funere et convertamur ad preces fundendas pro Principis optimi salute perpetua. Itaque Deum Optimum Maximum veneramur pia mente, ut, quum mortales velit quam probissimos et felicissimos esse, servet nobis Fridericum Guilelmum, Regem sapientissimum, iustissimum, clementissimum, civium excitandae virtuti commodisque adiuvandis natum; consilia ipsius rei publicae prosperrima secundet, civiumque animos ea imbuat legum reverentia, patriaeque et Patris patriae amore, qui imperii labores molestissimos aut sublevare ipsi aut reddere etiam iucundos possit: deinde ut augustum Principem regni heredem, spem ac delicias populi, ad nobilissimum patris exemplum formet, paternisque olim artibus praestet excellentem: postremo ut universam domum Augustam in omne aevum sustentet ac sospitet.

II.

Oratio natalicis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXIV. habita.

Si rei publicae huic litterariae, Principes celsissimi, viri excellentissimi, illustres, celeberrimi, commilitones dilecti, laetiórem hucusque diem extitisse nullum dixero, quam qui hodie non modo popularium nostrorum, sed communi Germanorum, quin Europae totius gaudio affulsit; haud vereor, ne quis id oratorio magis modo, quam ex rei magnitudine ac dignitate dictum arbitretur. Quum enim natalis Friderici Guilelmi dies et civibus per imperium universis, et huic praesertim scholae ab illo munificentissime conditae quotannis faustissimus habeatur; etsi quartus hic annus est, quo principem mortalibus beandis natum ex hoc loco publice veneramur, triennio priori in pari pietate non tamen hoc erecto hilarique animo, hoc dulci gratoque affectu, denique hac tanta rerum nostrarum fiducia ac securitate accedere licebat: sed primorum sollemnium laetitiam formido imminentis pridem calamitatis, quae civitatem labefactatam prosternere penitus posse videbatur, si non turbavit, certe curis anxiorum miscuit; altera tum acta, quum regum iustissimus, ne salus publica periclitaretur, citra ipsius sensum ac voluntatem causae iniustissimae servire, societatem cum hoste universorum inire, agros, urbes arcesque nostras socio subdolo in potestatem tradere, copias delectas adversus principem sincera amicitia coniunctum in boreales terras mittere coactus esset: quo tempore quanta aegritudo mentem regiam afflixerit, nemo est qui ignoret: postremo tertium redeunte die Regis nomini sacro inchoata quidem Borussiae libertas Friderici Guilelmi virtute erat, sed nondum perfecta, et praeclari quidem exitus auguria ostentabantur, sed hostis atrox quinque ab Urbe miliariis aberat. Hodie vero quum mihi verba facienda sunt, quantopere me commoveri putatis, si pristinam tenuitatem, miserias ac contemptum praesenti rerum nostrarum amplitudini contulerim? si Regis sapientia et generosa consilia, quibus tanta rerum immutatio effecta est, si populi fidem, obedientiam, studia rei publicae evehendae

ardentissima, si exercituum virtutem, prudentiam ducum, tot ac tantas victorias, denique belli gravissimi crudelissimique eventum tam prosperum gloriosumque uno quasi conspectu complectar? Nunc enim immortaliter laetandum et exsultandum videtur, nunc flexo genu, manibus ad caelum tensis, numen divinum adorandum, cuius beneficio tanta mortalibus nova et iamiam insueta felicitas contigerit. Neque aliter, ut ego arbitror, vos affecti estis. Itaque quum neminem ea exspectatione huc convenisse arbitrer, ut rem quamlibet edoceretur, sed ut sensus nostros cognosceret suisque misceret; nihil ab hoc die animisque civium ad magni Regis merita unice intentis magis alienum habeo, quam sumptum, ut solet, ex aliquo doctrinae capite argumentum. Postulari a me illud video, quod longe est difficillimum, ut rerum Friderici Guilelmi auspiciis fortiter feliciterque gestarum memoria revocata, quantum ille sese praestiterit, quanta a nobis gratia, quanta verecundia, quanta pietate prosequendus sit, verbis gravibus ac luculentis commonstrem. At hercle nescio an quisquam huic amplissimo muneri sustinendo magis quam ego impar videatur, qui non meo consilio sed vestro, Patres, regiae virtutis praeco constitutus sum. Quodsi res magnas diserte celebrare merito arduum habetur, quid dicam de illis, quae videntur post hominum memoriam esse maximae? quibus quum Demosthenis alicuius aut Ciceronis eloquentiam vix arbitreris sufficere, num hominem ex umbra litterarum in contionis lucem hanc clarissimam productum rerum gestarum magnitudinem aequare dictis posse censeas? Quocirca quum intelligam, eam mihi veniam dari non posse, ne rem gravissimam aggrediar, idem vero perspiciam, si universam laudum materiem comprehendere vellem, vires me defecturas esse; quo sollemnibus his aliqua ex parte attemperata mea oratio sit, mediam quandam viam tenebo: de civitatis nostrae felicitate Friderici Guilelmi virtutibus stabilita paucis ita disseram, ut neque omnia, quibus patria utitur, bona enumerem, neque omittam ea, per quae nuperrime ex summa emergens calamitate gloriam immortalem consecuta est Attamen vel sic vestram mihi indulgentiam exorandam video, ut, si numeros parum impleverim, voluntati meae ignoscatis, ac quae dixerim, e benevolentia vestra quam e rerum dignitate magis iudicetis.

Sed circumspicienti mihi, quo me primum convertam, quemadmodum qui Atticam civitatem olim laudabant, praecipuas eius prosperitates in populari imperio ponere solent, ita nostrorum

commodorum summa eo contineri videtur, quod regi paremus. Hoc vero quum dico, si me communem prope omnium Europae nationum, ut nunc constitutae sunt, utilitatem loqui putatis, non nobis propriam; etsi vos largior recte iudicare, tamen in nostra civitate regii imperii praestantiam clarissime eluxisse maximeque eminuisse contendo. Quum enim contra hostem generis humani, qui pecunia fortunisque nostris non contentus, animorum etiam libertatem sublatam volebat, sanguinemque et vitam petebat, obsessae hostilibus copiis rei publicae, facultatibus attenuatis, exercitus instruendus esset non mediocris, sed tantus quantum ne florentissima quidem aetate Borussia paraverat, neque id pe[illegible]ntim et per otium fieri posset, sed festinatione summa a[illegible]erari deberet: tum igitur quis est qui censeat, tanta molimina [illegible]am acriter, tam brevi spatio, tam pacate potuisse pr[illegible], nisi regis dilecti auctoritate gesta essent omnia? Quod[illegible]m [illegible]perium ad agendum promptius regio? quando vires unifice[illegible]ae lib[illegible]ne tut[illegible]lae subsidia magis concordant, quam tus [illegible] moderant[illegible] manu valida frena tenens cuncta gubernet? hoc [illegible] vero discordia frequentius grassatur ac rei publicae robur [illegible]angit funestius, quam [illegible] iis civitatibus, quae paucorum dominatione aut populari imperio utuntur? Quodsi Hispanorum natio generosissima, quae nullo labore, clade nulla, nullis miseriis, nullis tormentis, nulla hostium atrocitate ac saevitia deterreri ab incepta patriae liberandae via poterat, talem habuisset regem, qualem nos veneramur, profecto auctas vires, auctam concordiam, auctos rerum gerendarum nervos vidisses. Quid Helvetii? quid Batavi? quorum illi intestinis malis vexati nihil dignum avita gloria fecerunt; hi quum animos ostenderent ad libertatem recuperandam maxime propensos, nisi principe dudum exsule fuissent destituti, maturius sine dubio copias parassent. Adde quod pietate in regem benignum animi hominum ita excitantur atque incenduntur, ut pro eo conservando haud minus quam pro ara et focis dimicent, nihilque quo eius nomen deminui, aut honori detrahi, aut potentia infirmari queat, dum vivant ac spirent, tolerandum arbitrentur. Atque equidem, quamquam multi dissentiunt, haud vereor affirmare, inter maxima beneficia, quibus inde a Christianae fidei incunabulis Deus mortales cumulavit, illud haud minimum esse, quod quum olim gentes eruditione eleganti conspicuae popularem civitatis statum instituissent pleraeque, regnum autem vel potius tyrannis rudes maxime et bar-

bariae robigine obsitas nationes teneret, paullatim cultissimum quemque populum ad priscam regiae dominationis simplicitatem revocavit, quam utpote patris familias potestati proximam, constat primitivam fuisse, mox regum partim superbia, partim impotentia optimatium, partim plebis effrenatione eversam. Non ego is sum, qui veterum, Graecorum inprimis, obtrectatorem agere, ardorem illum nobilem, quo ad maxima facinora audenda impellebantur, patriae libertatisque amorem vehementissimum, odium in dominos implacabile reprehendere, aut causam tyrannorum suscipere tentem: verum splendore rerum gestarum, quae nobis ipsis debent exemplo esse et fuerunt, artiumque et disciplinarum luminibus, quibus orbem illustrarunt et in extremam [illegible]or illustrent posteritatem, praestringi nonnullorum aciem video. [illegible] quidquid Graecia tulerit, praedicatione sua extollendum putent, et falsa capti specie felicitatem eius magis quam par est e[illegible]gent. Num enim turbae innumerae, quibus eorum res [illegible]bli[illegible] p[illegible]cussae sunt, num caedes, exsilia, pr[illegible]iptio[illegible]rum [illegible]-cationes tantum non quotidianae, felicitatis [illegible]o habendae [illegible]par Cupiditatibus singulorum administrata pleraque: rarum ius [illegible]rtucives, nulla apud plebem modestia. Illi Graecorum omnium praestantissimi Athenienses rationi aures praebebant quotidie; sed mentes non obsequebantur. Opes iniuste partas inde a Pericle per levitatem dissipant, largitionibus dilapidant. Cui vero eandem civitatem insigniter adiuvare impune licuit? Nonne principes viros, Themistoclem, Aristidem, Cimonem, Alcibiadem de causis aut levibus aut nullis exsilio multarunt? Quippe quod plebes omnem excellentiam virtutis invidia prosequebatur, satis erat ad pellendum hominem eximium, si bene de re publica meritus esset; quod ingenue professi sunt Ephesii, quum Hermodorum, popularem optimum et Heracliti physici familiarem, cui, quod decemviros in legibus scribendis adiuvisse dicebatur, Romae statua in comitio publice dicata est, his verbis eiicerent: „Nostrum nemo optimus esto; sin quis extiterit, alio in loco atque apud alios sit:“ quamobrem Heraclitus universos Ephesios esse morte multandos iure suo iudicavit. Haec et alia, quae horae huius angustia excludit, eo me adducunt ut credam, singularem istam Athenarum pluriumque Graeciae civitatium libertatem durum potius servitium fuisse sub domino avido et ingrato, plebisque dominationem, beluae immanis et variae, haud distare ab extrema tyrannide: quam ipsam ex illa gigni nec

veteres latuit philosophos, atque iis, qui Francicam nuper libertatem initio admirabantur, exitus monstravit tristissimus. At regio imperio legibus salutaribus constituto nullum sedatius, nullum iustius neque ad benefaciendum proclivius, postremo nullum liberalius artibusque et litteris promovendis magis accommodatum.

Diutius fortasse haesi in principio, veterum iniecta mentione: verum id dabitis studiis nostris, in quibus omnes libentissime commoramur. Iam ut redeam ad propositum, quem regem dixi, talem intelligo, qualem Fridericum Guilelmum divinitus datum huic populo intuemur, non quem vulgo regem appellant, a tyranno saepe nihil distantem: qui tamen, si verum spectes, longissimo intervallo semoti planeque diversi reperiuntur. Tyrannus enim impotens animi, avidus, superbus: ad suam quaeque utilitatem refert; populi, quem odit, commoda negligit, immo suis obesse putat. Itaque iuris aequitatem tollit, fortunas civium exhaurit, sentiendi dicendique libertatem, quantum potest, opprimit: vi quam benignitate agere praefert: alienis miseriis ac laboribus sibi voluptates quaerit. Quibus artibus qui operam dat, necesse est mala etiam patiatur, quibus alios affecit. At regis consilia eo omnia diriguntur, ut populum praestet quam felicissimum, neque cum hoc pugnat, sed concinit: votis eius studiisque innoxiis obsecundat, quod populi vocem divinam novit: Dei vicarius in terris, caelesti amore generis humani calescens universis pro parente est, aequus, benevolus, mitis, civilis: virtutum omnium specimen cunctos ad exemplum suum formare nititur. Haec vero nonne Friderici Guilelmi imago est? quem siquis laudare constituerit, non poterit praestantius quidquam dicere quam eius cum populo suo concordiam mutuaque caritate iunctam societatem, qua principis omnibus numeris absoluti ceterae virtutes universae continentur. Atque hoc regis populique vinculo communi nihil neque ad gloriam utriusque neque ad felicitatem utilius: ad gloriam, quod rex viribus populi destitutus infirmus est, populus sine regis sapientia et imperio discors, utroque autem coniuncto alter alterius nomen facinoribus magnis illustrat; ad felicitatem, quod alter alterius prosperitates fovet, summaque populi bona in rege benigno reposita sunt, regius vero animus inter ipsas curas molestissimas et in ipso discrimine rei publicae nulla re magis erigitur ac confirmatur quam studiis populi, quem sibi benignitate conciliaverat.

Hac igitur coniunctione faustissima quidquid proximo tempore a nobis praeclare gestum est, partem maximam constat esse effectum: ea vero Friderici Guilelmi debetur menti generosae, clementi, sapienti. Qui primum fortunae cedens iniquitati res adversas tulit constantissime, atque interim nihil antiquius pensiusque habuit, quam ut civium animos, quos hostis ab illo esse volebat quam alienissimos, virtutibus sibi devinciret, neve socordes ignavique fierent, institutis caveret prudentibus: mox, oblata agendi opportunitate, vindex acerrimus libertatis divinitus excitatus latitantem ruri et in urbibus populum, hortatus suos impatienter dudum exspectantem, in solem ac pulverem evocavit; ex rusticis, operariis, mercatoribus, litteratis, adolescentibus ingenuis repente exercitum paravit non modo hostium, sed mortis contemptorem, victoriae cupidum, vitae prodigum. Ecce spectaculum dignum quo sera respiciat posteritas! Princeps optimus ruina rei publicae illaesus ac flos nationis universae cum tyranno eiusque copiis longe initio amplioribus, sed vi potissimum coactis compositi! Tum primum Germanorum virtutem velut e gravi somno experrectam vidimus, quum Friderici Guilelmi vocem iuventutis nobilissimae cohortes sacrae cum varia multitudine sequebantur voluntariae: avos atavosque ab inferis redisse diceres, quorum nostri exempla aemulabantur. O magnum populi bonum, quod in rerum a maioribus clare gestarum memoria est positum! Friderici Secundi magnitudo, imperii Borussici dignitas pristina, exercituum priorum fortitudo animis omnium obversabantur: illam gloriam quum sibi omnes recuperandam decrevissent, ut olim Spartani, ita pares his Borussici iuvenes avorum virtutem sese superaturos sunt polliciti: et steterunt promissis. Erant, auditores, qui Germanorum decus in eo ponerent, quod artibus excellerent litterisque, qui in his dulcem quaererent requietem libertatisque amissae solatium: quin erant, qui exteris etiam nationibus narrarent, Germanos ad agendum parum aptos, verum ad meditandum, ad philosophandum, ad variarum rerum cognitionem parandam esse unice natos, quique eos hoc nomine maxime praedicarent. O subdolos stolidosve laudatores Germanae virtutis! o vanam gloriolam litterarum, si libertas deest! Germanosne ea tenuisse consilia, id admisisse dedecus, ut in litteris acquiescerent patriae et libertatis obliti? Non est ita, auditores, non est: sed docti aeque cum indoctis, vel magis etiam illi, saevam sentiebant necessi-

tatem durissimo atrocissimoque domino parendi, neque tamen videbant, quo pacto iugum excuterent e vinculisque expedirentur: at facultate data ii, qui litteris operam dabant, huius inprimis universitatis iuvenes, quin etiam doctores aliquot, quos nobis redditos fausta fortuna gratulamur, spreto, qui hanc urbem tenebat, Gallico milite inter primos arma ceperunt, suoque exemplo commonstrarunt, quanto libertatis patriaeque amore animi flagrarent artibus bonis imbuti, et quanta esset Germanorum, Borussorumque maxime virtus, qui ad disciplinas colendas natura propensi et ingeniorum luminibus clarissimis insignes, ad proelia vitaeque pericula haud essent minus parati, similes prorsus admirandis illis ad Marathonem Salaminemque proeliatoribus, qui quum sub Persico tyranno eruditioni, qua omnibus mortalibus praestabant, in otio segni vacare possent, morti incertae malebant obviam ire, quam certam pati servitutem. Apage igitur ambiguam istam doctrinae laudem: arma perinde ac libri tractentur. Quid enim litterae valent in servitio? nisi forte ut Graeculorum instar victori generoso servi litterati officia praestes. Tolle patriam, tolle libertatem: litteris nervos excideris. Nam in libertate litterae nobilissimos cient sensus: bona haec terrestria et fragilia postponere aeternis et nunquam perituris docent; a curis sordidis animum immortalem revocant: qui fons est magnorum facinorum: eaedem ubi oppressae serviunt, humiles serpere videas, quas Deus hominibus dedit, ut eos erigerent; ad vilem tyrannorum assentationem delapsae quasi Gorgone adspecta torpent. Et norunt hoc et reges et tyranni. Quis enim libertatem studiorum, ex qua laetissimus litterarum flos enatus est, magis fovit, quam illud regiae dignitatis ac sapientiae specimen, Fridericus Guilelmus? quis artibus liberalibus magis obfuit, quis cultum ingeniorum artiori limite circumscripsit, quis lucem doctrinarum magis exosus est, quam tyrannorum iste immoderatissimus, cuius nomine appellando diei huius hilaritatem nolo imminuere?

Sed redeo in viam, ut in magnitudinis nostrae felicitatisque contemplatione aliquantum subsistam. Unde igitur primum exordiar, auditores, aut quid primum celebrem? populine Borussici studia? exercituumne virtutem? ducumne prudentiam? Aemulabantur omnes, ut alteros alteri praecellerent. Grandior profecto se ipsa et sublimior mea oratio fieri deberet, si omnia, uti facta sunt, essent dicenda: sed ea me consolor cogitatione,

quod apud illos dico, qui rerum non modo testes ac spectatores fuerunt, sed moderatores et actores: ut sufficiat attigisse singula et in memoriam revocasse. Nam ex illa populi et regis concordia praeclarissima tanta civium extitit contentio, quantam nescio an nulla viderit aetas: ita omnes omnium ordinum homines conspirabant, ut quidquid sibi carissimum esset, Regi patriaeque quisque offerrent, alii pecuniam, aurum, argentum, quod de multo supererat exiguum, alii sua et liberorum corpora, alii utrumque communi utilitati consecrantes: et quum aliis locis alioque tempore tributa penderentur aegre, aegrius etiam stipendia fierent, primum apud nos ordine rerum inverso plus multo collatum est quam poscebatur; adolescentuli scholis, filii parentibus, iuvenes sponsis, mariti uxoribus relictis postulabant militiam: siqui aut valetudine aut muneribus publicis aut privatis incommodis impediebantur, quo minus nomina darent, haud aequo ferebant animo, quod sese summo honore, quem in patria defendenda censebant positum, privatos videbant. Neque tamen qui remansere, segnes fuerunt. Arma ceperat etiam domestica multitudo, nullo discrimine neque aetatum neque ordinum: iidem commeatui praebendo, sauciis fovendis operam navabant sedulo: feminae nobiles dum aegrotos curant, invenerunt mortem, quam coram hoste oppetere per sexus debilitatem non nisi singulis licebat: nemo pacem exoptabat, ut tot tantisque liberaretur oneribus, nisi pace redderetur libertas, imperiique dignitas, firmitudo, securitas. Et quid de exercitibus ducibusque dicam? quorum merita laudes nullae exaequare, nulla praemia satis remunerari queunt. Quam eximia, quam magna erant ducum consilia: quae militum constantia in laboribus perferendis: quae fortitudo dimicantium: quae fiducia ante pugnam, quae modestia victoribus: quae mors per proelia? Animam exhalabant laeti, cum numinis divini praedicatione Regem optimum venerantes. Tantis vero contentionibus et nostris et sociorum respondit successus. Quot quantaeque hostilium copiarum clades, quot milia captivorum, quot inter hos duces, quot capta tormenta, quot arces: qui socii alienati, quantae terrae in potestatem redactae: expugnata Parisiorum urbs, quae sese Europae et orbis universi principem dominamque temere iactabat superba, posthac, siquid video, non iam iactabit: deiectus Europae tyrannus et in exsilium missus. Subsecuta pax salutaris Galliae regem dedit; Germaniae quidquid annis his viginti

duobus amissum per casus belli erat, reddidit: et post tantas strages gravius affligi Galli poterant, si, quae ab illis eramus passi, in eosdem voluissemus retorquere. Sed ea fuit lenitas generosa, ut, qui tam longe ab suis sedibus, ut olim Romam Delphosque, ad omnes terras vexandas ac spoliandas profecti erant, quique fortuna erant immodice usi, cum iis in ipsorum finibus ageremus temperantissime: qui tam atrociter in nos saevierant, atrociora minati erant, iis parceremus victis: denique quorum nulla fides, nulla religio fuerat, iis nativam illam Germanicae nationis integritatem ab omni fuco et fallacia remotissimam re ipsa ostenderemus. Illas vero res qui gessere, nunc redeunt ad penates, ut cives sint aeque boni quam fuerunt milites; non praeda onusti, cui mercenarius inhiat, sed paupertate sua contenti et nominis Borussici gloria in immensum aucta et orbis terrarum admiratione.

Tantae autem tamque multiplicis felicitatis, non in opibus sed in virtute animique bonis positae, auctor unus extitit Fridericus Guilelmus. Hic populum Borussicum ad id evexit fastigium, ut ceteris Germaniae atque Europae universae gentibus esset exemplo, quemadmodum ipse regis exemplar praestat perfectissimum, ornatus quippe dotibus iis omnibus, quibus princeps omni ex parte absolutus debet instructus esse. Regem enim decet fortem esse, ut civitatem incolumem ab externa vi tueatur; parcum, ne opes rei publicae effundat sumptibus et magnificentia supervacanea, neque tamen sordidum aut avarum, sed liberalem munificumque; praeterea iustum, ac cum severitate mitem et clementem; eundem religiosum, pium, sapientem, strenuum, cum gravitate popularem; litterarum artiumque statorem; postremo in privata vita integrum pudicumque, et bonum patrem familias, propterea quod fieri non potest, ut is subiectos diligat, qui ne uxorem quidem ac liberos amore sincero complectatur. Quis vero fortior Friderico Guilelmo? quis parcior idemque liberalior? quis iustior ac mitior? quis religiosior? Sed quid singula repeto? Nemo est enim, qui nesciat, quae dixi omnia in Friderico Guilelmo insigni modo inesse. Unum dicam, quod ad personam nostram proxime pertinet, quid bonis litteris fuerit. Nam quamquam superiorum regum haud exigua de omnis generis eruditione merita sunt, Fridericus tamen Guilelmus cunctos et multitudine beneficiorum et amplitudine superavit; qui vel eo tempore, quo afflictum malis iacebat imperium,

non unum et alterum doctrinae domicilium fundavit, sed universam studiorum rationem, consiliis usus sapientium illorum hominum, qui institutioni publicae et rebus sacris praesunt, illius inprimis viri excellentissimi, cui ob insignem virtutem interiorum rerum omnium cura laetantibus universis demandata est nuperrime, emendavit et instauravit, quod probe intelligebat, viribus civitatis labefactatis haud posse melius subveniri, quam luce artium et cultu ingeniorum. Idem nostram disciplinarum sedem tanta munificentia condidit, quanta nemo priorum hominum est usus: in qua formati adolescentes non modo litteris sed virtute omni praestantes Regi augustissimo gratias maiores rettulerunt factis quam ego agere dictis possum. Atqui haec quum inter pericula publica calamitatesque fecerit, licet inde coniecturam capere, quid robore civitatis nunc restituto opibusque auctis exspectare a Friderico Guilelmo artium studia possint. Num enim ille patietur in secunda fortuna dilabi, quae per adversam laboribus multis erant parata? num constantissimus ille Fridericus Guilelmus instituta, quae sibi, quod praevidebat rei publicae fore saluberrima, proposuerat, ea nunc deseret, postquam res ipsa docuit, quam eius mens perspicax recte esset augurata? Verum nolo opera abuti in Rege laudando: res enim ab ipso gestae non loquuntur, sed clamant; neque illi praedicatione aut statuis columnisque est opus, quum in civium pectoribus tot illi surgant altaria, in quibus grati animi offeruntur sensus, haud tura incenduntur. Unum hoc licebit addere. Divinus ille naturae humanae investigator Plato, ubi civitatis administrandae formas varias non e quercu et petra, ut in proverbio est, sed ex hominum, qui illam constituant, moribus docet gigni, aliorum animos regios, aliorum tyrannicos, item aliorum ad popularis imperii aut paucorum dominationis similitudinem conformatos iudicat, ac quaenam animi condicio cui civitati respondeat, ita declarat ingeniose, ut doleam, quod haec a me tantum significari, non exponi uberius hoc loco possunt. Quamnam vero mentem regiam dicit, quam tyrannicam? Quippe quum per ternas provincias animum distribuat, per rationem et iram et cupiditatem, quae quales sint, accurate definit; tyrannici ingenii esse praecipit, ut cupiditas cum prava libidine praestantiores animi dotes subigat atrociter praecipitesque rapiat: unde intestina nascitur discordia, intemperantia, amentia, animus inquietus, inconstans, ad scelera quaelibet proclivis. Talem videmus indo-

lem esse istius, qui omnium, quotquot fuerunt, tyrannorum princeps etiam in semet ipse diram hanc exercebat tyrannidem cupidinum, in maxima olim potentia impotentissimus animi miserrimusque. At in regia mente ratio ceteras gubernat partes; parent cum iracundia cupiditates: hinc sapientia, aequitas, moderatio; hinc concordia summa sub rationis regimine leni; postremo divina prorsus serenitas rebusque vel adversis tranquillitas. Ita nonne Friderici Guilelmi anima beatissima comparata est, ratione cuncta, sine ira et studio gerentis, ac non modo subiectis, verum sibi cupiditatibusque suis imperantis?

Deus Optime Maxime, cum pia veneratione appellamus te, cui felicitatem tantam referimus acceptam. Tu nobis Fridericum Guilelmum non modo dedisti, sed effinxisti talem, qualem sese suis et orbi terrarum praestitit: tu atroces istas immanesque catervas, quae ad Russiam opprimendam profectae erant, frigore, fame, ferro delevisti: tu tanto supplicio in mortalium pectora revocavisti pietatem, sensus nobilissimos, patriae inprimis amorem excitasti, confirmavisti: tu tantos tamque praeclaros nobis conciliasti socios, principumque animos ad concordiam flexisti: tu ipse per instrumenta haec clementiae tuae tantas gessisti res. Tum salve tu, Rex laureate, cuius auspiciis hoc bellum susceptum ac profligatum est; salve, et in extremam senectutem vive apud nos incolumis, felix. Salvete vos, milites ducesque fortissimi, quorum laboribus et sanguine bona nobis summa cum pacali olea redempta sunt; salvete commilitones, qui ex hac studiorum palaestra in ampliores proeliorum campos emissi redistis nunc gloria victrice ornati. Et qui exspirarunt, beati sunt. Nemo illos lacrimis decoret: corpora quiescunt in pace; animi vivunt, vivit nomen ac vivet per ora hominum: nepotes seri illorum colent sanctam memoriam.

Postremo precor, ut Deus Regem sapientissimum, iustissimum, clementissimum, Principemque regni heredem magnanimum cum universa domo Augusta servet, servet populi Borussici robur, gloriam, virtutes; servet pacem bonorum omnium, etiam artium litterarumque nutricem almam. Quae vota ita rata faciat summum numen, ut sunt a nobis religiose facta.

III.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXVI. habita.

Prudenter ac pie, viri excellentissimi, illustres, celeberrimi, commilitones ornatissimi, inde ab initio scholae huius institutum est, ut Regis optimi nataliciis concelebrandis in aedibus nostris quotannis ageretur conventus, quod nos illum non modo, ut ceteri cives, communem rei publicae statorem, principem, dominum veneramur, sed rerum nostrarum unum auctorem et conditorem: ut quo die Fridericus Guilelmus natus sit, eius diei fortunae faustissimae haec studiorum palaestra, hic laetus omnis generis litterarum proventus deberi merito videatur. Quid vero sollemnibus his sanctissimis magis aptum, quid affectibus nostris magis accommodatum, quam publica oratione laudari principem, cuius studio artium provehendarum quod docemus, cuius munificentiae quod floremus, denique cuius virtuti quod vivimus acceptum referamus? Et profecto quamquam ego intelligo, huius me regis facta dictis exaequare non posse, quamquam ex muneribus mihi demandatis hoc longe gravissimum esse sentio, quod mihi non semel atque iterum, sed singulis annis ex hoc loco et hoc ipso die verba facienda sunt: tamen ita prorsus iudico, rem me suscepisse arduam potius quam difficilem aut aleae plenam; quandoquidem tum laudum tanta tamque beata ubertas suppeditat et quasi affluit, ut magis quid mihi non dicendum sit, quam quid dicendum, circumspiciam, tum hoc rege verum dicere sine periculo offensionis conceditur: unde fit, ut antequam ad dicendum accedam, magnitudine rei spectata percelli soleam, mox collecto animo, quamvis regibus blandiundo nec natus nec factus sim, nihil mihi iucundius, nihil praestabilius videatur, quam sensus vestros, Patres, votaque pro Principe optimo suscepta pro contione tanta, tam ampla, tam splendida, tam erudita palam interpretari, ac de regiis meritis copiose disserere. Quodsi anni superioris res gestas recolere velimus, Fridericum Guilelmum non tantum in sago, sed pacis etiam artibus insignem reperiemus: possum, si libeat, haud pauca ab illo

praeclare facta commemorare: tot militum exauctorationes et missiones, quibus arvis cultores, operas opificiis, scholis litterisque discipulos, uxoribus et liberis maritos ac patres familiarum, parentibus filios reddidit; foedus illud religiosissimum, quod cum Caesaribus sui simillimis ad orbem terrarum firmiter pacandum pepigit; levata subiectis vectigalia; provincias nuperrime sapienter constitutas; ecclesiam honoribus magnificis auctam et ornatam; praeclara artificum opera magno cum sumptu in publicam utilitatem comparata; alia permulta beneficia partim perfecta, partim inchoata, partim suis populis identidem benignissime promissa. Verumtamen cur materiam largissimam intactam nunc relinquendam censerem, duae potissimum causae erant, auditores. Nam primum Regis nostri modestia spectanda est: aspernatur ille sese quotannis dedita opera laudari atque ultra ceteros mortales efferri: planeque, quod de Traiano suo Caecilius, „unum ille se ex nobis, et hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat.“ Deinde quae foris armisque strenue geruntur, quod ad omnium aures mentesque accidunt, recte et pro rerum gestarum magnitudine celebrari etiam ab iis possunt, qui non interfuere: quae domi per pacem, quae in aula, in curiis, aut a regibus aut regio auspicio fiunt, recte praedicare non nisi particeps consiliorum vel rei publicae gubernandae administer usu rerum probe subactus potest: inde quidquid nostram in cognitionem venit, id certe est eiusmodi, ut non dicam vobis aeque ac mihi, sed in vulgus notum sit. Fuit tempus, auditores, quo ex suggestu oratorio principum bonorum etiam togata virtus candide digneque cognosci poterat, quum Plinius, quum Fronto, quum alii viri probi et diserti, qui rem publicam attigissent, Traianos, Hadrianos, Marcos Aurelios, quorum coetui sanctissimo Regem nostrum addi fas est, gratiarum actionibus demulcebant; sed illi magni erant consules, qui negotia publica introspicere et aestimare experiendo didicerant; nos litteratos parum has res callere, nimium saepe audivimus: illi in luce fori et senatus versabantur; nostra eloquentia in scholarum umbra et angustiis delitescere cogitur. Quapropter temperate aliquantum affectibus vestris, quos hic sibi dies iure deposcit, ut ego mihi in Rege laudando contra meam ipsius voluntatem tempero: liceat mihi priorum temporum memoriam replicare, et ex regiae stirpis maioribus unum excitare principem, qui sua aetate studia litterarum similiter de-

meruerit ac nostra Fridericus Guilelmus; ut ex comparatione exempli nobilissimi, si fieri per meam tenuitatem potest, conditoris ac parentis nostri gloriae accessionem quaeram qualemcunque.

Albertum dico, Marchionem Brandenburgensem, primum Ducem Borussiae, qui sibi academia Regiomontana condita aeternitatem nominis comparavit. Is filius Friderici, Marchionis Onolsbacensis, nepos Alberti Achillis, qui et Ulysses dictus, principis aequalium omnium fortissimi ac validissimi, postquam Coloniae Agrippinensium Canonici dignitatem acceperat, quo tempore patrem secutus in comitatu Imperatoris Maximiliani erat Italiam tum debellantis, maxime Ioachimi Nestoris, Electoris Brandenburgensis, hortatu et auctoritate annos natus viginti Magister equitum Teutonicorum ordinis hospitalis beatae Mariae Hierosolymitanae creatur: vir auctorum invidia et gratia famae cupiditatem expertus, quod eius res a diversis aut odio implacabili compositae, aut studiis nimiis celebratae sunt. Excelluit Albertus fortitudine, pietate, humanitate, clementia: strenuus, integer, prudens, modestus: amicus fidus, in coniugio stabilis: ordinum civitatis dignitatem reveritus collationes et vectigalia non nisi ab illis concessa exegit, ac principio Magister equitum cum nobilitate et oppidis etiam belli et pacis foederumque ac legationum iura communicavit: ceterum in re publica administranda consiliisque inconstans, familiaribus, quibus plus tribuebat quam princeps debet, regendum se praebuit; principatus capessendi potestatisque augendae avidior subiectos mole bellorum pressos tributis oneravit: inter turbas civiles partiumque discordias, nobilium praesertim et aratorum, aequitatem parum servavit, optimatibus magis studens, quo tributa libentius concederent; tranquillitatem mentis suspicionibus ac formidine perturbari passus est: postremo religio in superstitionem versa senem imbecillum fraudibus magicis implicuit, hominum scelestorum, peregrinorum maxime, praestigiis deludendum. Sane hoc principum infortunium haud leve, quod si vel minimum peccant, quo magis sunt conspicui, tanto maius habetur: et quae bene gesserunt, eorum honori detrahitur, quod commodi non communis sed sui causa putantur fecisse. Et Alberti quidem condicio tam erat anceps et dubia, ut multa sua causa facere deberet, quae longa et satis confirmata potentia spernere impune potest: qui quum Magister equitum per tredecim annos bellum cum Polonis gessisset, postquam pace facta oppressoque ordine eque-

stri Dux Borussiae extitit, providere opes, quibus imperium nec vi nec per optimas artes partum tutaretur, famam sibi conciliare, nobilitatem sibi devincire, plebis fidem retinere, Imperatoris Romani regisque Poloniae gratiam ambire et ab invidia ordinis se defendere celanda subinde religione, de qua sese ad colloquendum sponte obtulit, formasque varias, prout res postulabat, induere coactus est. Nec tamen temporibus ita serviit, ut nihil auderet, sed periculis haud paucis se obiecit: quin a Caesare per praeconem evocatus, ut regni usurpati religionisque pristinae exutae rationem redderet, et creditoribus suis satisfaceret, edictoque in ipsa curia Regiomonte promulgato, tandem in comitiis Augustanis terra Borussica Gualtero Cronbergio, Magistro ordinis addicta, aut principatu decedere aut in supremo Imperii iudicio causam agere additis proscriptionis minis iussus, postremo, ut praedictum erat, proscriptus in discrimen summum adducebatur, ni fides subiectorum plus quam Caesaris ira valuisset, et fortuna Albertum adiuvisset copias imperatorias bellis gravioribus detinens. Religionem vero quamquam non obtentui sumpsit, ut potiretur imperio, quippe Lutheri doctrinam salutarem, quae ea tempestate per Germaniam et terras adiacentes disseminabatur, animo sincero amplexus; tamen non ignoravit, quantum ea ad principatum novum stabiliendum conferret. Et Lutherus, cui, quum in comitiis Norimbergensibus adversus Polonos auxilia peteret, etiamtum Magister equitum per Andream Osiandrum conciliabatur, hortatus Albertum erat, ut posito ordinis vestitu legibusque abrogatis principatum sibi caperet et uxorem duceret; idem censuerat Philippus: arrisit Albertus, sed nihil respondit.

Igitur quum Alberti imperium fide nova subnixum esset, haec autem una cum disciplina saniore sustentari et conservari non posset, nisi in Borussia artium conderentur scholae, in quibus viri popularibus edocendis idonei erudirentur; quum praeterea Sigismundo Augusto, Poloniae tum regi ac suo patrono, cuius ope contra Imperatorem et equites in Livonia praecipue arma parantes indigeret, studiis fovendis gratificaretur, quod haec illi inprimis cara essent; postremo quum civium ipsorum voluntates hac sibi re propensiores faceret: intelligitur commoda litterarum a Ducis commodo aliena non fuisse. Quod non ideo dico, ut gloriam illius obtrectando minuam: litterae enim, quoniam ingeniis excolendis moribusque emendandis populum beatiorem reddunt, optimum quemque principem maxime adiu-

vant: dominationi tyrannicae obsunt. Is tandem bonus princeps habendus est, qui litteris potentiam suam confirmari cognoverit, non auxilio militari tutandam. Accedebat quod Albertus, tum eruditioni deditus tum viros doctos et pios colere eorumque consiliis obsequi solitus, lucem litterarum religionisque ob propriam earum praestantiam latissime propagari cupiebat flagranter: Latinae etiam linguae non modo gnarus erat, sed ea delectabatur: in eloquentia cum Cicerone et Demosthene ab aequali scriptore laudatione sine dubio liberaliore componitur. Quodsi senatum academiae Regiomontanae litteris datis monuit, ut in iis, quae ad ipsum scribenda essent, lingua uteretur Germanica, non sua causa hoc fecit, sed quod, ipso tradente, nonnulli ex consiliariis, quibuscum de iis rebus deliberabat, sermonis Romani ita erant imperiti, ut interpretandis in eorum gratiam libellis tempus absumeretur. Exemplum memorabile principis cohorte amicorum longe doctioris, in stirpe tamen Brandenburgica haud unicum: et frequentior ea aetate in aulis solida eruditio ex fontibus antiquitatis deducta, quippe quas Gallici lepores et facetiae nondum subegissent et sibi quasi tributarias fecissent. Eundem mathemata fovisse tabulae Prutenicae ab Erasmo Reinholdo confectae testantur, quae quod Albertus impensas ministravit, ut Alphonsinae olim a Castiliae rege, ab ipso nomen invenerunt: theologorum vero disciplina adeo dilecta principi pio fuit, ut non solum disputationibus publicis, sed etiam scholis professorum simul cum studiosis interesset. Nec bibliotheca eius duplex, Latina altera, altera Germanica, omittenda est, partim in suum, partim in communem usum comparata. Postremo ardorem pulcherrimum incendebat uxor Anna Dorothea, Friderici Danorum regis filia, a qua impulsum coniugem esse, ut Musis atria dicaret, et opus pium sedulo adiutum, praeter Ioannem Brissmannum Georgius Sabinus, primus universitatis Rector, carmine elegiaco testatur: ipsa ex fructibus suis partem aedium academiae exstruxit, stipendia iuvenibus nobilibus praebuit, siquem studiosorum adolescentium cultu et vestitu obsoletiore conspexerat, ad se vocari iussit, vestes donavit. Iam vero quam sapienter, quam pie, quam liberaliter se Albertus in condenda artium sede gesserit, litteris ante dedicationem propositis ipse optime significat. Nam pace Borussiae reddita, quum multa civilia ornamenta bello vel deleta vel quassata essent, iudicia, leges, disciplinam, censuram morum se reduxisse ac munivisse

dicit, divinarum etiam rerum litterarumque, quibus Deus religionis verae doctrinam includi voluerit, curam complexum: cum doctis piisque viris pensitata re ecclesiis praefecisse homines cognitione evangelii bene instructos moribusque probis praeditos: et quod posteritas habere doctores religionis non possit, nisi litterae colantur, nec sine his iura et officia civilia pleraque retineri queant, in oppidis passim scholas pueriles, ubi linguae Latinae et fidei Christianae elementa traderentur, tandem vero Regiomonte academiam constituisse, in qua et artes honestae omnes ordine et integre explicarentur, et linguae, quarum cognitio ecclesiae necessaria, discerentur. Fore multos, qui rem divinam leviter curantes, vel imperia tantum vi et armis, non religione legibusque et disciplina regenda arbitrantes consilium suum reprehendant: sibi tamen instituti rationem praeclare constare, qui primam omnium in re publica gubernanda principum curam esse debere sciat, ut cognitio Dei recta late propagetur; et subiectis, quorum egregia in periculis ipsius virtus et fides fuerit, hanc gratiam referendam fuisse, ut patriam eorum, quantum posset, bonis genuinis ornaret. „Sit magna laus Athenarum et Spartae, inquit, quod honestas leges habuerint: tamen haec maior est et servit vitae aeternae, quod in hac regione vera de Deo notitia lucet, et ut speramus diu lucebit.“ Itaque propter publicam et Borussiae et gentium vicinarum utilitatem viros eruditos et insignes, qui partim grammaticen Latinam traderent atque ad puram et nativam sermonis Romani formam in scribendo, quantum fieri posset, iuventutem assuefacerent, partim Graecae Hebraicaeque linguae auctores proponerent, partim philosophiae ac mathematum initia, iusque civile et artem medicam docerent, salariis allectos esse largioribus, quam quae per Germaniam usitata essent. Accessiones quin etiam iis pollicitus est, quos academiae plus prodesse animadvertisset: immunitates solitas promisit et privilegia impetranda, quae tamen neque ab Imperatore neque a Pontifice Romano, sed a solo rege Poloniae concessa sunt: postremo regimen morum commendat, seque ipsum hanc provinciam suscepturum praedicat, ut qui ad virtutem flecti nolint, removeantur, quod in academiis plerisque omnibus exempla cernantur eiusmodi, quae non modo scholis Christianis, sed ne ulla quidem societate civili digna videantur. Dedicatio academiae ex more perfecta: leges prudentes et humanae datae; iurisdictionis auctoritas haud exigua collata: qui

Regiomonte studia absolvissent, iis praerogativae haud spernendae concessae: sumptus quotannis suppeditatus quattuor milium marcarum, in illa vilitate rerum venalium satis munifice; hinc quarta pars convictibus studiosorum praebebatur, instituto laudabili in urbe praesertim frequentia hominum celebri, ubi etsi victus quaerendi iuvenibus sollertibus copia est, tamen quod annona haud raro incenditur, certe parvo haud bene vivitur: ingravescente annona querelis academiae permotus reditus auxit, fundosque donare constituit, quos tamen lites reformidans sibi eripi passa est: praeterea praeceptoribus domicilia dedit, eosque honoribus ita ornavit, ut ceterarum rei publicae partium invidiam excitasset, si aetatis illius candor et simplicitas invidere litteris potuisset. Nam in edictis Rectorem et professores universitatis Regiomontanae primo loco posuit, post hos dominos, nobilitatem, equitem, ecclesiastas, oppida, ceteros: privatim doctoribus ita favit, ut Stanislai Rapagellani, theologi primarii et in paucis diserti, morte audita, quamquam esset extra urbem, redux in funus procederet, locumque ei iuxta suum monimentum daret; exemplum imitatus, ut ait Sabinus, Scipionis Africani, qui Ennium honore simili dignaverat. Sabinus vero quantopere illi carus fuerit, ex documentis multis videre licet; et sane is principis amicitiam eruditione insigni meruerat: qui natione Marchicus, Melanchthonis, mox soceri sui, disciplina formatus et in Italia excultus artium liberalium et iuris peritia excelluit: Venetiisque ab Alexandro, archiepiscopo Oretanensi et Brundisino, laurea donatus et ad equestrem dignitatem evectus comesque aulae Lateranensis nominatus, ab Ioachimo Electore anno aetatis tricesimo in universitatem Francofurtensem professor eloquentiae vocatus est: mox Regiomonte Albertum in academia condenda consiliis adiuvit. Ioachimum etiam Camerarium, virum doctissimum celeberrimumque, Dux in Borussiam elicere studuit: sed ille condicionem oblatam repudiavit. Nec principis molimina et spem successus frustratus est: conventus discentium mediocris sub ipsos scholae natales confluxerat, licet undecim tantum professores essent; discordia doctorum, quae statim initio more temporum illorum exorta erat, apud senatum feliciter composita. Borussiae vero quantum Albertus praestiterit, vel me non monente perspicitur. Nam quo tempore ille sinus Baltici accolas ad litteras amplexandas invitavit, quamquam Vinricus Kniprodius, Magister equitum, saeculo decimo

quarto exeunte in oppido Culmensi scholam ad Studii Bononiensis exemplum constituerat, ab Urbano Sexto confirmatam, tamen quod ea mature exstincta est, doctores ecclesiastici et praeceptores aut ex Polonia aut e Germania arcessendi erant: quorum tanta etiam Alberto regnante penuria fuit, ut Lutherus Rigensibus Albertoque ipsi petentibus satisfacere non posset: idonei abnuebant; qui vellent, suffecturi non erant: indigenae autem in Germania litteris operam dare non poterant, nisi aut re familiari copiosi essent, aut stipendiis instruerentur lautioribus. Quid quod Sabinus in epistola ad Petrum Bembum Cardinalem, qua academiae recens conditae privilegium pontificium conciliare tentat, magnam Scythicae gentis feritatem queritur, et vix in regionibus vicinis civilem vivendi rationem legibus et disciplina imperioque retineri posse, summa laude dignum iudicans, quisquis excolere hos populos et ad Dei agnitionem et virtutis intellectum mediocriter traducere conetur: quibus in terris quod nunc artes et doctrinae florent, quod viros omni genere eruditionis praestantes, poetas, philosophos, litteratores summos genuerunt, Alberto saltem aliqua ex parte debetur. Is ferociam pristinam sensim expulit, robiginem barbariae effricuit, mentes doctrinae purioris luminibus illustravit: quod quo difficiliori perfecit tempore, eo magis populares demeritus est. Neque id omittendum duco, quod in ea potissimum urbe, quam ipse habitaret, domicilium artium esse voluit, ut in ore oculisque suis docentes discentesque versarentur, et illorum ipse disciplina et familiaritate uteretur: quo quidem studium suum planissime testificatus est. Nae illi principes litteras colere haud magnopere videntur, qui eas a conspectu suo quam longissime remotas esse vel cupiunt vel cupientibus aurem praebent, quod in oppidis modicis et doctores et discipuli commodius vivant, quod palatio ac sedi principatus libertas nescio an licentia iuvenilis non conveniat, quod corrumpi moribus improbis adolescentes possint: quae rationes etsi speciosae sunt, tamen nostra universitas litteraria docet, quantulum iis tribuendum sit. Nam vitam academicam emendari, licentiam minui, libertatem vero iustam confirmari vidimus: cetera incommoda remediis prudentibus et benevolis sanari possunt. Itaque optime factum, quod Georgii Friderici, Marchionis Onolsbacensis, pro Alberti filio Borussiam administrantis consilium, ob discordias inter iuventutem studiosam mercatoresque ortas, causam sane quam levem, scholam

Albertinam Velaviam transferendi, posthac abiectum est. Sed nirifici illius in litteras favoris optandum esset Alberto gratiam neliorem relatam fuisse, quam factum tum reperimus. Nam ixis theologorum princeps pius angebatur, Osiandri maxime, oannis Funccii, Friderici Staphyli, Ioachimi Morlini: quum lteri, ingeniosi sane neque indocti viri, theologiam Aristoteicam Luthero et Melanchthoni exprobrantes, fidem germanam Bonaventurae et Pici Mirandulani aliisque placitis mysticis fucarent; alteri Lutheri formulis serviliter addicti, quisquis ab eo vel transversum digitum recessisset, pronuntiarent haereticum: utrique litigiosi, iracundi, a lenitate Christiana et ab humanitate eo usque alieni, ut non solum acerrimo verbis pugnarent, verum etiam non multum abesset, quin armis digladiarentur; et prorsus in furorem prolapsi nulla re numen divinum placari sibique benignum reddi ac puritatem religionis conservari melius posse arbitrabantur, quam de vocabulis certando, quaestiones subtiles agitando, criminibus fingendis, adversariis condemnandis et invidia plus quam pontificia persequendis. Itaque eruditorum alii pulsi sunt, alii sponte discesserunt; Dux ipse insolenter contemptus, contumeliis affectus, in suspicionem tum apud suos tum apud exteros vocatus: postremo discidia opinionum in discordias civiles transierunt, haud sine culpa principis, qui dum turbis theologorum immiscetur, dum partes nunc conciliare et controversias componere studet, nunc in refractarios animadvertit, animos commotos benignitatisque perinde ac severitatis impatientes magis excandefecit et exasperavit. Quodsi aevi illius pietas, nostrae praesertim lentitudini composita, reverentia summa prosequenda videtur, quae rem divinam ceteris rebus omnibus anteposuerit, et contentione summa etiam adversus dominantium auctoritatem sit sustentare ausa: tamen est quod aetati nostrae gratulemur molestas istiusmodi disputationes a sacris litteris semotas, mentes illa anxietate et tristitia exsolutas, rem publicam a malis inde manantibus liberatam.

Sed revoco me a contemplatione viri, qui, ut mea opinio fert, principatum divinitus adeptus, rem praestantissimam tanta sollertia, tanta pietate, animo tam simplici, tam sincero inchoavit ac perfecit, ut bonorum omnium laude ac praedicatione sit nunquam non condecorandus. Hodie quidem iam nihil fere superest prisci et integri moris, qui saeculum illud considerantem oblectat et tenet: tempus rerum prope omnium formam et

faciem immutavit: religio cessit avaritiae, severitas gravis eleganti levitati, fides astutiis et adulationi artibusque frivolis: manserunt tamen studia litterarum et aucta sunt; manserunt viri boni, sapientes, prompti, ad pulcherrimum quodque facinus audaces, qui reducere statum meliorem possint; manserunt principes nostri artibus honestis eximie faventes: et inter tot ruinas et calamitates tamen semina iacta sunt fructus laetiores aliquando datura. Profecto res humanas numen providens ac benignum curat et gubernat, quod bona e malis, ex pernicie beatitudinem, ex servitute libertatem afferat: ut regnum Borussicum, quod tyrannidi alienae servire coactum erat, Friderici Guilelmi consiliis prorsus divinis in potentiam pristinam restitutum videmus. Idem vero non solum vires imperii et armorum gloriam recuperatas vult, verum etiam, quod multo maius est, felicitatem civium fundamentis firmis superstruere conatur, quum populo, cuius fidem in periculis suis haud minorem quam Albertus invenit, cuius utilitates a suis non seiunctas perspicit, iura legibus constituenda concedere intendit, quum rerum divinarum curam suscipit, quum artes et doctrinas liberalitate summa fovet, maiores suos aemulando non exaequans sed superans. Nam ut in Alberto solo nunc consistam, cuius humanitatem, modestiam, pietatem, fortitudinem, virtutes ceteras cum dignitate et maiestate refert, quis non intelligit, quantum illum post se reliquerit, quum in hac urbe et in his aedibus scholam nostram multo instituerit magnificentius, atque apparatu et supellectile copiosissima instrueret, non rebus florentibus et imperio confirmato, sed labante, fracto, imminuto. Cuius beneficii Regi clementissimo gratias agamus, commilitones, non verbis artificiose factis, sed innocentia et sanctitate ea, quam in ipso veneramur, sed concordia et obedientia legibus praestanda commodisque publicis sedulo adiuvandis: gratias agamus Deo Optimo Maximo, quod huic regi habenas imperii commiserit, qui et armis tueri et institutis salutaribus temperare rem publicam possit, qui privatim civibus sit exemplum probitatis, publice pater patriae optimus. Postremo vota pia ad numen summum dirigimus, ut Fridericum Guilelmum cum domo Augusta universa praestet incolumem, et quoniam sine ope divina nihil recte geri potest, ut curas illius cogitationesque omnes moderetur, denique ut pacem orbi redditam confirmet atque in salutem nostram conservet quam diutissime.

IV.

Oratio in dedicatione universitatis litterariae Berolinensis d. XXVI. m. April. a. MDCCCXVII. habita.

Quam rem longo ex tempore votis flagrantissimis expeteveramus et desiderio summo exspectaveramus, vir excellentissime, viri illustres et celeberrimi, commilitones ornatissimi; ea res in oculis nostris per homines amplissimos nunc ipsum acta precor a Deo Optimo Maximo ut scholae nostrae et rei publicae universae fauste, feliciter prospereque eveniat. Tanta enim est actus huius gravitas, tanta legis nobis traditae vis ac potestas, ut si ille bene et cum divina ope perfectus sit, si haec nunquam non religiose observetur ac retineatur, universitas nostra litteraria sit firmiter constituta, et tamdiu illaesa mansura, quamdiu rerum humanarum omnium fluxa et fragilis condicio patitur: sin memoria huius diei aboleverit, aut lex sanctissima negligatur, perfringatur, evertatur, tum demum rerum nostrarum salus in discrimine versetur. Quodsi Deo praesente haec lex sancita est, non poterit sine Deo rescindi. Dedicatur hodie litteris sedes, quae septem annis inter varias vicissitudines locum tutata experimentum sui dedit: quo die ego huc vocatus, ut quod mihi ex re videretur, paucis dissererem, simul ut Regi augusto beneficii in nos collati grates agerem, quamquam mihi tempus perexiguum concessum et quasi ad aquam dicendum est, ad sollemnium dignitatem argumenti praestantia aliqua ex parte studens accedere, religioni duco de re ulla dicere quam de ipsa instituti gravissimi ratione, qui finis, quod ingenium sit doctrinae disciplinaeque academicae, quid Rex sapientissimus in schola hac artium condenda maxime spectasse videatur, denique quid nobis factum et posthac faciendum sit, quo studii litterarum indoli voluntatique regiae optime respondeamus. Et primum ne exponam, quibus initiis causisque, postquam labe temporum et ruina civitatium, ingruente paullatim tyrannide funesta, qua non modo corpora, sed animi ipsi vincti et constricti tenebantur, mox populorum barbarorum incursionibus litterarum apud vete-

res flos laetissimus exstinctus est, universitates scholarum, ut Britannos omittam, in Gallia Italiaque ac deinceps in Germania extiterint renatisque litteris incrementa ceperint, caliginem mentibus dispulerint, religionis purioris fontes aperuerint lucemque disseminarint, postremo doctrinas plurimas sedulo excoluerint: neminem mihi arbitror adversarium fore, si nostra aetate universitates dixerim scholas potissimas aut esse aut esse debere, in quibus ut parentes ad liberos vitam, sic eruditionem solidam et scientiam pro saeculi cuiusque habitu quantum fieri potest absolutam doctores in suo genere perfecti ad progeniem adolescentem propagent. Quam vero scientiam dico, non in experientia extrinsecus petita et cognitione varia rerum adspectabilium vel sensibus subiectarum, non in rerum gestarum et placitorum notitia tradita, non in memoriae viribus vel acuminis artificiis quibuslibet ac sollertia ponendam arbitror; sed quamquam genus humanum sine sensuum adminiculo et ministerio gerere nihil potest, tamen scientia in ratione versatur rerum universarum notiones purissimas tenente, quae simplex et immortalis et aeterna caduco hoc corporis domicilio utitur, donec vinculis laxatis et carcere effracto ad sanctissimum illum, unde profecta est, sapientiae fontem revehatur. Est certe, est divinum quiddam in mentibus hominum, quod corporeae naturae nebulis obumbratum et inertia consopitum excitari atque explicari debet, ut pulchritudine insita splendeat partesque animi tenebricosas illustret. Haec vis divina potest mortales in summo sapientiae gradu collocare: haec dux virtutis, haec vitae gubernatrix: huc est quidquid agimus dirigendum. Recte igitur liberalissimus quisque haud alium scientiae finem statuit praeter scientiam ipsam, qua neque maius quidquam nec divinius invenire possis: illa vero ab opificiis artibusque quaestuosis hac ipsa re immane quantum seiuncta et segregata est, quod finem summum in sese repositum habet, quod singulas res quaslibet ab origine communi repetit et ex primis initiis colligit, denique quod nec sensuum iudicio neque opinationibus decepta causas rerum remotissimas mentis et intellectus perspicacitate scrutatur. Quapropter istos merito contemnimus nec vere eruditos iudicamus, qui aut dignitatem doctrinarum unice ex usu vitae quotidianae existimant, aut panis et parandi victus causa litteris operam dant, aut interiore cognitione neglecta res vulgares, quas oculis spectes digitisve contingas, quasi per manus tradunt, altioremque

omnem et paullo abstrusiorem naturae seu divinae sive humanae indagationem non solum vanam censent, verum etiam reddere suspectam conantur. Quae quum ita sint, satis patet quae mea sententia institutionis academicae esse debeat ratio. Etenim genuina omnis cultura animi ab auditione philosophorum inchoanda est, qui viam philosophandi, doctrinam moralem et naturalem, mathemata, litteras humanitatis et historiam tradunt: quibus tractandis mentes iuvenum tum ab illiberali studiorum ineundorum more, quem haud pauci sectantur, abducuntur optime, tum iis imbuuntur notionibus, quibus cetera omnia fundantur ac continentur. Deinde disciplina nulla ita aut docenda aut discenda est, ut materiam rudem et indigestam, neque ordine legitimo dispositam nec luminibus sententiarum illustratam, nec praeceptis ex uno fonte repetitis discipuli a doctore accipiant et memoriae mandent: neque in rebus communibus acquiescendum, quas nulla aut levissima contentione animi perspicias, sed accendendae et exercendae mentes sunt, ut ardentissimam scientiae sitim explere cupientes in cognitionem profundam penitus se ingurgitent, mox nullius ante solo trita litterarum adyta accedere et sapere nullo duce audeant. Praeterea quoniam ea hominibus natura insita est, ut ingenio libenter abutantur, et doctrinam ipsam in quaestum vertere, pro privatis commodis vel in gratiam potentum torquere sententias et huc illuc versare, postremo ambitione prava deteriorem rationem meliorem facere ament: doctori religioso nihil prius prospiciendum est, quam ut exemplo et alloquiis sensum veri et boni in teneris animis acuat corroboretque, eosque a simulatione, arrogantia, cupiditate, lucro procul avertat. Sed iam eo me delatum video, auditores, quod devitare maxime studebam, qui inciderim in argumentum tam amplum, tam copiosum, quod si persequi rite vellem, et multa mihi dicenda forent, quae vobis, praeceptoribus praestantissimis, contrita et obsoleta essent, et si plurima et gravissima dixissem, tamen nec pauciora nec minora viderer omisisse. Igitur ne scopulo huic impingar, revoco me a cursu et vela contraho. At dicet aliquis: tu quidem litteras ab omni vitae ac negotiorum communione quam longissime revocas atque in otium ignavum relegas: ut bonas, ut decoras proposueris; ita utilitatem nullam, praesertim publicam commonstras: hoc certe loco et hoc ipso die nec caute satis et parum accommodate. Ego vero ne dulcedinem Musarum edis-

seram, quam sexcenti decantarunt et adhuc decantant, primum eruditionem germanam virtutis esse magistram, et animi tranquillitatis effectricem validissimam contendo, a perniciosa ista opinione, quae probitatem a scientia seiungit, immenso intervallo dissitus. Nam litterae recte cultae vanas rerum imagines erroresque, quibus vitia originem debent, profligant et exstirpant: a curis sordidis abstractos in rerum optimarum et immutabilium contemplatione constituunt: remotos a sollicitudinibus ad sacrorum divinorum fontes limpidissimos deducunt, ex quibus solis, quid pulchrum sit, quid honestum, quid homine immortali dignum, plenissime haurias: hinc parantur opes, quae neque furto eripi, neque incendio deleri, nec casibus ullis absumi queant; hinc fides, iustitia, temperantia; hinc viri graves et constantes, qui quod fortunam spernere didicerunt, rebus adversis inconcussi, dominorum imperiis imperterriti, nulla vi ac ne mortis quidem metu intento subiguntur, ut proposito decedant. Quorum si nostro saeculo copia exigua reperta est, si humiles, timidos, ambitiosos, tyrannorum assentatores vidimus haud paucos, istos ex litterarum studio fructum optimum non percepisse, sed flosculos quosdam doctrinae aridos et steriles decerpsisse existimo. Nam ut uno verbo dicam quod sentio, haec mihi litterarum laus praestantissima et utilitas summa videtur, quod libertatem animi afferunt, qua summa generis humani bona continentur. Illam autem doctorum academicorum est in adolescentibus ingenuis excitare, ut servitus longe indignissima, qua mentes captae sunt, excutiatur, ut vita humana emendetur, ut diffugiat superstitio, religio confirmetur: quod non proprium philosophiae esse, sed a theologis iurisque peritis et medicis aeque fieri posse et debere, non est quod exponam. Quemadmodum vero litterae libertatem summam parant, ita si ipsis libertatem eripias et formulis certis praeceptores adstringas, generi humano oculum exciderís: silebunt Musae servitii impatientes; magna ingenia cessabunt: sed adulatio prorumpet; pro sapiente stultitia, postremo scelus pro virtute principatum tenebit. Et litterarum quidem flos ac libertas nulla re magis adiuvatur quam coniunctione hac doctrinarum, quae in universitatibus nostris proposita est, ubi altera alterius fructu gaudentes, omnes a communi philosophiae luce illustrantur, et necessitudine ac cognatione, quae inter omnes intercedit, vigent: quodsi unus animus est litterarum, uno corpore optime continentur. Igitur

hostis generis humani, ut litteras, ut libertatem animorum sibi periculosam opprimeret, non solum doctores disciplina rigida cohibuit, verum etiam ut dividendo imperaret, philosophiam, theologiam, iuris doctrinam, artem medicam voluit seiunctas esse, sicuti opificium textorium a sutorio et fabrili divisum est; hinc universitatem litterariam in scholas singulas locis separatas dispertivit, artesque quasi in insulas seposuit: qui nunc ipse in saxo Oceani consenescit. Porro quoniam animi iuvenum ad libertatem emergunt difficilius, si quidquid discendum et agendum est, imperatur, et vita universa metu magistri cohibetur; in Germania universitatibus scholarum libertatem etiam vivendi quandam, quam academicam vocare solent varieque atque interdum deterius interpretantur, concessam videmus: sibi quisque, cui se doctrinae applicet, quo mentem alat, quam sectam vitae instituat, eligit: pro obsequio militari, quod idem ille tyrannus Corsus adolescentibus studiosis iniunxerat, paternis consiliis imperioque iurisdictionis auctoritate confirmato reguntur: denique nos parentum loco sumus; vos, commilitones carissimi, non tam discipuli quam familiares ac liberi, qui ut a libertate nomen invenerunt, sic debent liberaliter haberi. Sed licentia comprimenda: si fieri potest, admonitione et hortatu; sin minus, articuli tumidi vel tabe insanabili affecti ferro resecandi sunt. Iam ita instituti et exculti ubi ad rem publicam artesque honestas exercendas accesseritis, fructus eruditionis per vos sunt spargendi et in beatitatem quum civitatis ipsius tum singulorum proferendi: libertas animorum, quam bona res publica maximi facit, quod sine illa ne civilis quidem retineri potest, disseminanda; numinis cultus genuinus promovendus; dotes animi, cui vires corporis serviunt, explicandae; propaganda iustitia, aequitas, virtus universa; miseria generis humani, inscitia, inopia, imbecillitas corporum, vis morborum aut propulsandae aut levandae. Ex vobis, etiam bellica nuper gloria insignibus, iam pacis ornamenta petentur. In quibus negotiis utilissimis utinam ne a recto itinere, quo nisi me omnia fallunt, contendere penitus imbibistis, deflectatis unquam, commilitones; utinam ne exhortationis nostrae immemorem ambitio, avaritia, malae artes transversum quemquam agant. Nolite oblivisci, quod homo non in umbratili vitae genere educatus, non rerum gerendarum imperitus, sed rem publicam et fortunae vicissitudines expertus, quod Tullius aetatem exercitam et occupationibus deditam emen-

sus dicit: Est unus dies bene et ex praeceptis philosophiae actus peccanti immortalitati anteponendus.

Sed Regem sapientissimum, quum artium sedem, quae hodie dedicatur, conderet munifice et supellectile sat ampla instrueret, accepimus nihil aliud propositum habuisse, quam ut viribus armorum fractis et comminutis, imperii finibus dimidio angustioribus, re publica hosti atrocissimo obnoxia malisque innumeris vexata et afflicta, animi vires, quibus omnia vincuntur, excitaret, confirmaret, corroboraret: quo quid prudentius, quid liberalius, quid rege magis dignum excogitari potest? Quem finem quum nos spectaremus, fere eo operam nostram direximus, quo esse dirigendam paullo ante exposui: ne iuvenes curae nostrae commissi artes bonas loco opificiorum quaestus causa exercendorum haberent; ut ad cognitionem sublimem erigerentur; ut generosa consilia caperent alerentque; ut pietate, caritate patriae, legum verecundia imbuerentur; ut et modesti, et ubi opus est, fortes essent; denique ut in suo genere quisque talis esset, qualem esse debere significavi. Et favit coeptis fortuna; disciplina nostra vel primis annis iuventutem frequentem allexit: qui bello mox avocati virtutem suam facinoribus egregiis comprobarunt. Illorum pars maxima fama nunc fruitur; ad quadraginta in proeliis aut laborum vulnerumque vi mortem honestam obierunt, quibus vos quotannis decore summo inferias fertis, nos tandem aliquando monimentum excitabimus, quo exemplum praeclarum posteritati tradatur. Neque illos solos lugemus: non vident diem hunc faustissimum Willdenowius, Fichtius, Reilius, Klaprothius: haec lumina litterarum, quorum nomen per ora hominum volat, memoria pectoribus nostris consignata est, invidit nobis fortuna, vel ipsis hunc diem. At quamdiu res publica ex alieno arbitrio pendebat, precariam inter hostes animam ducebamus: quum Germanorum libertas inchoata est, tum demum res nostrae sunt securitatem nactae. Igitur bellis exactis laetius efflоruerunt, nec metuendum est ne concidant, dum hoc rege gaudemus, litterarum bonarum libertatisque et honestatis vindice et conservatore constantissimo; dum tu nobis praees, vir excellentissime consiliorum regiorum minister, qui cura tam benigna et prudenti scholam nostram tutaris ac protegis; dum nosmet ipsi et vos, commilitones, in officio erimus. Scio quaedam nobis obstare, quae, si velim, dicere possum: nec vereor offensionem, quum inter nos dicam, et si-

nulationem omnem ab oratoris dignitate procul esse puto: sed nolo hoc die quidquam gravius tristiusve dicere. Eruditio quidem nostra nemini obest; et in urbe regia litteras habitare et urbi et litteris conducit: urbi, ne docti censeantur, qui indocti sunt; litteris, ne lateant. Num vero vires animi rebus pacatis minus valent quam turbidis? num imperio restituto inutiles consopiri debent? Immo acrius intendendae et exercendae ipsae sunt. Quid enim? Nonne res publicas plurimas pace languida torpuisse et segnitia esse labefactatas scimus? Quod ne accidat, est civitatibus cavendum maxime. Itaque ut Domini nostri clementissimi consiliis, quae mihi videor rectissime interpretari, satisfaciamus, viam quam ingressi sumus, sedulo debemus persequi, et quibus artibus Borussia semper eminuit, ac Friderici Magni, libertatem animorum insigniter tuentis, exemplum illustre sibi ante oculos proponens posthac eminebit, earum luce patriam illuminare civiumque felicitatem adiuvare. Vos autem, commilitones, quam legibus obedientiam, quam litteris industriam hucusque praestitistis, porro praestate. Quae si hodie religiosissime pollicemur, gratiarum actionem Regi optimo gratissimam esse factam arbitror.

Quod autem pignus carissimum voluntatis regiae per manus viri eximii traditum accepimus, id superest ut videamus quomodo traditum sit. Quam rem ingressurum non ab re fuerit memoriam temporum explicare, quo intelligatur, quibus maiores caerimoniis scholas ut templa, ut urbes, ut colonias inauguraverint, et quo opposita iuxta se posita magis illucescant. Itaque ne peregrina consecter, ex familia nunc regia Fridericus Tertius Elector, qui mox primus rex Borussiae extitit, Regis nostri atavus, principum novissimus est, qui universitatem litterariam condiderit: cuius dedicationem quadriennio post Christophorus Cellarius iussu Principis in litteras rettulit, ut quibus curis et studio quanto academia Halensis inchoata et perfecta esset, apud posteros constaret. Quae dum lego, obstupui; nec possum, quin inde quaedam depromam: quodsi vellem omnia pro rerum magnificentia exponere, diem dicendo absumerem. Nam postquam Elector, etsi bello omnia personabant, convocatis magistris compluribus, ex equestri ludo, quem parens Halae condiderat, agitatam olim Alberti Cardinalis mente academiam instituit: quum ex aquis Carolinis Berolinum redux ad Halensem urbem pervenisset, miratus numerum adolescentium sibi per officium obvio-

rum, consilio maturato privilegiisque Caesareis impetratis, quod nihil iam operi novo deesse videbatur quam ritus sollemnis et religio consecrationis, apparari iussit, quibus splendide inauguraretur. Calendis Iuliis, ipsis Principis natalibus, academiam Fridericianam more antiquo dedicatum iri edicto lingua utraque proposito divulgatum est, additis causis, quae Principem ad novam artibus sedem statuendam impulissent, locique opportunitate commendata: Ordines Magdeburgici, quorum posthac eximia in schola et dedicanda et conservanda liberalitas fuit, litteris singularibus admoniti: ceterae universitates Brandenburgicae a Concilio professorum invitatae, ut mitterent qui conditori gratarentur, scholae recens natae bene precarentur. Porta triumphalis a studiosis exstructa, ornatu eleganti, cum statuis, insignibus, tabulis, inscriptionibus. Die appropinquante, confluentibus undique sollemnium spectatoribus testibusque, ex vicinis maxime academiis, praemissi ex aula, qui apparatum et pompam militarem instruerent. Tum Electori una cum lectissimis ministrorum, ex quibus Paulum Fuchsium, oratorem Principis, Ludolphum et Everardum Dankelmannos, et insigne illud litterarum decus Ezechielem Spanhemium nomino, et cum Ordinibus provinciae inter aeris campani sonitus et tormentorum Magdeburgo advectorum tonitrua musicosque concentus splendido agmine urbem ingressuro obviam fuerunt equitatus iuvenum nobilium circiter centum et quinquaginta, strictis gladiis, ut, quae Cellarii verba sunt, aeque se a Martis quam ab Apollinis disciplina paratos comprobarent, et professores cum Senatu urbano ac sacerdotibus. Die gaudiis peracto et nox laetitiae data Principisque venerationi, symphoniacis concentibus Electori et Philippo Guilelmo fratri ductis. Primus Iulii dies erat dominicus: summo mane sacra in templis peracta; postea omnes spectaculo intenti. Et hora nona Elector ex palatio in collegium academiae vectus ibique a professoribus exceptus est: inde classibus decem distributum agmen immensum, eximie magnificentissimeque instructum, totidem praeeuntibus caduceatoribus duarum horarum spatio in templum arcis deductum est; cohors militum a fronte: alia agmen claudebat. Ibi dedicatio peracta, assidente in tribunali ornatissimo Electore cum fratre et ministris aulae primariis, comitibusque insignia portaturis ac professoribus decore amictis eorumque ductoribus: post sacra a Beniamine Ursino, concionatore Principis facta Paulus Fuchsius oratione facunda inter ritus

varios, afferentibus, ut quaeque postulaverat, insignia comitibus, academiam inauguravit; Prorectorem in cathedram vocatum purpura induit sceptrisque ornavit, privilegiis, clavibus, albo, sigillis traditis, insignibusque singulis apte explicatis. Dein sacramentum dictum: Prorector gratias egit: campanarum sonus, fragor tormentorum caelum implebat. In foro nummi sparsi in dedicationis memoriam forma triplici percussi, et vinum fonte gemino plebeculae profusum, dum in templo numen venerantur. Post quae mille ducenti in palatio epulabantur, doctores ordinarii cum Electore et fratre legatoque Caesareo, alii cum comitibus et aulicis, et suis in triclinüis Ordines Magdeburgici; universe autem ad tria milia hominum illo die Electoris munificentia excepti. Postridie in aede Mariae doctores et magistri tres et quinquaginta creati sunt; digressoque postea Principi in publicatione privilegiorum Christophorus Cellarius iterum egit gratias. Nihil dico de libellis gratulatoriis, epistolis, carminibus.

Cuius igitur rei causa haec commemoravi? An ut comparatione sollemnium gravissimorum elevem haec nostra? An ut litterae nunc contemni et despici ex horum tenuitate videantur? Minime vero: neque enim sine summa iniuria dici quidquam istiusmodi potest. Sed illa tum ex illius aetatis ingenio et more illorum hominum acta neque inepta censenda sunt, quum sint pia et decora, nec tamquam unice recta suspicienda, quae a principe sint gesta ut bono et litterarum amantissimo, ita sumptuum et pomparum haud dubie nimio. Nos quidem vidimus apparatus superbissimos brevi dilabi: res adversae modestiam docuerunt, rerumque veritatem specie inani potiorem iudicare. Ac siqua species hodieque praetenditur: quamquam ne aula quidem tanta munera edit: certe a schola eruditionis ostentationem quamlibet malueris abesse. Quocirca si excusatione ulla eget sollemnium horum simplicitas pura; habet in dignitate litterarum et sapientiae, habet in Domini nostri modestia singulari et ab omni fuco prorsus aliena, habet in viri excellentissimi, qui res nostras curat, indole regiae mentis simillima. Deus illis conservet hanc rerum aestimationem rectam: Deus conservet Fridericum Guilelmum, Patrem patriae, universitatis nostrae conditorem, cum domo Augusta universa, nobisque et rei publicae praestet perpetuum bonorum omnium auctorem et conservatorem.

V.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXVII. habita.

Quotiens mihi in nataliciis Friderici Guilelmi, Patris patriae, verba facienda coram vobis sunt, viri excellentissimi, illustres, generosi, collegae et commilitones dilectissimi; totiens mentem meam curae tam anxiae distringunt, ut muneris huius magnitudinem recte arbitrer aestimare neminem posse, nisi cuius eadem ac mea condicio fuerit. Quamquam enim expeditum et iucundum est, Regis et rei publicae Borussicae virtutes celebrare, cui rei nunquam non materia suppeditat; tamen necessitas, quam diei faustissimi religio iniungit, si sensus vestri et vota pro Rege optimo suscepta singulis annis ab uno eodemque interprete explicanda sunt, facile potest dicentem confundere, quod aut omittere, quae ei iamdudum potissima videantur, aut pridem dicta plus semel repetere, omnemque illam, quae novitate comparatur, orationis gratiam perdere cogitur. Quod ubi profiteor, nemo ita dictum accipiet, ut in Friderico Guilelmo negem multarum variarumque laudum copiam uberrimam extare: sed natura ita comparati sumus, ut fere alii aliis artibus magis delectentur atque capiantur, unusquisque vero ad ea, quae ipsi imprimis placeant, acrius quam ad cetera animum intendat, illa studiosius consideret admireturque, illa spectanda et suspicienda audientibus proponat: unde fit, ut in principibus multiplici praedicatione dignis iidem diversis annis ad eadem recurrant, diversi pro suo quisque ingenio aliam sibi partem sumentes eodem tempore plane dissimilia expromant. Me vero, cui honos amplissimus obtigerit, ut in suggestu hoc publice orator Senatus constituerer, si sollemnibus his sanctissimis mea voce celebrandis hodie quartum accinctus, ut illud, quod significavi, seu vitium sive incommodum devitem, a Rege nostris praeconiis longe superiore aliquantum discessero, haec una excusatio satis tuebitur, quod Plinius Traianum semel laudavit. Quid quod huic ipsi diei Principique tum rei divinae tum litterarum feliciter constituendarum auctori haud inconveniens videtur, iam nunc memoriam maximae

llius rei occupare, a Domini nostri maioribus gloriosissimis insignier adiutae, cuius tertia saecularia hoc anno suo tempore rite ›bituri sumus: instaurationem dico et emendationem doctrinae, idei, religionis Christianae, qua ante hos trecentos annos orbi iniverso et praecipue Germaniae nova affulsit lux tanta, quanam post Christum natum mortales non viderunt, quamque obtegi iut exstingui nunquam posse mecum censeo vel omnes vel plu·imos iudicaturos. In quo argumento sane praeclaro, quamvis perspiciam nihil a me aut exquisitius aut reconditius dici posse, quin tot tam diligentium scriptorum sit industria sollertiaque exhaustum, tamen eo versor libentius, quod illud non solum studiis meis, verum etiam litteris ipsis et institutionis publicae rationi coniunctissimum esse intelligo, vobisque omnibus, vel iis qui Lutheri disciplinae addicti non sunt, spero haud ingratum futurum. Neque enim hanc Camarinam movebo, ut in controversiarum campum descendam et disceptationes subtiles et spinosas agitem; sed doctrinae capitibus, quae theologorum propria et peculiaria sunt, relictis ea potissimum conabor pertractare, quae minimam in se invidiam habent: bonae artes quid ad ecclesiam purgandam profuerint, quid ecclesia emendata artibus praestiterit, vestra fretus facilitate, quam saepius expertus sum, paucis exponam, de ceteris tantum additurus, quantum sufficere ad rerum aestimationem videatur.

Itaque ut in ipso exordio sententiam meam breviter perspicueque ponam, auditores, nec sine litteris praecepta evangelii in diem proferri, nec sine institutorum sacrorum correctione disciplinas artesque ita, ut postea factum est, excoli potuisse contendo. Nam ubi priora tempora mecum recognoscetis, ut illi aetati, quam nec contemno et iusto modulo metiri mihi videor, magnas virtutes et homines tam cetera eximios quam pietate egregia insignes non defuisse non negabitis; ita ecclesiae ruinam et calamitatem nulla re magis esse adductam quam ingruente rerum optimarum ignoratione ac barbarie concedetis: quum ii, qui eruditionis ex antiquitate traditae statores esse et conservatores debebant, antistites caerimoniarum et sacerdotes, in tantam prolaberentur inscitiam, ut neque de divinis nec de humanis rebus iudicium iis ullum constaret, ut sermonem Latinum multis patrium paullatim dediscerent, nonnulli vero ne prima quidem litteratura, quam pueri sexennes callent, essent imbuti, nec formulas precesque, quas recitarent, intelligerent: haud sine

culpa Pontificum, ex quibus aliquot non modo litteras spernebant ac fastidiebant, sed sanctitatem cum imperitia quam cum sapientia melius convenire arbitrantes, quidquid eruditionem redoleret, impietatis crimine damnabant ac religioni periculosum perniciosumque censebant, sicuti principes indocti regnorum securitati a litteratis metuere solent. Et sane si religio nihil a superstitione differt, illi cultura animi, quae hanc dispellit et evertit, haud mediocriter obest: sin pietas genuina ab recta divinae humanaeque naturae cognitione seiungi non potest, doctrinae lucem religio non detrectabit. Quodsi ecclesiae ministri artes liberales diligenter coluissent, ingenia studiis praestantissimis formassent, aluissent, exercuissent, profecto neque institutiones divinae tot humanis placitis exornatae, tot praestigiis fucatae et oneratae, denique formulis tam molestis conclusae et constrictae essent, nec mortales quum ad libertatem nati, tum ex superstitionis vinculis Christi ipsius disciplina vindicati novam et intolerandam servitutem animorum subissent, qua eos neque scholae iam a Carolo Magno instauratae, nec scholastici philosophi opinionibus receptis partem maximam capti exsolvere potuerunt. Plus quam illis debetur ipsis Christiani nominis hostibus Turcis, qui Graecia capta et expugnata Constantinopoli eruditos in Italiam pepulerunt, quibus per quosdam quasi exploratores prius eo profectos via erat patefacta. Tum linguarum studia, Graecae maxime diffusa: et fari quae sentirent Itali docti, ex quo Petrarca, Boccaccius, Laurentius Valla, Leonardus Brunus Aretinus, Poggius Florentinus, Nicolaus Perottus, Franciscus Philelphus, Angelus Politianus, alii viri industrii et ingeniosi partim fontes antiquitatis aperuerunt, partim sermonis puritate reducta, elegantiam stili et eloquentiam ostenderunt. Aristotelicam vero theologiam, cui ars scholastica adhaerescebat, Platonicorum secta tum primum perfregit, per Georgium Gemistium, Bessarionem, Marcum Musurum, Ioannem Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum et academiam Platonicam ita firmata et aucta, ut decora Italiae clarissima et nobilissima in partes suas traheret. Accedebat typographia recens inventa, cuius adminiculo optimus quisque liber late disseminabatur, excogitata citius quam voce, quae tamen alata dicta, vel in remotas portabantur terras. Neque universitatum institutum, quarum numerus haud exiguus saeculo quinto decimo emersit, quamquam scholasticorum tenebris obscuratum, plane tum inutile fuit, quod iuvenes ingenti frequentia

ongregati, si quis insignior magister extitisset, melioris disci-
linae semina apud suos spargebant. Quae res quantum ad
loctrinae sacrae emendationem contulerint, prosperosque tanto
ncepto paraverint successus, partim Lutherus ipse testatur, par-
im certis argumentis et indiciis potest colligi. Nam ille qui-
lem in coenobiis et universitatibus linguas ideo non excultas
lim asseverat, ne imperium daemoniacum detrimentum caperet
iusmodi, quod haud facile sarciretur; unde factum esse, ut ne-
que Latine nec Germanice scribere possent, et sermone atque
vangelio corruptis ac ratione prope ipsa exuta haud procul a
eluis essent: sed divina providentia Graeciam esse in barba-
orum potestatem redactam, ut Graeci profugi ac dispersi pa-
riam linguam ad exteras nationes propagarent, ut aliae etiam
linguae addiscerentur, postremo ut evangelium patefieret: neque
enim afflatu et aura divina omnia perfici, ut erant qui arbitra-
rentur: certe sibi, nisi linguarum fuisset praesidio instructus,
licuisse quidem pio esse et pro corona paucorum contionari, non
Pontificem et sophistas perdomare. Idem Aristotele explodendo
satis declarat non minimum ecclesiae commodum conciliari. Ipsi
vero illi litterarum restitutores auctoritatem pontificiam et sacer-
dotalem castigata morum perversitate elevaverant: Dantes Ponti-
ficum larvas delictorum poenas luentium, ecclesiam squalore
horridam, flagitiorum pondere obrutam apud inferos monstrat:
lenis ille Petrarca primus aulam pontificiam Babylonis nomine,
quod postea haesit, per opprobrium significat, et Romam se,
miseriae sedem ac seminarium erroris, reliquisse dicit nunquam
rediturum: alii carminibus haud inficetis vitia sacerdotum per-
stringebant. Et excudendorum librorum artem Pontificibus ipsis
esse damnosam visam, in illa praesertim scribentium licentia
multo quam nunc maiore, videas ex edictis, quibus dicendi ac
sentiendi libertatem in ipsa Germania, ob scripta quaedam apud
Magdeburgenses, Agrippinenses, Treveros, Maguntinos divulgata
iam saeculo quinto decimo exeunte callidius quam rectius sunt
coercere conati.

Sed apud populares nostros litterae, quae per viros in Ita-
lia excultos, et maxime per Rudolphum Agricolam olim erant
stabilitae, ad fontium sacrorum intelligentiam accommodatae a
Reuchlino et Erasmo sunt, quorum alter Hebraica docuit, alter
non solum de libris novi foederis pro illius aetatis habitu optime
meritus est, verum etiam scholasticas tricas multis pridem invisas,

sensim et pedetentim removit, ac stultitiam temporum sale perfricuit, ipse magnus sine dubio ut studiorum, sic rerum sacrarum reformator futurus, nisi iocari quam serio agere, et prae ambitione ac timiditate gratiam potentum aucupari suaque consilia ad aliena componere, quam simplici ac forti animo, quae sibi recta viderentur, dicere praetulisset: quo factum, ut neutris placeret. Iam autem quum sacerdotum et monachorum inertia, luxus, avaritia, libido omnium adspectui paterent, in ipso Concilio Lateranensi Ioannis Francisci Pici oratione luculenter descripta, quum praeterea Germanorum principes tributa a Pontifice exacta ferrent aegerrime, ac summis ecclesiae magistratibus Deum Christianorum Iove, Christum Apolline et Aesculapio, Matrem Virginem Diana non potiores haberi testimoniis locupletibus constaret: novis rebus feliciter moliendis nihil fere deerat nisi occasio opportuna, quam quaestores Leonis et Cardinalis Alberti aerariis per omnes provincias constitutis et contionibus impudentissimis praebuerunt, et homo audax divinitus excitatus, qui sese in hoc discrimen dare non vereretur. Is fuit Lutherus, vir non in deliciis educatus, sed duram pueritiam et adolescentiam exercitam expertus, qui parvo beatus, ambitione liber, constans mirifice, idem diligens, strenuus, promptus, quod neque honores neque opes concupiscebat, nullis illecebris, nullis minis, periculo nullo demoveri de incepto labore potuit: sanctitate et iustitia Socrati et Aristidi similis, tot principum amicus obiit pauper, qui esset pauper natus. Sed pietatem eius aequabat vis dicendi cum copia et suavitate coniuncta; orationem eius, vernaculam praesertim, acrem, vehementem, effrenatam, animi et terroris plenam vix capit nostrae aetatis enervis et delicata elegantia atque modestia, nec mireris esse hodie qui carpant. Et eruditionis inerat quantum satis videbatur: ac discebat quotidie aliquid, quodque deesset Philippus subministrabat; cui quum quidam grammaticen exprobrasset, sese Lutherus, ubi grammaticus ille aliter iudicasset, de sua sententia haud aegre decedere palam professus est: mirum quantum discrepans a Gregorio Magno, caerimoniarum constitutore, qui Desiderio Galliae episcopo exsecrabile hoc delictum obiectat, quod sacerdos quosdam grammaticen docuerit. His artibus unus vir, philosophiae et theologiae magister, divina confisus ope, non solum Caroli Imperatoris, in cuius finibus sol non occidebat, cui Franciscus Gallorum rex, principum tum potentissimus, armis obsistere non

potuerat, cupiditati impotenti usque obstitit, sed etiam Pontificis, qui sibi Dei ipsius videbatur vicarius, fregit imperium, et magnae parti primum Germaniae, mox Europae suam quasi inspirarit animam, rerumque omnium faciem immutavit. Ille cunctis, qui mentis viribus opus arduum moliantur, exemplum admirabile virtutis pervicacis proposuit; quod si spectaverit, quis tanta magnitudine non commoveatur, nullamque ei statuam, nullam columnam statui posse arbitretur, quae rerum ab ipso effectarum amplitudini et fructibus respondeat? quis est, obsecro, quin intelligat, animo forti nihil non esse pervium, neque eius impetum terroribus obsoletis reprimi aut frangi, sed impedimentis ipsis magis firmari et augeri? Nam ex quo Lutherus periculis obiici coeptus et damnatus est, certius in amicis praesidium habuit, quum principes aliquot, plures optimates, populus prope universus intelligerent, non unius viri, sed Germanorum rem agi, quorum ille se commodo natum rectissime praedicabat; quandoquidem adversus pontificiam dominationem certamen pro libertate instituerat si non maius, certe fructuosius, quam quod nostro saeculo Germaniam ab imperio Gallorum vindicavit: nec dubium est quin nova doctrina patriam universam fuerit occupatura, nisi multis in locis ferro ac flammis esset in homines pios animadversum. Attamen in hoc aetas illa excelluit, quod siquis in alia civitate afflictus esset, effugium in alia patebat: quo libertas iusta confirmata est atque id effectum, ut principes minus auderent, quam reges Asiae socors inter servos imperium exercentes. Quae res quantum Luthero profuerit, nemo non videt. Etenim si, ut mea opinio fert, tanta rerum conversio perfici ab homine summisso et humili aut nutus potentum timide aspectante non potuit; si ferocia quadam opus fuit, quam in Luthero constat tantam fuisse, ut Deo se plus censens quam mortalibus vel diadematis dare debere, ne regibus quidem parceret, et ipsi Friderico Sapienti, principi in rebus sacris minimum sibi arroganti, sed cuncta fere ad doctos theologos, quum ceteros tum academiae Vitebergensis remittenti, non in omnibus obtemperaret: profecto ille prius oppressus esset, quam operae pretium fecisset, si gravius liberiusve dictum quodvis malitiose esset in maiestatem versum. Et fuerunt sane ac sunt hodieque, qui Luthero eiusque disciplinae seditiosum quiddam affinxerint. Quibus quid displiceat, perspicio. Nempe istos pungit, quod dominos ille, ne subiectos divexarent, stilo paullo rigidiore ad-

monuit, quod iura populi tutanda, quod servitium animorum excutiendum suscepit. At idem quantopere plebem ad obedientiam magistratibus praestandam cohortatus sit, motus turbulentos et licentiam aratorum castigarit, populare imperium perstrinxerit, non est quod iis exponam, qui ipsius scripta legerint.

Iam ubi quaeritis, auditores, quid sit quod cultui ingeniorum magnam ecclesiae emendatione utilitatem allatam iudicarim; ut taceam de lingua vernacula per Lutherum egregie formata, hac una responsione satisfacturum me censeo, si puritate religionis reducta dixero superstitionem pulsam et liberam de rebus gravissimis disquisitionem generi humano redditam esse. Quid enim litteris infestius quam superstitio? quid studiorum alacritatem magis retardat, quid mentis aciem magis obtundit, quam auctoritas imperiosa, in qua si acquiescere assuefactus sis, iam non opus sit ut ipse anquiras? Superstitio Socratem, quo nemo veterum ad rectam Dei cognitionem propius accesserat, impietatis accusatum veneno necavit; Anaxagoram, qui primus fere de mente mundi gubernatrice philosophatus est, quod ei de sole aliud atque Atheniensibus placuerat, eodem crimine circumventum in exsilium eiecit; caelestium globorum ordinem a Copernico indagatum Romanae curiae decreto confixit; Galilaeum Galilaei, naturae arcana alte scrutatum, ad carcerem condemnavit et in secessum relegavit: denique tot viros sapientes innocentesque omnis generis cruciatibus ac poenis tradidit. Quid vero auctoritas hominum? Nonne qui ea se constringi et teneri patiantur, aut leves et animo imbecillo, aut rudes atque imperitos, aut simulatores videmus esse? Quae quum ita sint, ea ecclesiae constitutio necesse est litteris conducibilis sit, in qua auctoritatem hominum impune liceat defugere, sacros fontes adire et examinare, postremo de natura rerum divinarum et humanarum libere sentire. Cuius generis disciplinae quantopere iuventutis erudiendae cura impensior coniuncta sit, non solum ex re ipsa patet, sed etiam temporis, quod insecutum est, experientia comprobatur. Quapropter Lutherus nihil antiquius habuit, quam ut principes urbesque ad scholas condendas incitaret: neque enim civitatis vires et salutem tantum in opibus colligendis, in aedificiis elegantibus, viis, pontibus, aggeribus magno sumptu constructis, in castellis moenibusque, in armamentariis telorum et tormentorum ac thoracum refertis, quibus copiis ubi mali aut ...olidi homines uterentur, maior afferretur pernicies quam com-

odum, sed multo magis in civium bene educatorum honestate, rudentia, eruditione positas esse, quibus et parari divitiae et ecte collocari possent: quod quum Romani intelligerent, pueros Graecis Latinisque litteris artibusque liberalibus ita instituendos urasse, ut magna seges virorum sollertissimorum variaque doc-rina instructorum proveniret, atque in uno milite plus reperietur litterarum, quam in cunctis Germaniae monachis, sacerdotibus, episcopis in unum collectis. Itaque quod ferendum nullo nodo sit, ut res publica stipitibus caudicibusque pareat, in ea praesertim saeculi felicitate, qua iam effectum sit, ut decem et octo annorum adolescentuli eruditiores evadere possint, quam qui viginti vel quadraginta annos olim in disciplina coenobiorum aut universitatum cum summo morum detrimento consumpserint: studia liberalia, poetarum lectionem, historiae et linguarum cognitionem, Latinae Graecaeque et Hebraicae, commendat sapienter; quibus neglectis non modo evangelium amitti ac pessumdari, sed eo posse perveniri, ut nec Latine neque Germanice loquendi ac scribendi facultas supersit. Quod viri providentissimi iudicium aequalibus nostris in memoriam revocari eo magis necessarium videtur, quo plures nostra aetate sunt, qui antiquas litteras aut negligant aut contemnant, nec quidquam putent esse ineptius, quam siquis Latine vel dicat vel scribat. Enimvero quum Lutherus, homo vere Germanus, sibi istos omnino non probari diserte pronuntiet, qui uni tantum linguae censeant operam dandam: in hoc saeculum vereor ne eiusdem viri verba illa gravissima brevi casura sint, quandoquidem Latinus sermo his in terris iam nunc ita obsolescit, ut prope ad barbariem inclinari aevum videatur. Sed ut revertar eo, unde digressus sum, quoniam rerum sacrarum correctione acciderat, ut coenobiorum ab iis, qui ibi latuerant, relictorum immensae opes sine domino essent, ne tantae copiae piorum hominum benignitate olim legatae a principibus optimatibusque, qui eas appetebant, dissiparentur, iisque addicerentur, ad quos minime pertinerent: Lutherus voluit, ut partim egentibus heredibus eorum, qui illas donaverant, restituerentur, partim inopiae civium sublevandae, partim sacris administrandis et praecipue scholis condendis instruendisque destinarentur: quo nihil aequius neque utilius fieri poterat. Cui consilio si omnibus et locis et temporibus esset religiose obtemperatum, non tam multae scholae tanta tenuitate

laborarent. Id vero Fridericum Guilelmum, Princi
mum, nuperrime fecisse, non sine laetitia commemo

At ne cui nimium agere laudatorem videar, n
quae mala ex illo motu post Lutherum communem
vaserint. Vere loquar, auditores. Discidium opinio
bellorum atrocissimorum fuit, quibus Germania unive
est, litterae ipsae recens natae graviter afflictae sunt
tes et inimicitiae inter cives unius rei publicae, un
oppidi exortae: damnum irreparabile imperio German
tum, qui ex illo tempore nunquam fere solida fide in
sum coaluerunt: exteris nationibus seu hostibus sive
amicitiae terra nostra praedae data. Sed ubi rerum
sine ira et studio expenderis, non in Lutheri sectatores
coniicies, qui nullum in discordia civili commodum ha
sed in Pontificum et Imperatorum pertinaciam, novam
nam ferro et igni funditus exstirpare nefario conatu moli
Illi pro ara et focis pugnabant: his supervacaneum erat
mia potentia dimicare. Illi aequam omnibus libertatem
labant: hi nihil de iniquissimis condicionibus remittebant
nim quamquam initio turbarum ipse Leo, qua fuit lenitate
therum etiam laudaverat, postea omnes huius sectae prosc
runt et diris acerbissimis exsecrati sunt: nec quid tempo
dandum esset, quid novus ingeniorum habitus postulare
animum inducentes, Germanos vero, quos Itali tum, ut n
Galli, bestiarum loco habebant, contemnentes, resistere a
humani cursui, et vi prosternere obnitentes constituerunt.
isti magnopere falluntur, qui novarum rerum impetum suppl
aut obiiciendis obstaculis eludendum putant: mollibus cons
magis retinetur. Hoc docet historia, optima prudentiae civ
magistra et vates veridica, modo ne ei, ut Apollo Cassandr
libido et cupiditas hominum fidem demat. Sed haec tum
acta nunc frustra est muliebri lamentatione deplorare, neque
iis, qui Brandenburgicae domui parent, convenit, cuius pars hat
exigua inde a principio Lutheri coeptis eximie favit. Nam et
is ipse, qui religionum reformatorem indulgentiis per Tezeliur
vendendis excitaverat, ex eadem hac familia fuit; etsi Ioachi
mus Primus Elector Lutheri doctrinae tam acriter adversabatur,
ut eius coniux evangelicae disciplinae addicta capitis periculum
exsilio devitare cogeretur: tamen qui in Franconia regnabant
Brandenburgici cum Alberto Magistro equitum hanc sibi sectam

iature elegerunt, quorum exemplum Ioachimus Secundus Elector ostea secutus est: neque humanitus, sed divino consilio videur factum esse, ut imperium Brandenburgense ecclesiae emenlatione maxime augeretur. Dicam aliquid pinguius, sed fortasse ero haud dissimile: non minora nomen Brandenburgicum Luhero et pontificii imperii in Germania labi debet, quam exercitibus ducibusque fortissimis, quum magna pars terrarum ipsi parentium in episcoporum olim aliorumque dominorum ecclesiae coniunctorum potestate fuerit; quum Borussia ipsa non multo post inchoatam rerum sacrarum instaurationem in principem Brandenburgensem cesserit, quum Halberstadiensis, Magdeburgensis, aliae plures diciones mature a sacerdotibus ad Electorem sint translatae: ne eas terras commemorem, quae nostra aetate comparatae sunt. Postremo quasi quodam fato loci prope omnes, quos Lutheri vita insignes reddidit, nunc nostri sunt: Islebia, ubi natus, Erfordia, ubi excultus est, Viteberga ipsa, ubi docuit, unde orbem terrarum luminibus clarissimis illustravit.

Hoc autem saeculo, postquam irae illae acerbissimae iamiam deferverunt, suspicionesque remotae sunt, quibus diversae sectae sese invicem persequebantur, Friderici Guilelmi imperio lenissimo utriusque religionis populi fraternis animis iuncti continentur. Qui quum re publica viribus armorum restituta res sacras cura potissima amplectatur, atque ipse pietatis exemplum ac specimen eximium sit, non haec, ut apud multos, lentitudo est, sed aequitas et ratio, quod neutros magis diligit, neutris maiorem fidem inesse censet, nec sensus animorum ullis vinculis constringit. Quid quod Pontificem ipsum demeruit, qui quantum Friderico Guilelmo tribueret, Palatinis copiis pristinae sedi reddendis sit haud obscure testificatus? Neque tamen Rex noster patitur, ut commoda ecclesiae emendatione parta dilabantur aut deminuantur, qui ceteris virtutibus suis hoc addit, quod litterarum studia artibus et disciplinis colendis, et omnis generis scholis partim condendis partim lautiore apparatu augendis excitat et confirmat. Cuius liberalitatis ad quosnam, quaeso, fructus maiores redundarunt, quam ad nostram eruditionis sedem? Igitur Friderici Guilelmi natalicia quamquam patriae universae sunt communia, tamen huic universitati quodammodo propria videri debent; neque unquam haec desinet parentis sui merita grata mente recolere laudesque disserere, sed quotannis hoc die laetissimo in Principis clementissimi verba et leges ab illo

nuperrime benigne datas sese religiosissime obstringet, atque ut Regis optimi, ut domus regiae, ut imperii Borussici saluti addat perpetuitatem, summum numen prece impensissima implorabit. Dixi.

VI.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXVIII. habita.

Recurrente hoc die exoptatissimo mihi et vobis omnibus, viri excellentissimi, illustres, generosi, collegae gravissimi, commilitones imprimis cari, nulli huius regni civitati quam nostrae doctrinarum scholae gratius accidere potest, quod hic dies totus sollemnibus dari et dicari solet, quibus Regem potentissimum nobis divinitus donatum summa cum laetitia celebremus, beneficia ab illo rei publicae collata praedicemus, postremo pia pro illius salute et futuro imperio vota suscipiamus: quia universitas nostra litterarum illius sapientissimis consiliis ante octo annos condita, ut saepe antea, sic hoc potissimum anno, summa regiae benignitatis, munificentiae, lenitatis documenta experta est. Etenim ne minora commemorem, quamquam in his quoque haud dubia benevolentiae significatio inest, quisquamne dubitabit, quin insignis haec Regis gratia fuerit, quod doctores complures universitati nostrae additi nuperrime sunt, iique partim ex aliis academiis huc vocati, ut munera non sine rerum nostrarum detrimento vacua occuparent? quod instituta nostra, medica praesertim, hoc ipso anno aucta et confirmata sunt? quod legibus superiore anno promulgatis Rex sapientissimus haec, quae nunc primum conspiciuntur, sceptra, potestatis nostrae insignia amplissima et splendidissima, summa cum liberalitate addidit? Iam vero quum hic annus rei publicae quum universae tum maxime litterariae mutatione ministrorum regiorum, qui summae rerum praepositi sunt, memorabilis fuerit, quis est quin intelligat, huic universitati Regem optime consuluisse, quod, quum ille nobis eriperetur, qui tot per annos res nostras bene, dili-

enter, strenue, integre curaverat, cui multa et praeclara iam ebebamus, plura sine dubio debituri eramus, postremo quocum iuturno usu quandam quasi familiaritatem contraxeramus, quiue in ipso abdicationis momento, quam ipsi cari essemus, canide declaravit, vir nobis praefectus est, quo neque digniorem onsensus hominum monstrare, nec peritiorem eruditio comproare, neque promptiorem, liberaliorem, humaniorem experientia docti desiderare et expetere queant: vir inquam artibus eximiis t pari fama publice, denique omnibus animi ingeniique dotibus xcellens, quas in principe litterarum rectore inesse non ut neessarium postules, sed ut egregium quodque contingere raro ossit, exoptes. Quodnam enim ad florem doctrinarum maius sse commodum potest, quam praefectus eiusmodi, qui omnes ires omnemque curam intendere videatur, ut litterarum studia ltius repetita alantur latiusque propagentur, eaque, quam meentur, dignitate et honore fruantur? Quae in ipso orationis xordio dico, non quo virum excellentissimum ita, ut par est, audem: neque enim hic locus hoc argumentum capit: sed ut Regis clementissimi iudicium praedicem et extollam. Aliud superest, quod vel cum periculo offensionis si non explicandum, certe attingendum videtur. Nam ex initio honestissimo, ex memoria ecclesiae per Martinum Lutherum restitutae hoc anno academico ineunte a Germanicarum universitatum alumnis celebrata, quia in illis sollemnibus quaedam acciderant, quae in reprehensionem incurrerent, ingens universitatibus scholarum invidia concitata est, apud nos vero tumultu quodam aucta, qui Regis ipsius perspicacem animum adverterat. Tum vero qui in hac regia urbe vel adolescentium aliquot licentiam, quae facillimis remediis compesci potest, maius malum quam litteras bonum esse censebant, vel nescio quas ob causas non ferendam hanc eruditionis palaestram adhuc multis insuetam arbitrabantur, rumorem de transferenda vel delenda schola nostra studiosissime sparserunt, ne reverentia quidem, quae Principi debetur, observata, quum Regem constantissimum, dum eum de iis, quae anno ante sanxerat, rescindendis cogitare ementiuntur, manifestae inconstantiae insimularent. Sed in ea re, de qua dicere incepi, Principum optimus non tantum aequitatem lenitatemque consuetam comprobavit, sed etiam quam peritus adolescentium existimator esset, planissime ostendit, qui non tamquam in coniuratos animadvertendum, sed iuvenili ingeniorum ardori aliquid

remittendum et indulgendum censuerit. At putet aliquis, me in Rege laudando parum apte his rebus uti, quum maiora et ab omni invidiae suspicione remota proferri possint. Ego vero neque hoc minimum existimo, si princeps in militari praesertim imperio educatus et formatus inter tantos, quanti nunc vel sunt vel habentur, animorum motus leniter agit, ac mollioribus consultis componere et pacare mentes, quam vi domare simulque exacerbare mavult: nec de iis, quae non ad litterarum scholas, sed ad rem publicam universam pertinent, satis tutam disputationem censeo, propterea quod de maximis rebus, quia fere clam geruntur, non unicuique iudicium constat, et quidquid dixeris, aut assentationis aut obtrectationis crimini copiam feceris. Itaque ab hoc amplissimo campo me contineo, maloque quod summum est non consequi, quam in eo perïclitari, cui me imparem sentio. Hodie in litteris consisto. Quae incredibile est quo studio quibusque curis post bella profligata in patria nostra alantur et adiuventur; quod ut in ceteris scholis emendandis et exornandis cernitur, ita in universitatum rationibus apertissime conspicitur. Nonne enim, ut Vratislaviensem, Regiomontanam, nostram ipsam nunc omittam, Halensem academiam, quae hostili odio bis exstincta erat, munifice restitutam et Vitebergensium coniunctione firmatam opibusque ditatam videmus? Nonne Gryphiswaldensis, cui multi extrema metuerant, conservatur et in meliorem statum adducitur? Quid quod Rheno flumini patriae nuperrime recuperato inter arces et praesidia militaria, quibus hostium impetus arceamus, litterarum quoque validissimum propugnaculum apponitur, quod non infirmius Germanorum libertati munimentum fore auguramur, quam Maguntiacum et castella Confluentium? Igitur in tanta bonarum artium stabiliendarum contentione iuvat cognoscere, quid sit potissimum quod litterarum studia rei publicae utilitatis afferant, et quamobrem maxime a sapientibus civitatium moderatoribus, inter quos Fridericus Guilelmus imprimis insignem locum tenet, impensiore cura ali et foveri videantur.

Nam etsi equidem ab iis non magnopere dissentio, qui in litteris utile omnino non spectandum, sed eas, ut optimum quidque et virtutem ipsam, sua causa esse colendas et exercendas dicunt; tamen si ab iis, quae vere bona sint, veram utilitatem segregari non posse considero, etiam litteras debere utiles esse haud aegre concedo. Neque vero hanc utilitatem appello, qua

octrinae a nonnullis commendari solent, ut civitati ministros d imperata recte facienda et negotia publica famulorum instar ine ratione aut aliquo affectu gerenda accommodatos praebeant, t opificia, quibus civium fortunae adiuventur, inventis suppe-litandis augeant: quamquam ne hoc quidem spernendum est: ed prorsus contra iudico litteras neque illud praestare posse ieque ad hoc dirigi debere. Etenim ei rei, quam primo loco osui, litteras non inservire, vel hinc intelligitur, quod scien-iam quisque non extrinsecus addiscere, sed non nisi ex suo nimo haurire et quasi explicare perito magistro duce potest, uodque scientiae et litterarum vis ac potestas non in rerum uotidianarum memoria et traditione, neque in quadam secun-lum leges praestitutas agendi facultate posita est, sed in libe-rali et interiore et ex ipsis principiis deducenda rerum divina-rum et humanarum cognitione. Et certe disciplinae, si ad istum, quem dixi, imperantium usum natae comparataeque essent, ad maiorem in dies perfectionem evehi neque possent nec deberent; theologoque placita aetate sancita, iurisconsulto receptas leges, medico praecepta vulgo comprobata ediscere sufficiebat; philo-sophia autem, quae se ad has angustias redigi nullo modo pa-titur, pellenda et proscribenda erat. Quid si sunt, qui hoc postulent? Immo per Orientem fere universum omnium doctri-narum fines istiusmodi limitibus et quasi moenibus Sinicis cir-cumdatos esse novimus: nec sine successu: nempe perpetuitate disciplinae consopiti animi sunt, postremo torpore morti quam vitae similiore sepulti. Nec multum aberat, quin pontificia do-minatione Europae populi in idem servitium ruerent, nisi inten-tior Occidentis vis et virtus mature illa vincula perrupisset. Sed ut eo redeam, unde vereor ne paullulum deflexisse videar, quo-niam litterae recte cultae hunc rerum statum non modo abnu-unt, sed tollere conantur, quippe quae non id, quod vulgo re-ceptum sit, probent, sed quod rerum natura et recta ratio ex-poscere videatur; patet artes et disciplinas ad nullam rem mi-nus aptas esse, quam ad illos, quos significavi, famulos for-mandos. Igitur quum hoc ii non ignorent, qui rem publicam ista ratione administrari, quam pro re nata prudenter emendari malunt, cordatos eruditionis et sapientiae magistros tanquam corruptores ingeniorum et civitatis incusant, qui quum rerum gerendarum imperiti ipsi sint, tamen pragmaticorum rationem reprehendere superciliosa censura audeant, iuvenesque a recta

scilicet consuetaque negotiorum via subtilitate disputandi inanibusque declamationibus avertere moliantur. Cuius rei non nunc primum coeptae, sed ab antiquissimis temporibus propagatae praeclarum exemplum res publica Atheniensis suppeditat. Quae quum popularis imperii licentia et effrenatione praeceps daretur, quam illi aetati aeque insitam fuisse constat, ac contrarium vitium nostrae; Socrates philosophus, qui etsi a rebus gerendis alienus earumque adeo nescius, ut civibus, quos in suffragium mittere vellet, risum excitaret, doctrina et admonitione id agebat, ut rei publicae forma in meliorem frugem converteretur et secundum praecepta sapientiae constitueretur ac gubernaretur, ab Anyto eiusque asseclis, plebeculae famulis, quibus ista rerum condicio optima videbatur, impietatis accusatus et supplicio affectus est: sera superveniente paenitentia, postquam intellectum est, Socratem unum omnium rei publicae labem habuisse optime perspectam, neque illum tam novis rebus studuisse, quam caritate patriae mederi publico malo voluisse.

Neque vero magis quam talium, quales dixi, ministrorum institutio litteris debet propositum esse, ut opes civium et civitatis ipsius artificiis sollerter excogitatis amplificentur. Nam ne commemorem haec commoda non nisi a mathematicis physicisque disciplinis exspectari posse; qui doctrinae praestantiam ex hoc communis vitae usu existimaverit, videat ne in facultatibus comparandis, in pecunia colligenda, in victus cultusque elegantia et iucunditate, denique in luxu et deliciis summum bonum reponat, quum summam animi contentionem, quae disciplinarum studio adhibetur, ad istum finem refert. Mihi vero vobisque, satis scio, universis illa omnia, quae vitam faciliorem gratioremque reddunt, non sua causa quaeri videntur, sed ut animus curis, quas naturae necessitas iniungit, exsolutus divinam indolem liberius sequi, hoc est virtutem colere altissimamque scientiam et eruditionem sibi comparare possit: quam quoniam a quaestu lucroque longissime remota est, priores homines artium liberalium nomine comprehendendam putarunt. Quod siquid ex litteris utilitatis in vitae commoda redundat: et redundat profecto plurimum: hoc quasi subsicivo fruamur, non tamquam debitum postulemus; multo minus autem eruditis officium praescribamus doctrinarum eo de industria dirigendarum: quod qui fieri vellet, ne communi quidem vitae consuleret, quia maximi cuiuse inventi ratio ita comparata est, ut qui et quanti illius fru-

ctus futuri sint, perspici initio nequeat, ac longo demum usu et experientia, saepe etiam casu reperiatur. At si vulgus litterarum praestantiam isto modulo metitur: quod iam Thaleti philosophiae auctori accidisse proditur, cui infructuosum sapientiae studium exprobratum est, donec officinis oleariis conductis, quid ex naturae cognitione lucelli possit percipi, argumento sane quam luculento comprobaret: hoc quidem facile feremus, neque id quod iniquum est postulabimus, ut homines imperiti de re sibi aliena accuratè iudicent; quid autem dicemus, si qui eruditorum nomen usurpant, si rerum publicarum praesides et rectores, qui humanae naturae vires universas rerumque prope omnium fines habere perspectos debent, de litteris tam sordide statuunt? Quibus nihil aptius, ut mihi videtur, proponi potest, quam notissimum quidem illud, sed nihilo magis contemnendum Archimedis mathematici exemplum. Etenim quum Eudoxus et Archytas Pythagorei mechanicam mathematum demonstrandorum viam inissent, mechanicesque ipsius inchoassent fundamenta: postquam indigne ferens Plato eos vituperavit, quod geometriam a puris intellectus notionibus abductam ad corporeae naturae rationes et illiberale opificium converterent, mechanica ars a geometria et philosophia seiuncta est, et militaribus disciplinis addita: nec qui mathematicus haberi vellet, mechanicis inventis vel utilissimis maximeque mirandis excellere posse arbitratus est. Quapropter Archimedes, qui illa arte tantopere praestitit, ut terram se movere posse diceret, si alia ipsi terra, in qua consisteret, daretur, neque solum talia iactavit, sed in Syracusarum oppugnatione Marcellum et copias validissimas machinarum tormentorumque vi quasi centimanus Briareus vel Typhoeus ac supra humanas vires pollens profligavit; tamen instrumentis suis non multum tribuit, sed haec fere ludibundus egit, Hieroni regi gratificaturus, qui eum rogaverat, ut scientiae documenta ad plebis captum accommodata promeret: eaque liberalitate et animi magnificentia fuit, ut quibus rebus sapientiae non mortalis, sed prorsus divinae famam adeptus est, eas non sustineret dignas habere, quas scriptis mandaret, sed in perspicua et eleganti theorematum explicatione laudem praecipuam et apud posteros memoriam quaereret. Igitur non lupum, non gruem, non scorpium, non ullam machinam tormentumve, sed sphaeram cum cylindro tumulo insculpi iussit.

Sed postquam, quibus in rebus ea doctrinarum utilitas, ob

quam maxime coli a civitatibus debeant, reposita esse meo iudicio nequeat, paucis declaravi, auditores; ut quantum fieri oratione potest, qua non nisi capita quaedam decerpere, nihil copiose et subtiliter explicare suisque firmare argumentis licet, quaenam inter rem publicam litterasque coniunctio intercedat, recte consideremus, repetendum paullo altius videtur. Nam apud antiquissimos Orientis populos, qui tenuia litterarum primordia invenerunt, quidquid doctrinae erat, una cum rerum divinarum cura constat penes sacerdotes fuisse: documento locupleti, divinam esse eruditionis originem visam: quo tempore eruditio non tam a civitate recepta et alta est, quam in ipso civitatis prytaneo tamquam sacra Vestae flamma et vitalis rei publicae aura summa cum reverentia et religione collocata. Quam deinceps cultissima Graecorum natio ex illo adyto in lucem et conspectum hominum produxit, ex quo materiam a sacerdotibus ad poetas translatam excepere primi philosophi rerumque scriptores, qui fabulis inter se dispertitis alteri physices, alteri historiae initia inde elicuerunt. Ita factum est, ut doctrinae, quarum olim seminibus sacerdotum collegia rem publicam ipsam rexerant, imminuta sacerdotali auctoritate a deorum ministeriis segregatae quasi liberae vagarentur, nec quum divinarum rerum institutio universa in caerimoniis partim sacrificulorum partim familiarum curae traditis versaretur, publica vero disciplina solam musicen et corporis exercitationem comprehenderet, publicis impensis adiuvarentur: immo ut, quod superstitiones publice sancitas oppugnabant, impietatis subinde circumvenirentur crimine. Unde si nec civitates neque litterae detrimentum ceperunt, haec potissima causa est, quod artes bonae sua ipsarum praestantia amplissimum et clarissimum quemque, et qui apud suos plurimum valeret, ita allexerant, ut non modo doctis eximie faveret, neque ullis sumptibus in illis remunerandis parceret, sed doctissimus ipse esset, et quod ea omnino illius aetatis liberalitas erat, ut qui rebus gerendis excellere vellent, eruditionis elegantia et ubertate ceteris sese praestare debere arbitrarentur. Quod ubi dico, non Periclem, Alcibiadem, Critiam, Demosthenem appello, qui in re publica Atheniensi, omnis generis litterarum parente, summa assecuti sunt: sed apud ipsos Romanos, bellicosum populum, ex quo cultior eruditio disseminari coepta est, quis nescit prope neminem fuisse, qui rebus gerendis immortalitatem nominis consequi studeret,

quin eruditionis copia insignis fuerit? Quid quod vel Imperatores in litteris laudem quaerebant? Quis enim Iulio Caesare doctior? quis Octaviano Augusto litteratior? Ac ne de Tiberii studiis, de Claudii fatua sane eruditione dicam, quem Hadriani cum poetis litteratisque contentiones Principis modum excedentes fugiunt? quis non M. Antonini et Iuliani sapientiam admiratur? Igitur ut in hoc rerum habitu studiis liberalibus civitatis cura non opus erat: quamquam Imperatore Vespasiano eloquentiae doctores labante arte salariis augeri coeperunt: ita tum videtur perspectum esse, seiunctis quamvis a divina stirpe litteris res humanas bene gubernari non nisi ab iis posse, qui doctrina et scientia subactum ingenium afferrent, quaeque animo sapientiae praeceptis imbuto concepissent, in communem usum dicendi facultate promere didicissent. Mox ingruente atroci barbarie, quum potentes in solis armis gloriam, in luxu voluptatem quaererent, litterae unde profectae sunt redierunt, et in sacerdotii Christiani connubio requieverunt: nec doctrinarum scholae una cum ecclesia ob aliam causam potiorem publice privatimque opibus auctae et ditatae sunt, quam quod divinam mentis indolem excitare, alere, fovere, atque id efficere videbantur, ut de divinis humanisque rebus quam plurimi recte sentirent, virtutem vero acrius sectarentur.

Et haec quidem in eum finem disputavi, ut ex superiorum temporum memoria pateret, litteras neque quum sacris rebus coniunctae essent, ex illiberali aliqua sordidaque causa nutritas, neque ubi seiunctae a re publica et sibi commissae erant, a principibus civitatium neglectas, sed ab his maxime cultas esse. Utramvis autem illarum condicionem spectantibus statim hoc offertur, maiorem quandam eruditionis utilitatem prioribus esse hominibus obversatam, qui in scientia intellexerint rei publicae vitalem vim et quasi animam mentemque positam, quae corpus per se ignavum penetret ac moveat; et veluti ex Pythagoreorum commento mundi anima a medio igni Vestae focique locum tenente per universam rerum naturam protenditur et porrigitur, caeloque extrinsecus circumdata est, ita ex litterarum scholis per civitatem diffundi rationem cuncta continentem et luce sua collustrantem atque excitantem. Sed animis, ut Heraclitus physicus ait, nihil quiete infestius: itaque scientia, non omnis, sed quae hoc nomine digna sit, sua sponte in perfectionem nititur: quo fit, ut ea rem publicam, cui sese penitus in-

sinuaverit, ultro secum abreptam in melius promoveat. Iam quodnam, quaeso, rei publicae maius commodum conciliari potest? quippe quae, nisi provehatur, dum consistit, otio et languore corrumpatur. Attamen ea regna, quae mole sua firmius subnixa sunt, litteris carere si non impune, certe securius possunt: quae civitates ut Borussia, ut tota fere Germania, vicinarum impares viribus sunt, quod deest ad copias, ingeniorum alacritate suppleant necesse est. Quo deducta re possem iam finem facere de litterarum utilitate dicendo, nisi aequalium multos in philosophiam declamare diversa admodum ratione et diversis ex causis viderem: quibus tantum abest ut cedendum arbitrer, ut rei publicae nullam scientiae partem quam philosophiam utiliorem censeam. Nam etsi sola philosophia civitates regi nequeunt, quum multo rerum usu accurataque et populorum et omnium in civitate institutorum cognitione opus sit, quam historia suppeditat: tamen philosophia non solum mentes eximie acuit et exercet, mores emendat, rerum gravissimarum rationes explicat, animos superstitione ac praeceptis opinionibus liberat; verum etiam, quod maximum est, iis qui ad rem publicam accedunt, fines bonorum et malorum monstrat, et quo dirigendae civitates sint, siquis ei auscultare velit, haud obscure significat. Mihi profecto, quamquam harum fortasse rerum parum scitus arbiter habebor, nemo de optimo civitatis genere divinius scripsisse videtur, quam philosophiae academicae conditor; quem quod uterque Dionysius repugnante aulicorum et assentatorum turba imperii ut videtur firmandi causa arcessiverunt, potest documento esse, etiam rebus gerendis aptum eum esse iudicatum. Quid si exempla civitatium sunt a philosophis faustissimo successu administratarum? quis enim Magnam Graeciam, dum a Pythagoreis regitur, nescit fuisse felicissimam, iisdem pulsis continua seditione foede perturbatam? Quod utinam rerum publicarum rectores mallent philosophiae monita, quam nescio quas artes sequi: certe non tanta avaritia, invidia, ambitu, luxuria oppressas videremus civitates.

Iam litterarum et civilium rerum coniunctione, qualem mihi conformavi, demonstrata superest ut dicam, quid de litterarum ipsarum in re publica statu inde colligi videatur. Quippe si doctrinarum finis esset is, qui a nonnullis perhibetur, quemque sse non posse supra explanavi, civitati servire litterae debe-t: sin eā eruditionis est gravitas atque dignitas, quam ipsi

oposuimus, liberae sint necesse est. Libertatem vero constat se duplicem, alteram fere minoris pretii, quae in externis reis versatur, alteram longe maiorem, quam ubi interiorem voveris, suo proprio nomine appellaris. Neque tamen prius libertatis genus in eo quaero, ut bonarum artium scholae ab omni principis eiusque magistratuum imperio immunes sese ipsae moderentur, atque adeo doctores publicos suis suffragiis legant et constituant: quae res ut potest aliquando utilis esse, si qui eligendi potestatem habent, procul ab ira et studio sunt, nec privata commoda quam publica magis spectant; ita mihi litterarum saluti melius provisum videtur, ubi scholae leni civitatis regimini parent, quod ne leges violentur, ne pulchre instituta concordia obsolescant, ne quod aliud detrimentum res litteraria capiat, prudenti et attenta cura caveat, quidquid autem disciplinarum studio conducit, maiore cum auctoritate suadeat, moneat, iubeat; tali inquam regimini, quale nostrae litterariae universitati contigisse laetamur, quod consilium in providendo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo cum comitate, facilitate, benevolentia coniungit. Sed praecipuum externae libertatis, sine qua ne maior quidem illa et interior conservari potest, indicium hoc habeo, ut unaquaeque scholarum universitas in collegii sive communis publicique corporis modum administretur, ac potentissimi cuiusque arbitrio, libidini, invidiae exempta legum et privilegiorum vi securitatem sanctitatemque habeat. In quo videte maiorum sapientiam, qui eruditionis scholas plane in municipiorum speciem condiderunt, iisque duas res maximas tribuerunt, quibus firmissime inniterentur, iurisdictionem in suos et fundorum vectigaliumque proprietatem. Quarum altera in Germaniae academiis prope omnibus, certe iis, quae in Protestantium terris sunt, per omnes rerum civilium vicissitudines variis modis quamvis limitata haesit, quod civitatium rectores perspiciebant, alio modo inter adolescentes studiosos, alio inter ceteros homines iudicia exercenda esse: nisi quod in paucis locis Gallorum dominatio aliquot per annos vetus institutum expulerat. Altera autem olim conditarum universitatum doctores variis quidem negotiis implicuit, cum artium et disciplinarum diligentiore cultu et reconditiore cognitione parum fortasse convenientibus: sed ut ecclesiam, sic scholas ei coniunctas ab avaritia et cupiditate maxima ex parte tutas praestitit, eamque illis firmitatem conciliavit, quae allicere et praeceptores et

discipulos posset, quum contra incerta et labantia deterream; praeterea agrorum possessio litterariis collegiis inter legatos iura populi tuentes honestum et eruditione dignum locum assignavit; quodque publicae scholae suis opibus innixae sacrosanctae videbantur, privata quoque piorum litterisque faventium hominum incitata liberalitas est, eas ut donis et beneficiis augeret: donec potentes ostenderent sibi nec pudorem nec fidem nec religionem obstare, quo minus sacrilegium auderent. Quae ubi candide profiteor: historia enim vera esse evincit, nec huic loco vel meae personae congruum, fucatam et fallacem rebus faciem induere: haud vereor ne cui nostram civitatem calumniari videar, quae in tantis malis atque angustiis temperantissime egit, et quum maxime id agit, ut ecclesiae et litterarum flos honosque conservetur et crescat, a sordibus autem et avaritia tantum abest, ut benignissima et munificentissima *merito* habeatur. Nec de fundis et agris dicere incepi, ut, quae extrema sane impudentia foret, hoc ego cuiquam exprobrarem, quod nostra litterarum schola hoc perpetuitatis quasi pignore non fruitur; sed quo me orationis cursus detulit, id nolui anxie devitare. Immo in diversa plane condicione, qualis nostra est, haud exigua commoda video. In quibus est, quod quae scholae ita ab omni parte munitae sunt, ut nullo casu, nulla mediocri vi, nulla vel legitima vel certe probabili causa oppugnari aut exstingui posse videantur, facile inertia languescunt; dum in iis, quae plane ex rei publicae arbitrio pendent pro potentum consiliis institutisque vario, omnes ingeniorum vires acrius exercendae sunt, et quasi intenti paratique incedere universi debent, ne quid usquam soluti aut remissi appareat: praeterea quod hae ipsae facilius emendari, saeculi ingenio et necessitatibus accommodari, denique ad maiorem perfectionem adduci possunt; et quoniam earum salus magis in re publica aut principe posita est, impensius fere ab his coluntur, adiuvantur, foventur, quam quae maiore libertate praeditae sunt. Et sunt profecto duo pignora egregia, quibus confidere academiae possint, alterum in rei publicae, alterum in sua ipsarum virtute positum. Quodsi illius virtus perierit, cui custodiendae et intendendae disciplinae maxime inserviunt, concidant licet cum civitate litterae, ut apud Graecos et Romanos conciderunt: *sin* dignitatem suam tueri et sibi ipsae existimationem parare artium scholae iam sua ignavia nequeunt, decrepita corpora emori

·aestat quam precariam miseramque vitam ducere et ipsis civitibus perniciosissimam. Nam nihil me iudice rem publicam estilentiore tabe inficit, quam universitas scholarum depravata t corrupta, quae pro doctis et sapientibus et integris viris mitt imperitos, stolidos, morum perversitate foedos: cui malo, bi scholae altius et quod aiunt imis medullis infixum est, corgendo aegre, excidio certissime medeare. Postremo rerum iomenta prudenter pensitantibus gravius multo in litteris alerum libertatis genus videbitur, quam interiorem libertatem ·ocavi, et in docendi scribendique ratione nullis illiberalibus egibus constricta et impedita ponendam arbitror. Quae quum iuic quoque scholae sanctissimis constitutionibus confirmata sit, uper cetera autem commoda provisa cuncta videantur, ne vel iostra doctrina a recto scientiae fine aberret, vel eas, quas lixi, utilitates rei publicae praestare non possit: nunquam satis praedicari Friderici Guilelmi sapientia potest, qui eruditionis sedem in hac urbe, imperii capite, instituerit, ubi sparsa litterarum semina uberiores quam in minus illustri loco ferre fructus possint. Cuius vitae ut plurimos annos nobis et rei publicae universae faustos, felices prosperosque addat, Deum Optimum Maximum ex animi sententia atque cum summo et gratiae et pietatis Regi optimo debitae affectu hodie precamur.

VII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXIX. habita.

In sollemnibus his sanctissimis, Friderici Guilelmi, litterarum statoris nomini dedicatis, de quo ego dicam, nihil simul et huic diei meaeque ac vestrae personae et his temporibus accommodatius offertur, auditores, quam ex ipsis litteris petitum argumentum qualecunque. Dum enim, quid mihi potissimum enarrandum sit, circumspicio, plurimam gratiam et iucunditatem orationem nostram habituram intelligo, ubi de civitate dixerim Principis potentissimi curis et occupationibus ex afflicto statu in hunc mediocrem felicitatis florem adducta, et de iis maxime rebus, quae hoc anno publice sint gestae et institutae; sin de academiae nostrae ratione, qualis proximis his temporibus fuerit, exposuerim, huic scholae honorificentissimam disputationem fore video: sed quae quotannis prospera vel adversa universitati acciderint, ea Rectori in muneris abdicatione verba facienti relinquenda sunt; rem publicam vero etsi non nunc primum devito, tamen ne de ea agam, flagrantior in dies invidia nunc etiam acrius quam antea dehortatur. Itaque missis rebus maximis, quae nos in publicae vitae campos eliciant, et ademptis procul splendentibus luminibus, quibus distinguere et illustrare verba possis, tenuem audietis disputationem, nec satis oratoriam ad audiendum, et quod hic locus subtiliorem doctrinam excludit, ad legendum paullo minus accuratam. Dicturus sum de homine ad humanitatem perfectam conformando, ita quidem ut rebus praesentibus subinde relictis ad remotiorem antiquitatem confugiam: in quo si a Regis laudibus longius discesserim, id mihi solatio esse aliquatenus potest, quod non modo, quum singulis annis in eadem mihi materia versandum sit, varietate argumenti incommoditas compensatur, verum etiam res, quam tractaturus sum, dignissima omnino videri debet, quae in Regis humanum civium suorum cultum et eruditionem eximie adiuvantis natali festo consideretur.

Igitur ubi quaeritis, ad quemnam homines cultum formandi ue educandi sint, duplicem esse respondeo: alterum singulis culiarem et proprium, quo quisque ad artem aut opificium, o victum quaerere studeat, aptus efficiatur; alterum, qui nmunis omnibus, quos et natura illis, quibus opus est, doti- s instruxerit, et fortuna eo loco collocaverit, iis ut adspirare elegantiorem eruditionem per rem familiarem liceat, non aestus nec vitae sustentandae causa comparatur, sed suum in se finem repositum habens haud aliud vel efficit vel efficere natur, nisi ut vires uniuscuiusque universae quam perfectis- ne explicentur et exerceantur: quem aut liberalem ob id sum, quod diximus, aut quod praeter humanitatem nihil spe- at, humanum appellare solent. Neque enim si humanam eru- tionem dicimus, huius vocabuli significatione aut ab animali at a divina natura dirimere humanam volumus: immo quum ter utramque interposita et utriusque particeps esse intelliga- ir, humani cultus ratio ita comparata est, ut tum quod divino ognatum in hominibus est, id spargendis religionis seminibus, ivinaeque naturae, quatenus hanc cogitatione assequi possu- ius, cognitione excitanda, atque omnino animi et ingenii viri- us fingendis corroborandisque excolatur; tum quam partem cum eluis communem habemus, corpoream naturam dico, ea ita ormetur, ut et minime molesta animo sit et animi consiliis quam fieri potest optime obtemperet atque inserviat. Quae quum ita sint, neque mentis cultus omnino liberalis, nec cor- oris illiberalis habendus est; sed quamquam animi ingeniique formandi studium ut plurimum liberale vereque humanum est, tamen id quoque in quaestum verti posse constat: ut qui artes et doctrinas profitentur, ex his ipsis lucrum et capiunt et quae- rere solent: et prorsus contra corporis viribus exercendis qui nihil nisi ipsam corporis perfectionem quaerit ab omnibus opi- ficii sordibus remotam, eum liberalem operam praestare nemo erit qui dubitet. Attamen si liberales artes quaestum coniun- ctum habent, ab iis, qui eas recte tractant, non ob ipsum quae- stum exercentur, sed quod illarum iucunditate et praestantia tenentur et delectantur, quod quae ipsis placent atque utilia videntur, latius disseminare summopere cupiunt, postremo quod nulla re quam cultu ingeniorum et humana eruditione universa maius mortalibus commodum afferri posse sibi persuaserunt: quidquid vero inde ad ipsos lucri pervenit, ea mente accipiunt,

non ut ex artium studio opes colligere constituerint, quibus paratis occupationibus illis exsolvantur, sed ut provisis quibus ipsi cum suis indigeant, vitam in litteris agant liberiorem securioremque.

Sed ut in eo nunc consistam, quod mihi tractandum proposui, omissis iis artibus et disciplinis vel potius negotiis, quae sibi exercenda singuli victus causa sumpserint: humanum et liberalem cultum Graeci eruditionis universae atque ipsius humanitatis magistri duabus rebus complexi sunt, musica et gymnastica, quarum altera corporis, altera ingenii exercitationem comprehendi nemo ignorat, quippe quum musicae nomine non solam vel fidibus vel tibia vel voce canendi facultatem, sed omnem a Musis profectum cultum appellare consueverint. Quod genus eruditionis quia omnibus recte educatis debet commune esse, sicut Aristoteles de musicae studio iudicavit, ita de omnibus fere liberalis institutionis partibus statuendum est, ut liberaliter eruditus, nisi artem factitare constituerit, in earum nulla iuxta quam qui illam disciplinam profiteatur, excellere ceterosque superare debeat, sed cunctis aequabili quodam modulo imbutus et ad laetum quendam pulchrumque animi et corporis virium universarum concentum formatus sit: quod qui assecutus fuerit, ad quamcunque postea, in qua sedem figat, aut vitae sectam aut doctrinam est transiturus, eam maiore cum fructu persequetur, neque ut opifices sellularias artes, aut famuli imperata ministeria, ad vulgarem vitae usum referet, sed in rebus omnibus sublimiorem et humanam rationem spectabit: quodque non unam tantum disciplinam, sed circuitum quendam notionum complexus est, ubi sese litteris dederit, non ut multi cum summo rectae eruditionis detrimento faciunt, prae sua arte ceteras omnes aut negliget aut spernet, sed aequi iudicis officio fungens suam cuique rei laudem tribuet.

Iam vero ut ad singula descendamus, musica educatio partim musicen ipsam partim litterarum institutionem a primis inde rudimentis usque ad poesim, oratoriam, philosophiam includebat: et ipsa musice quidem, praesertim antiqua illa et severa, quae non solum Spartae, sed etiam aliis in locis publice constituta et custodita erat, teneros animorum sensus ad numeri et concentus sonos legitimos formabat, modis magnificis ediscendis adolescentem subolem morum gravitati assuefaciebat; congruente illis motu corporis iucundum simul honestumque habitus et oris

orem effingebat: litterae vero et maxime poesis limatos et unctos omnium ingenii operum arbitros praestabant, atque a cum sapientiae et dicendi studio verborum ac sententiarum pia locupletabant, postremo eximia virtutis et scientiae praecepta, magna consilia mentibus proponebant: cui rei non modo nationes et iudicia palam exercita, sed ipsa etiam theatra inservisse scimus, in quibus antiquiore saltem aetate non ut hodie ignava ex parte solet, inconditae rudium et Musis invisorum deceptorumque scriptorum facetiae incultam allicientes plebem inditae sunt vel frivolae saltationes spectatae, sed summa cum arte elaborata praestantissimorum poetarum carmina. At quemadmodum musica eruditione, fugata saevitia, atrocitate, imperia, principales virtutes, temperantiam dico, prudentiam atque deo iustitiam, insigniter excolebantur; ita corporis exercitatio fortitudinem et constantiam provocavit, mollitiem vero et ignaviam expulit: quo factum est, ut libertas, quam tueri sine audacia haud facile possis, eximie confirmaretur, Graecique a barbarorum aut sacerdotalibus praestigiis aut immanium dominorum impotentiae serviliter obedientium cultu prorsus inhumano mirum quantum distarent, et Persicae molis ingentes impetus generosissimis facinoribus reprimerent. Quid quod nullum eruditionis genus, quam liberale illud, quod apud Graecos usu receptum erat, ad excitandos libertatis sensus, et quoniam sine his viri probi exsistere nequeunt, ad virtutem universam explicandam accommodatius est? Nam primum litterae, nisi liberalibus studiis, sed eo fine colantur, ut ex parta inde vel docendi vel agendi facultate lucrum capiamus, ad munera publica perveniamus, honoribus augeamur, pravae potius cupidini et insanae ambitioni serviunt, quae homines in mancipiorum statum deiiciunt. Quippe quibus summa felicitas in opibus reposita est, ut hodie statuere permulti videntur, eos libertatis omnino incuriosos esse, et vel acerrimam dominationem aut diligere aut pati, neque ipsam dominorum mutationem aegre ferre vidimus, siquid modo ad ipsos inde lucelli redundare possit; ambitione vero nihil esse civitatibus perniciosius, et tantum abesse, ut ea, quod nonnulli suadent, variis honorum generibus inveniendis largiendisque alenda et intendenda sit, ut etiam his mores civium penitus corrumpantur et tabe insanabili inficiantur, rerum gestarum memoria, siquis auscultare historiae velit, satis diserte declarat. Denique nihil libertati, quam veteres summum bonum iudica-

bant, aeque coniunctum erat ac corporis exercitatio, qua servis multo magis quam litteris interdixerant, ne illi unquam ad civium honestatem et virtutem pervenire possent: talisque erat Graecorum gymnica ars, ut prorsus liberalis esset neque ad ullum vitae usum aut certum aliquem finem praeter humanum cultum dirigeretur. Etenim quamquam corporis viribus exercendis iuvenes ad belli labores et arma tractanda reddebantur aptiores, tamen illa multum a militari discrepabat exercitatione ad singulare quoddam utilitatis genus comparata: quae ipsa, utcunque est necessaria, quoniam in militari imperio severitate disciplinae et obsequio opus est, ad liberalem eruditionem consequendam minime idonea habetur. Quapropter, ut ad superiora redeam, quae Graecorum res publicae civium libertatem maxime spectabant, eae humanam illam iuventutis educationem potissimum curaverunt: contra libertati adversantes civitates, qualia Orientis imperia si non ab initio fuerunt, certe temporum extitere decursu, eandem neglexerunt. Neque id iniuria: nulla enim gens iniquam tyrannidem fert facilius, quam bruta, barbara, effeminata.

Hucusque dixi de veteribus. At nostra aetate, etsi antiquitatem vix aequare, nedum superare possumus, quippe quae perfectissimam humanae eruditionis imaginem expresserit, tamen quia noster cultus universus partim Christiana fide, partim antiquarum litterarum studio subnixus est, alius artium et doctrinarum orbis humanae eruditionis partes complectitur. Nam ut in hoc utrumque aevum convenit, quod summa liberalis educationis in eo posita est, ut iuventus ad virtutem generi humano peculiarem formetur, quae cum rerum cognitione et scientia est coniunctissima, tamen illud nobis proprium, quod ab recto rerum divinarum Christo duce intellectu ingenii excolendi initium habemus. Iam quum Christiana tum religio tum philosophia libertatem animorum postulet cum civili libertate vinculis artissimis connexam, et cuilibet servitio sit adeo infensa, ut hac fide latius propagata atque imis pectoribus infixa servitutis iugum, quo apud veteres Graecos et Romanos magna pars mortalium cum naturae humanae opprobrio oppressa iacuerat, excussum sit, licet indigna condicio a barbaris nonnullis gentibus si non plane, certe aliqua ex parte retenta, immo in novo orbe terrarum per summam impietatem et avaritiam restituta sit: ipsis religionis nostrae sanctissimis praeceptis simul hoc continetur,

it, qualicunque pareamus imperio, ad iustam homines instituantur libertatem: qua voce quamvis ambigua impune uti licebit. Sed litterarum, quae iam in tantam amplitudinem creverunt, nostro saeculo, postquam tot discendi et docendi subsidiis firmati sumus, magis varium et multiplex etiam ad liberalem eruditionem studium pertinet. In quibus rebus patrius sermo primo loco ponendus est. Etenim quamquam antiquissimis temporibus gens nostra haud contemnenda poemata protulit doctorum et patriae amantium aliquot virorum labore in celebriorem nuper notitiam protracta; quamquam ante hos trecentos annos per illum non modo Germaniae, sed Europae magistrum Lutherum vernacula oratio ita exculta est, ut nec perspicuitate neque facetiis nec succo viribusque careret: tamen quum bellorum atrocitate incipiens Germanicae eruditionis flos mox esset exstinctus, postea vero litterati aut inculto et barbaro stilo aut exterorum dictione in scribendo uterentur, et aulici elegantioresque homines Gallicis litteris invectis peregrino veneno nativam Germanorum simplicitatem infecissent: mascula Germanorum oratio diu neglecta est et sero in lucem litterarum adducta. Itaque superioribus saeculis vix ac ne vix quidem ad humanum cultum spectabat: nunc tamen ita splendet, ut in quovis fere genere et maxime in poesi haud pauca eximiae dictionis exempla habeantur: nisi quod in historia et eloquentia claudicamus, ex quibus illa liberiorem rerum statum postulat, quam ut apud nos perfici queat, haec autem, si a sacris contionibus discesseris, vix ullum hucusque, ubi vigere posset, solum concessum repperit. Quamobrem liberaliter educando ex vernaculis scriptoribus principes poetae maxime commendandi videntur, quibus ab humili hac et misera vitae condicione ad celsiora et laetiora evehatur, et generosis cogitationibus repletus ab hac vulgaris pravitatis contagione tutus praestetur. Quin etiam quae musicae apud veteres in educatione potestas fuit, eam, etsi musicen a liberali cultu neutiquam excludendam censeo, tamen nescio an nunc poesis magis teneat, quum praesertim antiquae atque hodiernae musicae dispar plane ratio sit, neque apud nostrorum hebetiores aures tanta videatur musicorum sonorum vis et efficacia esse, ut illi sese nostris pectoribus aeque ac veterum insinuent. Neque vero, licet oratoria ars apud nos vel maxime iaceat, dicendi facultatem in humanitatis studiis prorsus posthabendam iudico: sed quum nihil liberali homine sit dignius

quam fari quae sentiat posse, quo minus ad formandos disertos publica vita confert, eo plus operae et diligentiae in illa re ponendum videtur, ne ubi palam dicendum sit, balbutientes eos audias, qui maximas res clam gesserint. Praeterea hac tempestate a liberaliter erudito hoc postulatur, ut et mathematicae scientiae et historiae aliquam habeat notitiam. Mathemata namque, quorum immensus ad vitae commoda usus est, hunc multo praestantiorem fructum suppeditant, quod mentem acuunt et subtili rerum tractationi aptam efficiunt: unde iure mirari mihi videor, quid sit quod Socratem apud Xenophontem ad perversum istud de geometria dictum impulerit, eam ut ultra communem utilitatem non exercendam censeret: nisi potius Xenophontis hoc haud satis subacto iudicio tribuendum est, et ad magistri sententiam propius Plato accessit, cui mathematicarum disciplinarum studium philosophiae meditationem haberi affatim notum est: quippe quod recte cultum cogitationem ad notionum purarum intellectum praeparet. Rerum gestarum vero cognitio praeterquam quod ei, qui ad rem publicam accedere aut in ullo litterarum genere habitare constituerit, omnino necessaria est, humano cultui eo est coniunctior, quod generis humani vicissitudines prosperaeque et adversae fortunae causas et origines ostendit, quod summa virtutis et vitiorum exempla docet, quod rectam rerum aestimationem, quidque bonum malumve iudicandum sit, experientia duce declarat, denique quod quidquid morum philosophia praeceptis complectitur, id latissimo rerum gestarum campo aperiendo quasi ante oculos propositum repraesentat. Quibus explicatis superest, ut de antiquarum litterarum et sapientiae studio dicam. Et de priori quidem etsi modestius disputare cupio, ne quis meam me artem laudibus cumulare velle arbitretur, non possum quin dicam, antiquitatis studia ab humana eruditione separari nullo modo posse. Primum enim quum recentiorum populorum universa prope eruditio ab Romanis, partim etiam a Graecis litteris profecta sit, quis nostra aetate vel mediocriter doctus esse potest, si fontes nostrae eruditionis prorsus ignorat? quis, quum omnes doctrinae hoc communi vinculo contineantur, neque ulla recte tractari queat, nisi Graece Latineque doctus sis, harum linguarum, horum populorum cognitionem ab humana litteratura excluserit, quo nomine antiquitatis studia imprimis celebrata sunt? Nempe quidquid non unius artis proprium est, sed universarum artium fundamen-

:um, id in humanitatis disciplinis censendum est. Accedit ut, quo antiquae litterae a vulgari usu remotiores sunt, eo sint magis liberales habendae: si tamen tanta, quanta putatur, est earum praestantia. Sed cuius doctrinae, obsecro, maiores ad animi vires excitandas fructus sunt? quaenam disciplina in magnis rebus continentiae, in adversis constantiae, tum fortitudinis, patriae caritatis, aequitatis, gravitatis, denique cuiuslibet virtutis clariora exempla luculentius descripta proponit? Quibus quod non omnes, qui antiquis litteris operam dant, ita ut par est commoventur, atque ad illa mores suos formant et componunt, partim in certorum quorundam ingeniorum innata et insanabili perversitate causa quaerenda est, partim in eo, quod ratione non liberali utuntur, sed vel ad quaestum faciendum vel ad famam doctrina et acumine comparandam re praestantissima abutuntur, aut quod minuta quaedam et exilia huius disciplinae frustula decerpunt, aut omnino non ut homines, sed ut animalia condocefacta nullo animi affectu non nisi sollertiam aliquam sibi compararunt, nec quid agant considerant, quid didicerint perspiciunt. Praeterea quoniam Graeci et Romani eas potissimum artes excoluerunt, quibus summa humanitatis comprehenditur, atque imprimis perfectissimam orationis formam exemplis nunquam perituris docuere, his exemplaribus, ut ait poeta, nocturna diurnaque manu versandis hominem eximie formari quivis largietur. Quod non in eam sententiam dico, ut servilem veterum imitationem commendem: immo in Graecis quidem hoc me praecipue tenet, quod in his eruditionis nullo extrinsecus allato subsidio ex ipsa populi indole enatae imago omnibus numeris absoluta cernitur, quam non imitemur, sed quoad eius fieri pro nostra ratione potest, aemulemur. Et sane ex quo Germani, quorum sermo Graecorum orationi simillimus est, Graecis litteris maiorem dare operam coeperunt, illarum virtute spectata et ipsi profecimus, atque a Gallorum potissimum imitatione revocati sumus, qua simul cum patrio cultu caritas patriae potuit subverti. Nihil enim a pietate patriae debita magis alienare videtur, quam si alius nationis, non quae olim floruerit, sed quae nunc vigeat, litteris nimium simus dediti, et nostrorum bonorum pertaesi peregrina spectemus. Ceterum me non hoc velle, ut omnes in antiquitatis doctrina tam sint versati quam qui eius peculiariter studiosi sunt, ex iis, quae de liberali cultu initio dixi, satis intelligitur: quippe qui magis postulem,

ut ne qu[illegible]uae sentia[illegible]nesciat, quod nescire tur[illegible]ndos disertos quae in quoque [illegible]ere scire honorificum, penitus sciat. Postremo philosophi[illegible]beralem cultum absolvi, quum persuasum plurimis et olim fuerit et apud vos certe sit, non est quod multis exponam: de qua quidem, quae de antiquis litteris modo dixi, ea magna ex parte paucis verbis mutatis praedicare licet, et alia praeterea haud minora, quae argumenti ubertate exclusus nunc omitto.

Convertor ad corporis exercitationem, hoc est ad rem, quae hac tempestate acerrimis non modo contentionibus, sed odiis agitata est. [illegible]llo partium studio ductus dicam, quod sentio, simpl[illegible]. Nempe in hoc omnes, opinor, convenient, hodie non minus quam apud veteres corporis robur, agilitatem, celeritatem, postremo valetudinis prosperitatem maxime curandam esse, quod corpus ipsum tum sine his virtutibus multa minus commode aget, tum mentem, quam vel firmum corpus cupidinum inde manantium vi perturbat, imbecillitate etiam magis onerabit, nisi quis, quod paucorum est hominum neque omnino commendabile, corpori ita imperitare didicerit, ut id non tam subactum quam enectum teneat: praeterea quod, ut supra significavi, corporis exercitatio in tanto humanae naturae utriusque concentu etiam animi virtutes eas, quae ad fortitudinem pertinent, excitat, adiuvat, corroborat. Igitur ludos quosdam instituendos esse, quibus corpus optime exerceatur, vix mihi dubium videtur: quamquam quaeri potest, quas illi artes comprehendere debeant. Et primum saltationem, quae non nisi gratiam motuum efficiat, quamvis non sit reiicienda, tamen quam a corporis exercitatione postulamus, vim minime habet, sed partim magis ad musicam eruditionem accedit, partim si veteris philosophi verba huic rei aptare licet, minus ad gymnasticam quam ad comendi artem gymnicae simiam pertinere videtur: deinde equitatio et tractatio armorum, quas neutiquam contemno, nimium quidem militares sunt, nec tam corpus ipsum exercent, quam instrumentorum, quae corpus regit, usum docent. Relinquuntur eae exercitationes, quae a veteribus maxime excultae sunt, cursus, saltus, qui etiam maioribus nostris insigniter placuit, item lucta quaeque his similia: quibus membrorum sollertia et vires eximie augentur. Nec reprehendenda gymnica sodalicia sunt, quibus bene directis decor et modestia iuvenilis cum morum virili gravitate formatur: quae societates in modum

um, id in [illegible]paratae per veteres civitat[illegible] est. [illegible]latissime. Postremo non memini me apud veteres legere, quod ne nostris quidem temporibus mutata rerum omnium fo[illegible], ex artium harum ratione recte videtur colligi posse, gymnicis ludis populare imperium adiuvari: sed apud illos gymnasiorum neglectio non solum mores corrumpere, verum etiam incultae plebis dominationem adducere, perfectus autem et corporis et animi cultus optimis tradere civitatis habenas videbatur. Sed et aliena gymnicis posse ludis admisceri, quae arcenda sint, concedo, nec luctatores et pugiles perfectos omnes liberaliter eruditos fieri volo, nec si mollitiem expellendam iudicorum ha[illegible]lam suadeo cynicorum vivendi formam vel mitioris contemptum cultus.

Iam de homine ad perfectionem excolendo quae mihi dicenda proposueram, absolvi. Ei vero rei quum praeter scholasticam disciplinam universitates litterariae inserviant, nisi quod hae non solam humanam eruditionem, sed etiam ceteras doctrinas complectuntur, nos summa ope niti decet, ut in adolescentibus curae nostrae commissis liberalis cultus studium excitemus et confirmemus. Quo facto Regis sapientissimi consiliis optime obsequemur, quem nihil aliud quam civium humanitatem, virtutem, beatitatem spectare, nec servis imperare velle sed liberis hominibus certum est. Quam voluntatem ut ille consueta sua constantia perpetuo retineat, Deum humanorum rectorem animorum pia mente obsecramus: quibus precibus maximis has addimus, ut summum numen Principis consiliarios et universos huius imperii magistratus ad populi felicitatem augendam, ad aequitatem, iustitiam, oppressis auxilium ferendum dirigat, rei publicae ex variis ordinibus gentibusque compositae concordiam, ac rebus commotis tranquillitatem conservet, turbas componat, male consulta avertat: postremo ut Principis et universae domus Augustae incolumitatem tueatur quam diutissime.

VIII.

Oratio natalicis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXX. habita.

In Friderici Guilelmi sollemnibus nataliciis orator quotannis constitutus, auditores, non id mihi munus iniunctum unice arbitror, ut Regis dilectissimi laudes haud semel a me expositas perpetuo et de industria celebrem, qui principum gloriam minus in aequalium assentatione et praedicatione repositam videam, quam in rerum gestarum memoria ad posteros propagata et in prudentium post aliquot aetates iudicio et existimatione; sed ea mihi huius negotii iucundissimi summa videtur, ut publico declaretur documento, publica laetitia, qua imperium Borussicum universum hodie personat, nos quoque insigniter perfundi. Quod quamquam vel sine hac sensuum nostrorum testificatione credi par est, quum conditorem non venerari impium merito habeatur, eum praesertim conditorem, qui in ipsa regni sede et in regio quodammodo domicilio, quo artes ipsi propiores essent, hanc litteris scholam instituerit; tamen ut id patefaciamus, et gratiae officium postulat et mos antiquitus traditus, quem omitti eo minus decet, quo antiqui in universitatibus litterariis mores iam magis magisque obsolescunt. Simul vero quum oratoris mihi officio fungendum sit, nihil prius devitandum censeo quam declamantis speciem, qui non ad certum aliquem finem et rerum rationem sermonem dirigat, sed aurium titillandarum causa vocabula componat et in argumento vel ficto vel alieno dicis gratia eloquentiam ostentet: id enim et vestra persona et diei huius sollemnitate indignum iudico: immo quoniam oratoris potissimum est consilia dare, et quid rectum, praestabile, utile sit, explicare, ad earum, quae nunc sunt, rerum statum accedendum est et aliquid eligendum, in quo si non vos, viri excellentissimi et amplissimi, qui talia multo quam ego melius tenetis, edocere, at certe unum et alterum de rerum nostrarum condicione admonere possimus. Itaque hoc die, qui conditoris nostri nomini sacer est, his temporibus, in hoc discrimine civitatium litterariarum, quum non solum varii generis hominum de illarum in-

dole diversissimae sententiae proferantur, sed etiam supremum Germaniae Principum concilium universitatibus emendandis et curatius regendis mentem studiose adverterit, singulisque suos procuratores praefecerit, qui et docentes et discentes observarent, imprimisque caverent, ne quid in iis radices ageret, quod harum scholarum consilio et ingenio, quale esse debeat, adversaretur: unice accommodatum videtur modeste exponere, quaenam ex mea sententia universitatum litterariarum vis, et qui docendi in illis finis sit. Ex mea, inquam, sententia: eandem tamen vestram, collegae carissimi, esse quum longo usu et familiaritate didicerim, si illam proposuerim, vobis fortasse haud ingratum fecero: Regis quin etiam sapientissimi illiusque ministrorum et consiliariorum, qui nobis praepositi sunt, non dispar iudicium esse inde certa via colligitur, quod vos potissimum illi delegerunt et convocarunt, quibus iuvenilis traderetur institutio.

Sed materiam amplissimam, ex qua, quod nihil ad nos magis pertinet, capita quaedam iam olim decerpsi, quum integram ac pro argumenti et dignitate et ubertate tractare in his temporis mihi concessi angustiis nequeam, omissis ceteris locis in hoc uno nunc consistam, de quo minime omnibus constare videtur, utrum quod nonnulli contendunt, universitates litterariae eo consilio conditae condendaeve sint, ut futuri rei publicae magistratus et ministri formentur, atque universa doctoris academici disciplina huic sit fini accommodanda, an illae non ad hunc civitatis usum, sed liberaliore aliqua ratione ad propagandam litterarum doctrinam factae et institutae sint: de quo nunc quum maxime ambigi non miror, quum nostra aetate res gravissimae quaeque partim oblivioni tradantur partim in dubitationem vocentur; quum ne de civitatis quidem ipsius, cuius tamen finibus omnes continemur, condicione et potestate consentiatur; postremo quum, quae universitatum vis et indoles esse debeat, non nisi ii videantur perspicere posse, qui et in litteris haud mediocriter versati sint et ex priorum temporum memoria didicerint, quales inde ab initio hae scholae fuerint. Mihi quidem vel academiarum origines vel praesentem eruditionis statum spectanti haud aliam liquet illarum rationem esse, nisi ut in iis adolescentes studiosi ipsam litterarum doctrinam peritis magistris ducibus perdiscant: quodsi hac re simul efficitur, ut sollertes civitatibus ministri praebeantur, hoc et illarum

scholarum utilitatem auget et civitati commodum insigne affert, neque tamen is summus et primarius academicae institutionis finis habendus est. Nam primum si in remotissima tempora redire et quae apud veteres, omnis humani cultus praeceptores sapientissimos, universitatum instituto aliqua ex parte similia fuerint, considerare licet, in Graecia philosophorum scholas non prorsus dispares fuisse reperimus; quod illi intellexerant, qui universitates litterarias et inferiora scholasticae iuventutis gymnasia illinc petitis nominibus academiarum et lyceorum vocari voluerunt. Philosophis naturam rerum morumque praecepta complexis accesserunt rhetores, qui quidvis facunde eloquendi facultatem docebant; additi sunt grammatici eruditionis liberalis orbem una cum philosophis et rhetoribus tradentes: mox plures artium doctores in una urbe constituti variae eruditionis comparandae copiam adolescentibus fecerunt; et Athenis quidem, Alexandriae, Apolloniae, in aliis urbibus pluribus tot paullatim homines studiorum causa confluxerunt, ut illi loci universitatibus litterariis haud male comparari posse videantur. Quamquam autem et sapientiae et eloquentiae studium ad rem publicam gerendam aptos reddebat, et sophistae disciplinam vel utramque vel alterutram profitentes sese effecturos id ipsum pollicebantur, ut discipuli publicis negotiis pares essent; tamen tantum abest, ut in hoc studiorum fuerit summa posita, ut etiam multi discipulos a re publica, qualis tum fuit, attingenda revocaverint, et ii potissimum, qui studia lucri vel vanae gloriolae causa tractarent, sophistae usum rei publicae praetexuerint, denique civitates ipsae nihil ad sese illas litteras pertinere arbitratae sint, nisi quod eruditionis splendore captae philosophos, rhetores, grammaticos reveritae sunt summisque honoribus dignos ut plurimum habuerunt, et longe rarius doctrinae lumina reformidantes, sapientes doctosque viros calumniis circumventos exsilio vel morte affecerunt, aut labante rei publicae flore, quod Athenis auctore Sophocle evenit, libertatem docendi sustulerunt. Deinde ne de Imperii Romani temporibus haud optimis dicam, vel ante instauratas in Occidente litteras universitates conditae ea aetate sunt, qua ille civilium ministrorum, qui nunc floret, ordo nondum constitutus erat; ut inde a principio illis formandis academias non inservisse facile appareat: quum neque iuris Romani scientia, quae in universitate Bononiensi effulsit, rerum publicarum magistratibus prorsus necessaria esset, etsi iuris doctores

t frequenter consulerentur et summa pollerent auctoritate; nec ui medicinam factitabant, civitatis ministri essent, in quo illi enere ne nunc quidem censentur, sed haud aliter ac ceteri rtifices artem privatam exercerent; et ut de philosophis et agistris artium taceam, theologi et sacerdotes ecclesiae pare-ent imperio, quae illis temporibus civili potestati exempta pro-riam et peculiarem per universas Christianas terras civitatem onstituebat. Itaque quum universitates litterariae hac civilium ministrorum classe late patente, quae proximis superioribus saeculis extitit, longe priores deprehendantur, si rerum origines spectes, in quibus uniuscuiusque instituti recta ratio solet maxime elucere, quod ea nullis additamentis quasi obumbratur; errare eos intelliges, qui summum et primitivum disciplinae academicae finem in publicis ministris erudiendis positum iudicant: quod non magis verum est, quam siquis scholas isto consilio institutas dixerit: quarum quum Carolus Magnus in regno suo fundamenta iaceret, quis eum putaverit de civitate sollertibus ministris instruenda cogitasse? Immo et scholas et universitates constat prioribus saeculis non civili illi commodo cetera haud spernendo, sed ut templa et monasteria vel unius principis vel civitatium pietati et litterarum, quas latius disseminari cuperent, amori acceptas referri. Praeterea vero si universitates litterariae publicis ministris erudiendis conditae essent, haud dubie illud institutum, quod ex antiquis cum aliis paucis superest, quodque solis universitatibus proprium etiamnunc habetur, honores academicos dico, longe diversis legibus fuisset temperandum; tum enim qui ad civile munus fungendum idonei viderentur, magistri et doctores creandi forent, non qui in aliqua doctrina ita probati essent, eam ut excolere, proferre, profiteri possent: quod quum vel ii, qui in rebus gerendis summa cum laude et sollertia versati sint, nisi litterarum insignior peritia accesserit, academicos honores ambire nullo modo queant, et contra qui negotiis publicis quamvis impares eruditione praestent, illis honoribus capessendis unice digni iudicentur, in artium et doctrinarum tractatione, non in hominibus ad negotia gerenda fingendis academicae disciplinae summam reponendam esse patet. Nec si principes et res publicae doctores et magistros in academiis creatos certis quibusdam praerogativis auxerunt et ornaverunt, eosque adeo quadam olim nobilitate splendidos praestiterunt, ideo id fecere, quod ministros suos in uni-

versitatibus institui viderent; sed quod eos, qui in his scholis usque ad hunc perfectionis gradum essent exculti, ut honorem academicum adepti essent, tanta censebant eruditione instructos esse, ut insignis quaedam eorum deberet apud omnes homines et in ipsa re publica auctoritas esse. Et illud quidem tantum beneficium antiquitus academiis collatum paullatim ita esse imminutum, ut praeter inania vocabula nullum prope pristinae dignitatis vestigium relictum sit, est profecto eo magis dolendum, quod non qui privilegiorum tantorum vim fregerunt, accusandi sunt, sed qui partim rem gravissimam olim visam leviter et negligenter curantes partim lucri cupidine ducti, imperitos et incultos homines ad honores academicos evexerunt. Postremo ubi universitates litterariae priscam indolem maxime retinuerunt, in Britannia apertissime conspicitur non publici ministerii peritia efficienda, sed artium liberalium doctrina et religionis doctoribus formandis illorum collegiorum finem contineri. Quod non ita dico, ut antiqua novis vel Angliae universitates vetustae rationis nimium fortasse tenaces Germanicis, quae multo perfectiores merito habentur, praeferam, sed ut hoc quoque argumento, quae universitatum origo fuerit, intelligatur: ceterum etsi non omnes ad eandem normam constitutas esse non ignoro, nullam tamen nisi litterarum propagandarum causa conditam scio.

Nunc quoniam diligentiorem huius rei tractationem, quae accuratioribus argumentis ex historiae penu promendis firmetur, orationis limites excludunt, ad praesentem litterarum statum et institutionis publicae condicionem convertor, ut quem locum universitates litterariae in ceteris huius generis institutis meo iudicio occupent, paucis exponam. Nam luminibus litterarum et religionis, praesertim inde ab ecclesiae in Germania emendatione et instauratione, ad omnium ordinum homines sensim diffusis, variae scholae et eruditorum collegia ad nostros usque dies nata sunt, quae mihi in quinque classes optime dividi videntur. Primum genus scholas, quas populares vocant, complectitur, in quibus infantilis et puerilis aetas primis litterarum elementis, quae unicuique homini ad usum vitae maxime necessaria sunt, item fidei Christianae et morum praeceptis, decerptisque ex orbe doctrinarum minutissimis quibusdam particulis iis, quas et neminem ignorare deceat et capere vel teneri vel inculti animi possint, imbuatur, et quasi lacte communium notionum alatur: quae scholae nisi in singulis prope pagis instru-

:tae essent, vix foret quo hominem et bestiam dignosceres: quo nagis nostrae aetatis et nostrae civitatis studium laudandum est, quod in illos ludos condendos et emendandos confertur. Neque vero ab his magnopere diversos eos ludos iudico, quos nonnulli civicos nominarunt; nisi quod paullo plures res et in iis artes quasdam opificiis tractandis utiles comprehendere debent. Alterum genus est scholarum, quae dicuntur, eruditarum, gymnasiorum, lyceorum; in quibus et ii excoluntur, quos ad vitae communis negotia transire, sed elegantiore quodam cultu ab rudi multitudine distingui parentes voluerint, et ii potissimum, qui litteris et doctrinis de industria operam dare cupiant, atque in his etiam, qui ad rem publicam accedere et muneribus civilibus fungi magna ex parte quod superiore loco nati sunt, aut victus quaerendi causa, consilio immaturo nec illi aetati congruo conceperint: in quibus scholis institutionem universam ad liberalem eruditionem, qua mentes altioribus studiis capessendis aptae fiant, revocari prudentium consensu oportet. Tertio gradu succedunt universitates litterariae, ob immensam rerum copiam quattuor partibus distributae, eaeque nunc quidem ita comparatae, ut doctrinarum disciplinam in gymnasiis inchoatam studiosi persequi possint, et quamcunque artem elegerint, in ea ad aliquam perfectionem magistrorum institutione usi pervenire possint. Illa enim studia, quae in universitatibus tractantur, etsi etiam civitatis ministris formandis imprimis apta sunt, tamen ab ipsis rerum publicarum praesidibus ita instructa reperiuntur, ut instituti consilium etiamnunc non in illa re positum intelligas, sed in universa eruditione tradenda: unde etiam iis artibus doctores dati sunt, quae ab usu vulgari longissime remotae totae in rerum absconditarum et abstrusarum cognitione versantur, neque ullius doctrinae explicatio utilitatis publicae limitibus admodum angustis constricta est. Igitur ab inferioribus gymnasiis universitates nullo discrimine sepositae sunt, nisi quod et altiorem scientiam docent et latiorem doctrinarum orbem complectuntur, iis artibus additis, quas adolescentuli nondum firmati, qui in illis ludis erudiuntur, percipere recta via nequeant; in quo genere non solum rerum divinarum et iuris et medicinae interior cognitio, sed etiam variae philosophiae partes censentur: quae omnes in universitatibus ita addiscendae sunt, non ut ea sola, quae ad publici ministerii peritiam pertinent, decerpantur, sed quid in quaque disciplina verum aut falsum, quid generi humano

utile, quid damnosum sit, quid historia et recta ratio doceant, postremo quidquid sententiarum et praeceptorum et placitorum ingenii viribus et contentione extundere possis, pro captu discipulorum exponatur, etiamsi illa publicis negotiis gerendis in ea quae obtineat, rerum condicione aptari nequeant. Quamquam haud aegre concesserim nullam disciplinam ita inutilem esse, quin possit aliquando etiam in civitatem et communem vitam aliquid inde fructus redundare. Itaque hae scholae, quibus olim universitatum nomen inditum est, quod certis iuribus et privilegiis praedita docentium et discentium corpora habebantur, qualia opificum collegia erant, nunc illam denominationem vel hinc merentur, quod universum litterarum campum ambitu latissimo neque ullis nisi honesti et probi et veri finibus circumscripto includunt: unde in nonnullis principum edictis superioribus iam saeculis Studia generalia appellantur. Quodsi alia universitatum ratio esset, in publicae institutionis ordine sapientissime adornato summus desideraretur gradus; quem siquis societates litterarias, quae etiam communi cum universitatibus nomine academiarum vocantur, occupare contenderit, me quidem non assentientem habebit. Etenim hae studiorum liberalitate universitatibus coniunctissimae quarto loco peculiarem constituunt eruditorum communionem ab universitatum indole eatenus discrepantem, quatenus illorum sodaliciorum non est adolescentes minus peritos edocere; sed socii sociis doctrina et ingenio paribus vel supparibus, quae quisque invenerit impertire, alter alterum sua intelligentia adiuvare et vicissim adiuvari, omnesque iunctis viribus ea in litteris efficere debent, quae a singulis doctis, aut quod plures plus vident, aut quod maiore, quam pro unius viri industria et copiis, apparatu opus est, perfici nequeant: praesertim ubi sodalium plurimis id fuerit otium concessum, ut aliis occupationibus et curis exsoluti aut certe haud ita multis onerati vel omne tempus vel maximam partem in amplificandis litteris collocare possint. Postremo recentissimis potissimum temporibus quintum accessit disciplinae institutum, quod exercitationibus, quae practicae vocari solent, vel totum vel magna ex parte dicatum est, idque pro artis et discipulorum ratione ac pro fine, quo tenditur, varium: quum alia huiusmodi instituta ecclesiasticis oratoribus et verbi divini ministris, alia scholarum vel plebeiarum vel altiorum magistris, iudicibus futuris alia, alia medicis vel chirurgis, praecipue militaribus, alia

si rusticae, saltuariae, veterinariae, aliis huius generis negotiis estinata sint. Sed haec partim talia sunt, ut ad studia sublioiora consummanda necessaria videantur; quo magna pars meicae, theologicae, philologicae exercitationis pertinet, cui in sis universitatibus litterariis locus merito datus est: partim illis cholis empirici non ad liberalem et profundam scientiam germanamque eruditionem instituuntur, sed ad sollertiam quandam x praeceptis quasi imperatis et experientia usu comparata sed ationibus ut plurimum destituta exercendam; qui institutionis odus inferior academicis scholis est: partim iis, quae significavi, institutis, iuvenes studiis in universitate rite absolutis ad egotia recte tractanda et munera curanda formantur; quo fine, t exemplis ex nostra civitate petitis utar, in iudiciis et collegiis provinciarum administrationi praefectis candidati more utiissimo exercentur; quo fine apud nos scholasticorum magistrorum seminaria instructa sunt, et Vitebergae Rex sapientissimus ecclesiastarum seminarium insigni nuper pietate condidit. Quibus quamvis breviter explicitis vel me non monente patere arbitror, in sola hac quinta institutorum classe, neque in ea universa, sed in una tantum atque altera earum, quas descripsi, formarum publicos civitatis ministros ex proposito institui. Neque haec a me ex arbitrio, sed pro rerum veritate ita constituta esse, hinc quoque intelligas, quod ad universitatum ceterarumque scholarum beneficium omnes admittuntur, qui animum ad litteras applicare cupiant, ad illas vero, quas postremo loco dixi, exercitationum partes fere non nisi iis aditus patet, qui sese munera publica ambire professi fuerint.

Iam vero rectiorem de universitatum ratione sententiam quis est vestrum, auditores, qui non laetetur et Regi sapientissimo et illius consiliariis ita infixam esse, ut imperii Borussici academiae omnes ad eam, quam postulamus, formam attemperatae unice sint? Nam ne nunc a nostris rebus discedam, quis non intelligit magnificos hos apparatus et cuiusvis generis doctrinarum subsidia amplissima et splendidissima, quae non modo huic universitati litterariae, sed ipsi regiae urbi ornamento sunt, et quae Regis benignissimi munificentia et viri illius excellentissimi, qui institutioni publicae in hoc imperio praeest, prudenti et liberali cura magis in dies augentur, haec inquam non alio consilio comparata esse, nisi ut rerum optimarum disciplina non sordida aliqua de causa, sed ob insitam praestantiam pertractetur

latiusque et altius excolatur? quis non in ipsis doctoribus, sive eorum ingenia et eruditionem sive numerum spectaverit, deligendis eadem instituta servata esse et adhuc servari videat? Nam ubi primum isti, adversus quam disputavimus, opinioni esset locus datus, quod rei publicae necessitatibus satisfieri exiguis copiis posse videretur, et rerum illarum et horum hominum pars multo maxima tamquam supervacanea dissiparetur, et communi litterarum vinculo dissoluto, quo certe ad solos civitatis famulos formandos minime opus est, pro universitatibus litterariis separatae disciplinarum nonnullarum scholae instruerentur: qua re in eo qui nunc est litterarum statu, quum singulae doctrinae nimium iam disiunctae sint, nihil foret perniciosius. Deinde non solum discipuli, quorum multi vel nunc, ubi alius academicae institutionis finis habetur, ad munera publica properantes, magno et litterarum et ipsius rei publicae detrimento ab accurata eruditione et liberalibus studiis alieni sunt, etiam tenuiore et ieiuniore rerum notitia contenti forent; sed doctrinis quoque ipsis, universitatibus in aliam formam redigendis, extremum damnum daretur, quum praeter societates eruditas, quarum pro re nata non potest tanta quanta universitatum per omnes homines efficacitas esse, nulla scientiae sublimiori esset sedes relicta: nec tum viri eruditione insignes, sed periti pragmatici, qui nunc, nisi eximio ingenio et doctrina praediti sint, parum huic rei idonei censentur, essent cathedras occupaturi: postremo sublata libertate docendi, non quae recta et vera sunt, discentibus tradenda forent, sed quae potentibus, civitatium rectoribus, accepta et probata essent: quo quid hominibus litteratis potest indignius inveniri? At profecto alia causa est, quamobrem cultissima quaeque civitas et maxime nostra litterarum in universitatibus studia alit et in illa haud exiguos erogat sumptus; quippe eadem plane est causa, qua efficitur, ut ecclesia publicis impensis augeatur. Nam quum non modo genus humanum religionis luce haud illustratum pessumire, sed numinis divini sensum humanis animis ita insitum esse intelligatur, ut eo ne barbari quidem ulli, nisi prorsus bruti, careant: ut ea humani ingenii indoles excolatur et nutriatur, curat res publica, cuius est summis mortalium dotibus bonisque explicandis et proferendis facultatem facere, non ea eatenus vel tolerare vel fovere, quatenus ad subiectos regendos dominantibus utilia videantur. Atqui quum par sit litterarum ratio, his quoque, ne

ivatorum arbitrio commissae casu vel incuria hominum negli-
erentur, civitas sua templa condidit: in quibus universitates
tterariae principem prope locum obtinent. Et bene factum est,
uod hae scholae in Germania potissimum ita per omnes pro-
incias sparsae sunt, vix ut ulla sit litterarum celebritate or-
ata; sed optime Rex sapientissimus fecit, quod primarias regni
rbes universitatibus ornavit, ubi ut cetera commoda taceam,
tterae in varii ordinis homines vim gravissimam exercere com-
iode possint. Nec sumptus anxie cum numero. discipulorum,
ui erudiantur, componendi sunt: quod quidam nuper nummu-
arii magis vel argentarii quam eruditi more facere sustinuit:
eque enim his litterariis collegiis reditus tributi sunt, ut disci-
linae merces doctoribus persolveretur publice, sed ut studio-
um flos et honos firmiter constitueretur. Denique res publica
uum videret eos civitatem prudentissime regere, quorum inge-
ia eruditione probe subacta essent, et neque qui privata in-
lustria nec qui in aliis scholis exculti essent, tanta quanta uni-
versitatum alumnos litterarum solere peritia instructos esse; in-
valuit paullatim, ut prope nemini magistratus vel gravius aliquod
publicum ministerium mandaretur, nisi per aliquot annos studiis
in universitatibus operam dedisset, et qui parare sese ad civilia
negotia vellent, universitatum disciplinam unice amplecterentur:
unde nonnulli vana rerum specie delusi universitates publicis
ministris formandis conditas esse arbitrantur. Ceterum honori-
ficum illud de universitatum disciplina iudicium conducibile et
rei publicae fuit et litteris: rei publicae, quod nihil illi potest
utilius esse quam artium et doctrinarum lux in omnia civitatis
membra quasi anima vitae effectrix et moderatrix permanans;
litteris, quod qui earum vim ex bona institutione pernoverunt,
ubi summae rerum praepositi fuerint, artium studia maiore be-
nignitate et munificentia adiuvant: quum civitatium gubernatores
litterarum vel imperiti vel primis tantum rudimentis imbuti, si
praesertim, quod solet, arrogantia accesserit, eruditionem con-
temnant aut suspectam habeant. Atque inde simul intelligitur,
quantopere civitatibus cavendum sit, ne quid universitates de-
trimenti capiant, neve illarum dignitas indignis dictis vel factis
laedatur, neve intestinis vitiis corrumpatur; quae quum in tanta
iuvenum multitudine subinde subnasci consentaneum sit, ne cre-
scant, cautio est: sed sollers erit manus admovenda, ne vul-
nera exulcerentur; et praesentia mala sapientes medici ita cu-

rabunt, ne aut pristina, quae quamvis inveterata divino magis quam humano consilio temporum opportunitas propemodum sustulit, acriore vi redeant, aut nova et mortifera oriantur. Quod nobis quidem minime metuendum est. Regis clementissimi benevolentia freti in portu navigamus; et Deus, qui ex pessimis optima praeter exspectationem provocat, praesentes componet turbas. Nos quid nostrum sit, scire nobis videmur, collegae: vos cohortor, commilitones, ne unquam obliviscamini, qui disciplinae academicae finis sit, quem in artium bonarum studiis summa assiduitate et diligentia colendis positum esse demonstravi; itaque ad illa animum appellite, et bona haec immortalia, quae Regis sapientissimi benignitas vobis offert, capessite alacriter. Res nostrae hoc anno si non accisae, certe fortuitis damnis quibusdam imminutae sunt: duos doctores praestantissimos et nobis dilectissimos eosque in flore aetatis constitutos mors absumpsit: sed nulla res publica litterarum damnis sarciendis prudentiorem felicioremque curam adhibet quam nostra Friderici Guilelmi auspiciis. Hunc regem pacis et belli virtutibus ornatum Deus Optimus Maximus nobis et rei publicae universae ad extremam servet senectutem; servet Augustam domum regiam tot probissimis fortissimisque iuvenibus subnixam. Hae non nostrae, sed civium cunctorum preces sunt; perpetuae, non hodiernae; sed hoc die tanto sanctiores, quanto hic dies sanctior habetur. Dixi.

IX.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXI. habita.

Magnum mihi etiam post crebram exercitationem, quod suscipio, videtur, auditores, de Rege, populi deliciis, eo die disserere, quo sibi illum divinitus datum universa laetetur civitas, hoc est eo die, quo, quod animi sensus verbis aequare difficile est, quantumvis dixeris, non modo audientibus sed ne tibi quidem ipsi satisfactum putaveris: maius id iudico, ubi, quum ampla oratori materia proposita sit, modus dicendi quaerendus et cavendum est, ne ita dicas, ut Regis ipsius modestiae plane singulari minus convenire oratio videatur; quippe quem non tam laudari quam facere laudabilia velle non ignoremus: maximum est de illo apud eos dicere, quos, siquid vel parum urbanum vel minus commode aut pinguius dictum exciderit, noveris acriter pungi et perstringi. Rursum vero in quibus rebus summa posita difficultas est, in iisdem solatium ac remedium inesse video. Nam primum quod coram iis verba facio, qui animis ad Regem venerandum promptissimis eximieque propensis accesserunt; si Friderici Guilelmi virtutes non pro sua ubertate exposuerim, sed quasi aliud agendo percucurrerim, quae levius significavero, ea apud vos in maius accipientur et in vestris foventium animis crescent: ut tenuis quasi scintilla vestris pectoribus iniecta ardentissimam caritatis et admirationis flammam sit suscitatura; deinde Regis modestia spectata importuni laudatoris speciem effugero; postremo inter eruditos vel eruditionis studiosos licet ex priorum rerum memoria talia admiscere, quae etsi videantur huc non pertinere, illi non tamquam aliena aspernentur, sed quibus sese etiam oblectent, dum quomodo variis temporibus et in diverso rerum statu eximii viri de genere humano bene mereantur, considerant et comparant. Hoc enim hominibus cordatis maximam fere voluptatem affert, non siquis ea narret, in quibus nihil ipsorum ingenio sit relictum, sed si largam inquirendi materiam proposueris, quam percensere, pensitare, iudicare possint, ex qua uberiores, quam quae verbis

dicentis continentur, cogitationes, sententias, sensus eliciant. Itaque hodie in remotiora tempora redire constitui et paucula dicere de viro olim maximo, cuius merita et famam, etsi ille rex non fuit, regum tamen vix ullus aequaverit: producam Periclem artium et litterarum statorem ita felicem, ut parem nulla tulerit aetas; sed ex tanti viri rebus ea potissimum delibabo, quae mihi huius diei sollemnitati accommodata esse videantur.

De Pericle igitur ut, priusquam ad eas res perveniam, quarum causa dicere de illo consilium est, nonnulla praemoneam, illum constat non hominem novum repente in rem publicam irrepsisse, sed nobilissimis esse parentibus ortum, quorum in civitate haud exiguae partes fuissent. Nam patre usus est Xanthippo, quo imperatore Persarum classem apud Mycalen vicerant Graeci; matrem habuit Agaristen Alcmaeonidem ex ea gente, quae a Nestore Nelei filio originem repeteret et regiae olim Athenis stirpi propinqua esset: avia matris filia Clisthenis Sicyoniorum tyranni: matris patruus Clisthenes Megaclis *filius*, Atheniensium legislator, quo potissimum duce Pisistratidarum imperium civitas excusserat. Sed magnos parentes aemulatus Pericles ipsis extitit maior: qui postquam optimatium partibus victis populi sibi gratiam conciliaverat, quum videret Atheniensium libertatem et potentiam non posse nisi navalibus copiis suffultam esse, Themistoclis insistens vestigiis, qui mari plurimum tribuerat, socios reditusque patriae tot tantosque partim servavit partim comparavit, ut nulla civitas Athenis esset firmior, ipsae autem omnium essent opulentissimae. Quod quum perficeret, si plura videtur admisisse, quae probari nequeant, cogitandum est eam fuisse rerum condicionem, ut acerbiora multa non sua sponte, sed invitus facere debuerit, quod perpetuis fere discordiis et Graecia universa et singulae civitates vexarentur, et Lacedaemoniorum potissimum, Atheniensibus ut plurimum infensorum, potentia esset reprimenda, qui principatus aeque atque Athenienses cupidi, tamen eidem retinendo impares erant. Sed ne in illis quidem rebus, quas iure vituperaveris, privata Pericles commoda secutus est, nec quidquam unquam sordidum aut contemptibile fecit: quaecunque gessit, magni animi documenta sunt; maiora fuerunt, quae molitus non perfecit: quem quidem haud obscurum sit vel commune omnium in Asia et Europa Graecorum foedus agitasse, quo praeter templorum a barbaris deletorum instaurationem et communia sacrorum sollemnia

lebranda pacis diuturnitas et libera ac secura navigatio praearetur; quod foedus quo minus fieret, Lacedaemonii maxime ıpedimento fuerunt. Idem tamen, etsi nihil quod magnificum ıtriae esset omisit, quae fieri pro rerum statu possent vel non ossent accurate dignoscens, singulari moderatione imperium artum tueri quam longi quas et periculosas expeditiones spectare ıaluit: et quum alii Aegyptum, Atheniensibus iam prius perniosam, Siciliam, quae post Periclem Atticis copiis exitio fuit, truriam, Carthaginem affectandam arbitrarentur, noluit cives ı discrimen dare, sed dux belli in ea potissimum re gloriam ıuaesivit, nihil ut nimis arduum aut anceps susciperet, militesue, quod ipse dicebat, quantum penes ipsum esset, possent mmortales esse. At quum vel solis prudentibus in re publica egenda consiliis rebusque fortiter gestis, quibus Athenienses super ceteras Graeciae gentes cunctas extulit, magnum apud posteros meruerit nomen, tamen dubites, utrum ille patriae tantam voluerit potentiam comparare, ut artes litteraeque et cultus humanitatis universus foveri munificentius et efflorescere laetius possent, an his ipsis studuerit insignius, ut Athenarum laudem et splendorem augeret. De quo ego ita iudico, neutrum Periclem excluso altero egisse; sed quum videret Atticam civitatem non posse principem esse, nisi mercatura, opibus, exercitu, classibus praestaret, idem perspexit his ipsis copiis firmatam, nisi artium decus, litterarum lumen accessisset, rudem et inconditam molem fore: igitur non alterum alterius, sed sua utrumque causa bonum putavit comparandum. Nam ut in litteris et artibus nunc consistam, neque ostentationis causa neque ob vilia communis vitae commoda Pericles illas amplexus est, sed quod nihil iis neque honestius nec praeclarius esse intelligebat; quippe cuius ingenium non solum institutione puerili, sed etiam virili aetate eruditissimorum hominum disciplina et familiaritate formatum et politum esset ac potissimorum studiorum notitia instructum. Nam primum qua una tum arte civitates regebantur, eloquentiam ita tenuit, ut illius linguae fulmen inesse validissimum diceretur, Iovisque Olympii tonitribus conferretur imperatoria in foro vox: unde solus ille in contionibus regnavit, prudentiaeque et viribus, quibus in dicendo pollebat, nemo facile restitit. Sed orationem plenam, gravem, magnificam, acrem, strictam alebat ille doctrina philosophorum, quae insitam natura animi magnitudinem praeclaris praeceptis corroboravit. Ea vero

aetate quum duae maxime philosophorum sectae florerent, Eleatica et Ionica, utriusque principibus familiariter usus est. Etenim Zenonem Eleaten, magni Parmenidis discipulum amicumque, quum is Athenis versaretur, cum aliis nobilibus audivit: cuius dialectica et abstrusa philosophandi via, licet inde aliquid etiam ad bene dicendum peti potuerit, tamen maxime in rerum natura cognoscenda posita et a rebus adspectabilibus longissime remota potest argumento esse, Periclem non ea sola quaesivisse, quibus in suggestu uteretur, sed liberali et genuino esse sapientiae studio ductum. Profecto summa admiratione dignum illud saeculum, quo viri philosophia eruditi magnis rebus publicis et exercitibus imperitabant; dignum admiratione spectaculum, Pericles Zenonis Eleatici discipulus apud Samum classe dimicans cum Melisso Ithagenis filio, qui iisdem fere, quibus Zeno, temporibus libro de ente et natura conscripto inter Eleaticae sectae principes inclaruit. Neque huic uni placitorum generi addictus, quod in viro civitati praeposito maxime laudaveris, quem varias philosophandi rationes nosse et tolerare, non alteram prae alterius studio contemnere vel praecludere oportet, Pericles diversae plane disciplinae sapienti, Anaxagorae physico, ingentis animi viro, qui divino philosophandi impetu ductus domum agrosque reliquerat, imprimis deditus fuit eumque insigniter admiratus est. Eundem Protagora sophista esse usum atque cum eo diuturnas habuisse disputationes, easque de argumentis eiusmodi, in quibus haerere, ut filio Periclis visum est, ita etiam nobis ridiculum videatur, Plutarchus tradit: quod aut exercitationis animive causa fecisse censendus est, aut quod, quae levius consideranti nullius usus esse putentur, ob causam quandam, quae non est huius loci, curatius anquirere intererat. Iam vero ut de artificibus dicam, Damonem musicum Periclis sodalem fuisse auctoribus certis constat: qui quum et rerum civilium peritissimus tantaque in re publica auctoritate fuerit, ut testarum suffragiis patria expelleretur, et musica non manu tantum et voce exercuerit, sed philosophis et mathematicis rationibus numerorum modorumque vim et potestatem sit complexus, probabile est Periclem illum tam in civitatis rebus quam in carminibus musicisque et poetis iudicandis adiutorem et amicum consiliarium habuisse. Quidquid autem ad aedificia exstruenda ornandaque et ad sculpturam affinesque artes pertinebat, in eo nemo nescit Phidiam, immortalem virum, qui deorum maiestatem simulacris

ipso confectis non assecutus est sed auxit, Pericli affuisse
ı solum monitorem sed etiam operum curatorem. Ita ille,
ɔmadmodum civitatis rectorem decet, artium et litterarum
ɔem prope universum animo emensus est: utque ipse nullam
:um partem neglexit, sic cunctae tum Athenas confluxerunt,
que sedem fixerunt: non quod res publica Pericle suadente
ɔndis omnibus sumptum impenderit, sed quod lauta et splen-
la civitatis administratio insignisque libertas litteris concessa
nosque bonis artibus habitus praeclara ingenia prae aliis locis
vitavit, et quod Atheniensium mentes ad optimum quodque
ıdium ita erectae sunt, ut apud hos audiri, spectari, probari
ltissimus quisque cuperet. Igitur ut a poesi incipiamus, inter
ɔicos, quorum ars tum languescebat, qui solus putatur excel-
isse, Choerilus Samius, Persicorum bellorum praeco praestan-
ɜsimus, is Athenis maxime probatus et cultus videtur; lyrici
ıtem carminis genus, quod ea aetate potissimum supererat,
ithyrambicum cycliis Atheniensium choris maxime exercitatum
ɜt. Sed nulla poesis pars laetius tum florebat scenica, quae
usquam fere nisi Athenis formata et perfecta est; et tragoe-
iam quidem post Aeschylum Pericle priorem et, quod antiquae
isciplinae amator erat, magis ab eo alienum quam ei deditum,
ɔophocles consummavit, qui Antigona fabula data a populo Athe-
ıiensi Periclis in praetura Samia est collega creatus; successit
Euripides, quem et ipsum Pericli insigniter addictum fuisse ex
quodam colligo indicio. Et quum in lyricas tragicasque com-
missiones ingentes fierent impensae, ne comoedia quidem, prin-
cipibus rei publicae quamvis infensa, neglecta est: quippe talis
erat Pericles, qui invidorum multoque magis scurrilium et face-
torum hominum contumelias et opprobria facile ferret, nec liber-
tatem iocandi plebiscitis constringendam censeret: quodsi sub
ipso veteris comoediae licentia plane immensa semel coercita
est, ea lex non ultra quadriennium valuit. Rerum quoque scriptor
tum inclaruit, quem parentem historiae vocare solent, Herodo-
tus, qui et Athenis opus suum operisve partem recitasse fertur,
et Pericli coniunctus sine dubio fuit, sive priusquam Thuriorum,
in colonia ab illo condita, civis factus est seu postea; nec qui
eius libros accuratius legerit, plura quum in Atheniensium tum
in Periclis gratiam scripta esse negaverit. Ipse quin etiam
Thucydides, quo praestantiorem historiarum auctorem non ullum
tulit saeculum nec feret, illi aetati orationis vim civilemque

prudentiam debet. Quid dicam de eloquentia? quam quum Gorgias aliique sophistae et ex Atheniensibus Antiphon Rhamnusius in artis formam redigerent, Pericles ipse, etsi nihil praeter decreta scriptum reliquit, grande illud genus dicendi, cuius Thucydides exempla reddit, cum aequalibus perfecit; post quos Lysias, etsi aetate recentior, non tamen nisi Pericles fuisset, subtilem orationis formam Athenis excoluisset, quippe cuius patri Cephalo Syracusio Pericles, ut Athenas concederet, persuaserit. In philosophia autem praeter illas, quas supra dixi, scholas sophistae in Attica civitate tolerati et opulentorum hominum muneribus allecti de rebus omnibus in diversas partes disserendi studium excitarunt: in quibus disputationibus eminens Socrates dialectica illa criticaque inquirendi ratione et morum praeceptis sanctissimis Atticae philosophiae fundamenta iecit, cuius splendor ad nostra usque tempora fulget clarissime. Quum vero illo quoque aevo essent, qui vana superstitione subacti philosophiae lucem veluti bubones solem reformidarent, aut callida simulatione privatis vel utilitatibus vel inimicitiis religionem praetenderent, Pericles physica Anaxagorae disciplina anxiis istiusmodi curis exsolutus philosophos, quamdiu potuit, tutatus est; ac postquam valescentibus adversariorum partibus, ut ipsi potissimum molesti essent, Aspasiam et Anaxagoram, qui tamen de divinis rebus dignissime sentiens mentem omnia adornare et gubernare dixit, impietatis accusarunt, Periclis quidem auctoritate et prudentia est effectum, ut ipso superstite in neminem philosophorum acerbius animadverteretur: Aspasiam certe precibus, Anaxagoram clam dimissum periculo exemit: at postea improborum et fanaticorum hominum artibus non modo Protagoras eo redactus est, ut non nisi fuga exitium devitarit et eius libri sint publice cremati, sed ipse Socrates, philosophorum probissimus, tamquam numinis contemptor et corruptor iuventutis supplicio affectus est. Sed tantum, qui tum fuit, litterarum florem, si fieri potest, artes superarunt. Nam postquam satis prospectum opibus colligendis et aerario complendo erat, Pericles populum Atheniensem non ut avarum copiis insidere, nec aurum argentumque in aerario absconditum esse voluit, sed quantum sine publico detrimento posset, erogandum censuit, ut urbs et delubra deorum magnifice ornarentur, eaque plebis pars, quae laborem non aspernaretur, honesto aleretur quaestu: quum praeterea videret, Athenienses non ut Spartanos vel

›eotos fructibus suis vivere agrisque quasi adscriptos esse posse, d civitatem populari imperio maritimaque potentia utentem ›ricae praestantia et celebritate auctaque inde mercatura ex-›llere debere. Igitur ille populo persuasit, ut talia moliretur ›era, quibus sempiternum civitati decus accederet omnesque ·tes manusque omnes moverentur, atque universa prope urbs ‹ se ipsa simul ornaretur et nutriretur; qui marmor, aes, au-ım, ebur, cupressum, ebenum tractabant, omnis generis fabri, picidae, sculptores, aurifices, pictores, plumarii, tinctores, po-remo qui navibus plaustrisve materiam apportabant, ita Peri-is consilio exerciti sunt, ut summa tum Athenis officinarum et pificii industria esset. Quodque maxime mireris, brevissimo patio non unum ille et alterum aedificium, sed plurima et im-rimis ardua opera absolvit, Parthenonem, Eleusinium mysta-ım receptaculum, Odeum, longos muros, Propylaea, alia: non lla brevi casura, sed quae non dicam temporis iniuriam, sed mmanium barbarorum vastationes superare potuerint. Nam qui ›opulum aeque olim fortem atque ingeniosum, postquam variis ;asibus a maiorum virtute paullatim degeneraverat, in servitu-em iniquissimam redegerunt, ex qua utinam nunc magnanimis ›ontentionibus parentum fama dignis in perpetuum vindicetur, ıon potuerunt pristini splendoris monumenta prorsus delere; sed ıt omnis per Europam elegantior cultus a Graecis profectus est, ita lla opera etiamnunc nostris artificibus exemplo sunt, et in hac ipsa urbe signorum in Parthenonis fastigiis servatorum reliquiae Regis nostri beneficio imaginibus expressae conspiciuntur. Iam vero ut ad alteram artium partem, quae in musicis praecipue versatur, transeam, sub Pericle in festis deorum scenicae actio-nes et omnis generis chori pompaeque sollemnes tanto apparatu, non rudi quidem et barbaro sed magnifico et eleganti celebra-tae sunt, his ut rebus plus sumptuum impensum putetur quam bellicis pro libertate et principatu expeditionibus: histrionesque et cantores et saltatores tibicinesque et fidicines Athenis claris-simi extiterunt: quorum perfectio etsi hodie oculis auribusque percipi nequit, tamen qui viris cultissimis, qui Pericli vel So-phocli placere potuerint, in sua quosque arte summos fuisse non nisi antiquitatis imperitus negare sustinuerit. Ita Periclis potissimum merito factum est, ut Athenienses ad pulcherrima quaeque unice probanda recteque aestimanda formarentur et eximia eruditio iudiciique elegantia et subtilitas in universos

propagaretur cives. Simul quoniam artes nondum in mollitiam inclinaverant, ingentium quae spectabantur rerum gravitate animi ad generosa consilia et magna facinora incitabantur. Idem tamen vir, qui in civitatem praeclaris decoribus quibusvis ornandam omne conferebat studium, in privata vita modestus, parcus, ab omni luxu tam alienus fuit, ut rem familiarem simplicissime instructam haberet, neque ad coenam invitatus unquam, nisi semel in Euryptolemi propinqui nuptiis, et ne tum quidem nisi usque ad incipientem compotationem convivio adesset: in hoc quoque prorsus dissimilis posteriorum rei publicae antistitum, qui quum civitas in viis, fontibus, tectorio pinnis inducendo occupata nullum fere maioribus dignum opus susciperet, ampliores quam res publica sibi domos exstruebant lautitiisque affluebant.

Sed nimium fortasse in Periclis contemplatione commoratus sum, auditores; neque tamen id perfeci, quod perfecturum me esse poterat aliquis exspectare: non ego exilibus verbis tantas res aequare possum, neque his limitibus circumscripto licet in singulas ita excurrere, ut satisfacere dicendo possit; denique Periclis non universam imaginem delineare nec de illo sua causa dicere institui, sed civitatis principem, qui litteras artesque eximie adiuvisset, proponere volui. In quo delegi eum, quem ut exemplar nitidissimum omnibusque numeris absolutum proposuisse non paeniteret; quem si verbis ornare tentasses, hoc unum assecutus esses, ut laude maior videretur. Quodsi prae illo de Mediceae stirpis principibus dixissem, reprehendi iure possem, quod maxima negligerem, minora captassem; quamquam hos summa praedicatione dignos esse ego minime negaverim: sin Ludovicum Gallorum regem, quem aequalium adulatio Magnum esse voluit, produxissem, vererer ne oratio mea contemneretur; Octavianum Augustum litteris sane benignum Periclem longo intervallo sequi intelligo: Aegypti reges Ptolemaeos, ut eruditionis studiosissimos, ita morum pravitate vel luxu foedos plerosque qua fronte in eum, qui hodie agitur, conventum adduxerim? Attamen haud aegre concedo, nostra tempora illis, quae modo significavi, multo esse similiora quam saeculo Periclis; utque illae aetates, ita haec nostra Pericleam aemulari, non consequi potest. Nam uniuscuiusque aevi cultus multarum variarumque causarum concursu provenit et absolvitur: nostrum autem saeculum, siquod aliud, longissimo spatio distat a Peri-

leae aetatis nativa simplicitate ceterisque, quibus Graecia tum raestabat, virtutibus, quas exponere longum neque huic loco ccommodatum est. Igitur qui hodie Pericles fieri vel maxime ibi proposuerit, quidvis tentando et largiendo non multum rofecerit: quippe nemo suis consiliis eum rerum statum adduet, qui in universa populi natura et indole, in temporum priorum decursu, praesentium condicione, ut uno omnia verbo comlectar, in gentis fato divinitus praestituto iacta fundamenta ıabeat; nec quantumvis Pericli tribuerit, quisquam infitias iveit, non Periclem illa ingeniâ provocasse omnia, sed illa fovisse et subsidiis instruxisse, illis liberaliter et munifice usum esse. Nostra quidem aetate constat rerum omnium faciem esse prorsus diversam; amplior quam olim litterarum campus: litterae ipsae multiplices: harum alia genera liberalia, alia in usum vitae aut conversa aut inventa: artium, quas pulchras vocant, usus minus late patens: aliae profecto aeque atque antiquitus celebres et pro nostrorum hominum iudicio, quod de musica potissimum censetur, perfectiores; aliae in multis etiam cultioris Europae terris post praeclara olim initia tantum non obsoletae. Numinis reverentia in mentibus, caerimoniae ut plurimum sine splendido apparatu: vulgus in quaestum intentus, nullo fere pulchritudinis sensu aut veneratione; nec eruditionem seponere ab utilitate didicerunt. Itaque hodie qui rei publicae praefectus artibus litterisque consulere constituerit, pro ea, quae nunc est, rerum indole saltem ex parte alia longe atque ille Pericles instituta sequi debebit: et certe Fridericus Guilelmus, rex sapientissimus, quod fieri potest, agit sedulo. Nam primum ut de iis artibus dicam, quae in signis statuisque elaborandis, in caelando et scalpendo, postremo in delineando et pingendo occupatae sunt, earum adiuvandarum munus, quod olim simplex fuit, si a scholarum institutione recesseris, quam hoc loco omittam, nunc duplex potissimum esse deprehenditur. Etenim postquam maxima ex parte Graeci, deinde etiam recentiorum ii, qui inde a litteris instauratis pictura praecipue inclaruerunt, rectam rationem exemplis eximiis docuere, diversaeque artificum extiterunt sectae, a quibus varia tentata et effecta sunt; quoniam exemplis, quae non ubivis inveniuntur, et artifices instituendi et spectantium animi formandi sunt, intellectum est colligenda monimenta et optima exemplaria proponenda esse, in quibus artium origines, progressus, labes, quidque praestabile, quid vitandum esset,

cognosceretur. Sed congerendis marmorum fragmentis tabulisque pictis quamvis praeclaris artes non recreantur, nisi ingeniis, quae nunquam plane desunt, digna et larga praebeatur materia, in qua quid ipsa valeant non semel atque iterum experiri, sed continuo usu et frequente exercitatione ad perfectionem pervenire possint. Utrumque subsidium Fridericus Guilelmus ex eo maxime tempore praestat, quo imperii potentia et dignitas ipsius consiliis prudentissimis et exercituum virtute restituta est. Qui postquam pretiosissimos operum elegantium thesauros ipsius maiorum liberali cura magnifice instructos ex hostium spoliis recuperavit, eosdem suo sumptu novis et insignibus copiis auxit et aucturus est; et quoniam sparsus per regias domos hic apparatus iis, quae desiderantur, commodis inservire non potest, iussit artibus museum condi, quod quando absolutum et adornatum erit, haud minorem, quam aliquot iam primariae urbes offerunt, studiosis oblectationem, artificibus utilitatem praebebit. Sed Fridericus Guilelmus in hoc se non continet. Nam quemadmodum etiam officinas et vulgaria opificia ad maiorem perfectionem adduci, ut exteros aemulari possemus, Borussiae reges voluerunt iamdudum; ita Fridericus Guilelmus, in cuius imperio insignes civitas artifices nacta est, architectis, sculptoribus, statuariis, pictoribus magnam suppeditat materiam operibus clarissimis suscipiendis, quae videntur aetatem ferre posse: ornat templa pius rex, condit monimenta, statuas ponit gratus erga populum, exercitus, duces imperator; theatrum flammis absumptum restituit princeps civilis et urbis delectationibus indulgens. Nec verear ea dicere, quae morosi ludicra putaverint, scenica et musica; quibus tanto impensior cura adhibenda est, quo magis, si venusta spectentur, quotidiana auditione civium finguntur animi, si prava aut minus decora, iudicium et mores corrumpuntur. Quis est enim qui Periclis severitati detractum putet, quod scenicis commissionibus patriam ornavit? quis non intelligit comis esse principis populi voluptatibus misceri? quis ignorat nulla re quam scenae disciplina ipsis quasi propria Athenienses esse cultiores factos, et ex universis Graecis litteris nihil ad nos pervenisse gravius aut magnificentius quam fabulas scenicas et carmina musicis ludis scripta? Igitur in his dignum hoc regno splendorem institui, id vero plane Pericleum est; eo magis quo simplicior Friderici Guilelmi privatus victus cultusque cernitur: ut videas illum non ostentationem et pompam sed publicum decus spectare. Sed his dimissis, ut ad

ia perveniam, quae nobis proxima sunt, litteris quoque alia atque antiquitus ratione succurrendum esse non est quod multis exponam. Quae quum olim solam fere a re publica securitatem et honorificam aestimationem expetendam haberent, quoniam qui illas sive scriptis seu voce docebant, aut ipsi re domestica satis erant instructi, aut ingentem a discipulis mercedem exigebant, diu est ex quo principum et civitatium cura indigent, scholisque condendis et stipendiis magistrorum augendae sunt. Qua in re qualem se Fridericus Guilelmus praestiterit, haec ipsa universitas litteraria, hic ipse conventus documento est, qui, nisi ab illo convocati essemus, non hoc loco ageretur. Neque vero ille uni generi scholarum aut uni disciplinae generi studio aliquo, ut principes solent, ductus favet, ceteras posthabet, sed quod longe optimum est, aequali quadam benignitate prosequitur omnes. Igitur ut de minoribus ludis taceam, in universo imperio Borussico gymnasia et lycea idoneis praeceptoribus instruuntur lautius; iis rebus, quae ad vitae communis et civitatis commoda pertinent, peculiares scholae instituuntur; universitates vero, in quibus altior doctrinarum scientia tradatur, nemo eorum, qui longo ex tempore fuerunt, principum munificentius et sapientius conservavit, instauravit, condidit. Quae dum quam brevissime percurro nec multis verbis exorno, nihilo minus id mihi perfecisse videor, ut non plane vacua neque ab his sollemnibus aliena Periclis iniecta mentio habeatur. Igitur sicuti illius aetas optimarum rerum largum tulit proventum, cuius reliquiis etiamnunc oblectamur et erudimur, ita Friderici Guilelmi principatus, precor, flore artium et litterarum magis in dies sit conspicuus et talia proferat, quibus etiam ad insequentia saecula similis transfundatur eruditionis fama et fructus: ut cuius nomini integritate vitae, bonitate imperii, rerum gestarum magnitudine satis ad posteros prospectum sit, idem illa quoque gloria mactetur. His artibus Fridericus Guilelmus civium caritatem et venerationem nactus est ac tuetur; et quod moriens Pericles, quum circumsistentium alii alia in eius vita praedicarent, fertur dixisse, haec etiam aliis contigisse sibique cum fortuna communia esse, illud sibi esse multo maximum et pulcherrimum, quod nemo Atheniensium per ipsum pullam vestem induisset, id Fridericus Guilelmus superat: quem cum fortuna colluctantem vidimus, per quem non modo nemo unquam pullam vestem induit, sed cuius in nataliciis cives sollemni et laeta utuntur veste. Talem igitur

regem Deus Optimus Maximus cum domo Augusta servet incolumem, illique et rei publicae, quam sapienter gubernat, tranquillum, felicem, ad bona quaevis et prospera procedentem deducat cursum.

X.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXII. habita.

Quotquot in aedibus nostris et in hac potissimum curia per annum conventus habentur, eorum nullus nec frequentior, nec praesentium nobilitate et dignitate illustrior, nec rerum, quae aguntur, gravitate sanctior est, auditores, quam haec sollemnia Friderici Guilelmi, Regis carissimi, nomini pie colendo quotannis instituta et posthac instituenda. Quod quo magis intelligo, eo minus mihi non modo in dicendo, sed in ipso argumento deligendo unquam satisfacio; et quum omnium fere rerum tractatio usu et exercitatione facilior reddatur, hoc unum munus, quo id saepius sustineo, eo clarius perspicio ita esse arduum, ut meas vires longe longeque superet. Accedit ceteris difficultatibus non minima haec, quod quum ea, quae in rege maxime insignia sunt, ad rem publicam pertineant, et materia illinc petita videatur dignissima, quam pro tali ac tanta contione explicemus, ego illam rem uberrimam vix attingere audeo; propterea quod animus a publicis negotiis alienus non nisi in litteris occupatus est: id quod Regis nostri sapientissimi voluntati unice consentaneum esse novimus. Igitur ereptis maximis quid superest, auditores, quam ut paullo longius a Regis laudes nec desiderantis nec postulantis praeconio recedens in argumento ex schola petito delitescam, ne in iis verser, quibus minus idoneus videar? Quod ubi mihi largiti fueritis, quoniam unumquemque de iis, in quibus habitat, si non optime, certe mediocriter dicturum probabile est, simul hoc dederitis, ut de antiquarum litterarum disciplina dicam. Sed nolite metuere, ne iis proponendis, quae mihi magis quam vobis, alii diei cuilibet magis

quam Regis meritissimi nataliciis convenire videantur, hodie vobis sim molestus futurus: non ita ineptus sum, ut aut illis litteris, quod nonnulli faciunt, immodice iactandis detrahere ceteris coner, illiberali et arroganti disputatione nihil aliud nisi nauseam audientibus facturus; neque eo usque exspatiabor, ut oratio mea reditum non inveniat: continebo me in iis, quae a nemine vestrum plane aliena esse putem, qui omnes hac publicae institutionis parte potissima instructi estis; et quoniam nulla res a civitatis ratione prorsus seiungi potest, commode perveniam etiam eo, quo me fortasse prius accessurum sperabatis, ut ex iis, quae in hoc imperio bene instituta sunt, domui regnatrici et Principi benignissimo laudem quaeram. Denique, ut vos mihi aequi iudices adsitis, non expeto, nisi me oratorem haud iniquum esse cognoscetis.

Nam, ut ab hoc exordiar, qui in aliquo genere diutius elaborarunt atque in id animum penitus abdiderunt, non ego indignum iudico, si eidem plurimum tribuunt: quod nisi maximi aestimarent, mirum foret si non totum relinquerent atque ad alia omnia studium et industriam transferrent: attamen siquis nondum intellexerit, prout quisque ingenio feratur, aliis rebus alios excellere, et in universo eruditionis orbe nullam provinciam esse imperantem, nullam paullo ampliorem servientem, nullam unice praestare, ut reliquarum coloni quasi capite censeantur; is sciat se parum profecisse, nec litteras iusta mensura, sed pusillae suae mentis angusto admodum modulo metiri. Scio fuisse et esse theologos, iuris peritos, medicos, philosophos, philologos, physicos, poetas, qui sese solos, quod operae pretium sit, scire, ceteros aut nihil aut nugatoria scire, et reliquas artes omnes flocci pendendas esse existiment: qui mihi hac ipsa iudicii superbia confiteri videntur, se plurima nescire: nam nisi quidquid ultra eius, quam amplexi sunt, disciplinae fines situm est plane ignorarent, vel externa illa leviter tantum attigissent et primoribus labris gustassent, singulis artibus cognovissent recte tractatis scientiam inesse profundissimam. Sed ut in iis scholis, in quibus una aut altera doctrina separatim traditur, hanc suo seorsum loco superbire patiamur; certe in universitate litteraria, ubi unicuique arti doctores eximii dati sunt, siquis forte docentium ceteras disciplinas contemnat, eo est minus ferendus, quo facilius ex collegarum consortione errorem corrigere, et quo damnosior discipulis fieri potest. Etenim qui so-

litarius vivit, quod aliena cum suis raro componit, frequentius eo adducetur, ut sua pluris, quam par est, habeat; contra nihil eruditum potest magis ad modestiam compellere, quam variarum artium quotidianus quasi adspectus: et qui discentes aliena obtrectando ab iis cognoscendis retrahit, earum rerum, quibus animum alant, magnam iis partem eripit. Quapropter de antiquitatis studio verba facturus id potissimum operam dabo, ut quod de illo in aliarum doctrinarum detrimentum praedicari falso solet, removeam diligenter, quum praesertim aliquid illi vulgo tribui intelligam, quod omnibus potius bonis artibus videatur commune esse. Etenim invaluit, ut quae hac disciplina comprehenduntur, studia humanitatis vocarentur: unde quidam profecti huic litterarum generi humanitatem putarunt propriam et peculiarem esse. Quod tantum abest, ut verum censeam, ut a nulla scientia, quae hoc nomine digna sit, humanitatem arbitrer abesse posse. Nam primum ubi humanitatem credas in elegantia morum, in comitate, lenitate, lepore positam esse; nemo non intelligit aliquid, sed aliquid tantum, ad haec litteras quaslibet conferre, quod omnibus mores emolliuntur et cupiditates temperantur: immo qui in antiquitatis cognitione occupati sunt, ad istam vocis potestatem comparatos haud reperiri semper humanissimos, multi conquesti sunt. Quamquam equidem severitatem ac suo loco ipsam acerbitatem cum genuina humanitate pugnare aegre concesserim; quis enim in omnibus rebus et erga omnes obsequium probet? quis non potius vitia, malitiam, corruptos mores summa vi persequendos et perstringendos iudicet? Nam profecto qui se omnibus obsequiosum praestet, eum non tam humanum quam ignavum aut vulpeculae instar versutum fictumque dixerim; et Ciceronem Demosthenemque, licet in adversarios magno impetu irruentes, nemo tamen negaverit homines fuisse cultissimos. At maius quiddam et gravius humanitate comprehendi iudico, facultatem dico recte et ex praeceptis virtutis agendi, notiones rerum universas, quas ideas appellant, mente concipiendi, postremo ea, quae sentias, apte explicandi: quae quum homini sint propria, unice videntur humanitatis vim continere. Iam vero quis tam stolidus est, ut in eo praesertim, qui nunc obtinet, eruditionis statu illa putet in solis antiquis litteris vel in his praecipue fundata esse? Ne enim de vita ad virtutem conformanda dicam, unicuique disciplinae insitas esse notiones purissimas, philosophiam autem his ipsis eminere, nisi

anis commentis pessumdetur, non est quod demonstremus. Et uis theologiam secludere ab humanitate ausit, nisi qui deum x homine exsulare iusserit? Iuris vero doctrina et medica ars, t usui et experientiae, ita notionibus altissimis innixae sunt. Atque ut concedamus, perfectam philologiam potuisse nonnullis mprimis humanam videri, quae in ingenii operibus absolutissiais humani animi immensam profunditatem experiatur, et quidquid magnificum, generosum, dulce, suave est, quidquid hominum mentes commovet, percellit, componit, erigit, interiore cognitione comprehendat: tamen scriptae illae Musae non solae ucunditatem spirant; etiam florum calices corollasque inhabitat Venus et Gratia: Empedoclea illa principia, amor et odium, quibus homines ducuntur, etiam rerum naturam regunt, materias inanimas congregant et segregant, consociant, dissociant; et ratio per mundum universum diffusa in maximis minimisque divini fabricatoris operibus notionum formas et imagines menti ad illa intentae offundit. Nec si cuperem, dicere possem, quo iure quaestiones grammaticae subtilissimae possent magis humanae haberi quam physicorum observationes microscopicae. Quid quod universa antiquitatis studiorum materia, si linguas veteres exceperis, ipsis ceteris disciplinis continetur? quae nisi ad humanitatem pertinerent, non posset illud, quod inde compositum est, studium humanum vocari. Nisi forte humanitatem in eo quaesiveris, ut in philologorum litteris sola singularum rerum initia tenuia tradantur, abstrusiora negligantur: quemadmodum Aristoteles liberaliter educandos artibus non ita institui voluit, ut in iis perfecti, sed ut rudimentis imbuti essent: quod ut de educatione liberali non male dictum est, ita non debet ad doctrinarum rationem iudicandam transferri. Mihi quidem, ut satis significavi, humanitas imprimis in notionum videtur intelligentia cerni: quae ubi deficiunt, ibi incipere sellularium opificium arbitror; quo eorum ipsorum, qui antiquis litteris operam dant, teneri video haud paucos; omnes dico, qui maioribus impares, molem rerum et verborum rudem, inconditam, tenebricosam congerunt. Sed consideremus etiam illam humanitatis partem, quam in eo positam dixi, ut fari, quae sentias, possis. Ad quam non nego antiquarum litterarum studium prodesse eximie posse, quippe quod in scriptorum praestantissimorum exemplis perfectissimis verba, sententias, stilum, orationem spectet et examinet; attamen non tanta, quanta vulgo putatur,

haec est utilitas. Primum enim naturae maxime beneficio disertos fieri constat; sed accedere debet exercitatio, quae in antiquitatis studiosis solet perexigua esse. Dein critica et grammatica disciplina iudicium quidem format et fingit, sed a prompte disserendo magis revocat quam eam facultatem affert. Enimvero plurimos, qui in illo genere diligentius versantur (nec me excipio), non magnopere in dicendo exercitatos esse, sed accurata et subtili sermonis disquisitione eo redigi videmus, ut et copia sententiarum eos deficiat, et ipsa oratio, quod vitia acrius perspiciunt et formidolosius cavent, sibi quasi diffidens minus fluat: fere ut Aristarchus, grammaticorum parens, interrogatus ut videtur, cur non ipse carmen componeret, quum carminum vitia et virtutes optime cognitas haberet, fertur respondisse, neque se posse scribere, quemadmodum vellet, neque velle, quemadmodum posset. Alii optimis exemplaribus versandis hoc unum assecuti sunt, ut, quod Latinis maxime oratoribus exprobratur, multis verbis nihil dicant, vel ut Imperator Claudius eleganter sed inepte scribant. Postremo si aequabilem virium animi cultum, quem antiquarum litterarum studia praestare dicuntur, nec tamen multis praestiterunt, humanitatis nomine vocare velis, illa ipsa aequabilis eruditio magis ex ingenii bonitate pendet, eoque erit perfectior, quo plura probe subacta et digesta mens cogitatione complecti potuerit; in quo summi erunt philosophi, siqui, quam indolis magnitudinem in Aristotele et Leibnitio fuisse scimus, universum doctrinarum orbem permeaverint.

Quae quum ita sint, mitto eximium illum titulum litteris nostris impositum, et in eam, unde propagatus est, aetatem relego, qua Europae nationes ex barbariae inveteratae sordibus emergentes et in veterum auctorum contemplatione incalescentes hinc omnis melioris cultus semina petebant, qua summus poeta Dantes Alighierius Virgilium tamquam omnibus numeris absolutum artis suae specimen suspiciebat, Franciscus Petrarca de restituenda in communem usum Latina lingua cogitabat, qua in Platonis et Aristotelis libris unici sanioris philosophiae fontes scaturiebant; denique qua ad antiquorum scriptorum elegantiam Latino sermone aemulandam merito optima ingenia convertebantur: nunc adultis litteris aliter statuendum videtur. Itaque ubi, quae et qualis philologia meo iudicio sit, quaeritis, simplicissima ratione respondeo, si non latiore, quae in ipso

ocabulo inest, potestate accipitur, sed ut solet ad antiquas litteras refertur, esse eam universae antiquitatis cognitionem historicam et philosopham. Universae inquam antiquitatis: quo distat quodammodo ab historia res ex ordine temporum gestas potissimum docente, quum philologia omnem antiquorum populorum vitam comprehendat eamque per partes quasque cognoscere conetur: quamquam qui rem acrius spectaverit, nullam inveniet philologiae partem, quin historiae possit argumentum fieri. Magnopere igitur errare mihi videntur, qui huius disciplinae fines ad interpretis et critici artes restringunt, quibus manifestum est non summos doctrinae fines, sed veri inveniendi instrumenta contineri: quod non in illarum artium contemptum, sed quod res ipsa postulat, dico, qui potius in illis aliquid reconditius, quam plurimi vident, inesse intelligam, modo ne criticam in solis corrigendis librariorum mendis positam arbitrentur, dum divam vocant, illius scilicet divinitatem exili isto usu suo ultro irridentes et prostituentes. Nec minus turpe iudico, siquis rudem variarum rerum congeriem pro philologia venditet: cui ubi philosopham cognitionem tribuo, hoc significo, summas esse notiones indagandas veteribus nationibus natura insitas et in singulis antiqui cultus partibus velut in adspectabilibus imaginibus expressas: quae notiones non ex arbitrio constituendae, quomodo recta via inveniri possint, nunc non exponam. Iam ne in hac re sane magna, quod universae doctrinae caput dixerim, diutius immorer, ubi ad singulas partes perveneris, uniuscuiusque non modo bene digesta et idoneis testibus comprobata, sed summis illis notionibus congrua expositio reddenda est, ut, dum quaeque ante oculos panditur, non fortuito, sed interiore necessitate, quantum haec in rebus humanis inesse potest, ita conformatam et has decursu temporum vicissitudines expertam esse intelligamus. Ipsas autem partes, suis rursum articulis dividendas, tribus verbis indico: primam rerum publice gestarum, cum temporum et locorum notitia, et institutorum civilium, etiam iuris cognitionem; alteram privatarum rerum, tertiam religionum artiumque demonstrationem; quartam doctrinarum omnium, philosophiae, moralium et naturalium disciplinarum, stilorum ac litterariorum generum historiam, postremo linguae, cui primitiva gentis scientia innata est, perfectam explicationem: quas partes cunctam philologiae materiam complectentes cur ita composuerim et disiunxerim, ampliorem exposcit indaginem. Quodsi

antiquitatis studia in hunc modum delineaveris, non modo altissimam latissimamque illis eruditionem exerceri, sed ut plurimis artibus, ita etiam huic neminem unum sufficere concedes: immo qui in omnibus partibus perfectus fieri contenderit, eum in nulla summum assequi posse constat, quemadmodum, qui primus philologi nomine usus est, Eratosthenes in nulla re princeps, in omnibus secundus habitus est. Dividendis operis hic quoque plurimum proficietur, quoniam, ut Hesiodus ait, dimidium plus toto; sed in quaqua singuli particula insigniorem collocant industriam, potissimis universae disciplinae notionibus debent instructi esse, ne opificum occupent locum. Postremo quum certum esse videatur, ut Graeci cunctarum artium initia ad Homerum auctorem rettulerunt, ita omnes, quae nostris temporibus excultae sunt, artes in antiquitate radices habere; patet omnibus doctis communem esse philologiam, non iis, qui philologi appellantur, propriam, nec posse sine ceterarum disciplinarum adminiculo absolvi.

Perfecisse mihi videor, quod volebam, auditores, ut ostenderem, nolle mea me studia praeter modum verbis exornare, sed communem me omnium eruditorum rem agere, ut par est in tanta apud nos variarum disciplinarum concordia, quarum nullam ceteris aut potiorem aut utiliorem esse etiam viri illi amplissimi iudicant, quos Pater patriae summo nostro commodo nobis praepositos esse voluit; simul id ex mea disputatione opinor colligi posse, non indignam esse antiquitatis doctrinam, quae multorum doctorum studiis colatur; etsi ne haec quidem perfecta est, siquis nostrae aetatis artibus contemptis nihil nisi antiqua cognoverit. Sed quum de ipsa antiquitatis scientia hucusque dixerim, transeo nunc ad id, quod ad publicam potissimum utilitatem referatur. Nam quum antiquis litteris, propagata ex priore aetate consuetudine, praecipuus in scholarum disciplina locus datus reperiatur; quaesitum est, rectene hoc institutum adhuc retineretur necne: quippe intellectum erat, quod supra exposui, etiam ceteras disciplinas humanitatis spargere semina. Sed ne ad argumenta, quibus utrinque certatum est, descendam, neve exponam, quomodo, qui aliquam linguam in pueritia recte addiscit, non solum animi vires acerrime exerceat, sed etiam immensam notionum copiam quasi insciens imbibat: quae antiquis litteris in educanda iuventute praerogativa tribuitur, hoc imprimis fundamento niti videtur, quod, quidquid recens aetas

›tulit eximii, non desierunt veteres potissimum scriptores clas-
i esse, tenerique animi iis, quae optima sunt, debent imbui,
pulcherrimis formis repleantur. Video quidem, qui classici
ıt, dubitari posse; sed ut longam disquisitionem brevi praeci-
m, id dico classicum, quod quo magis consideres, eo magis
acet, non classicum, quod etiamsi initio placuerit, assidua
ntemplatione evilescit. Nec de unius tantum hominis aut
ıucorum iudicio loquor: quod classicum est, succedentium ae-
tum consensu crescit senescens, si tamen quod semper viget
nescit; ceterarum rerum gratiam ex novitate metimur. Tem-
ıs probat omnia; tempore veteres illi scriptores probati sunt;
saeculorum iudicium in iis praesertim, quae publice instituun-
r, haud minimi faciendum est, nec quidquam temere novan-
ım. At maiores nostros prudentissimos in antiquis auctoribus
ventuti tradendis etiam aliud spectasse, ex indiciis quibusdam
›niicio. Nam licet rerum naturam scrutari merito eximium
ıbeatur, humanae tamen res homini proximae sunt; inter hu-
ana vero nihil hominibus communius est, nihil debet carius
ıse, quam illa societas a natura ipsa constituta, quae omnia
›minis bona continet, civitas uniuscuiusque patria. Atqui pa-
iae caritas per universos prope veteres scriptores ita est diffu-
ı, ut hunc antiquitatis quasi spiritum vitalem dixerim: evolve
oetas, philosophos, oratores, rerum auctores; patriae, et sine
ua patria esse nulla potest, libertatis amorem intimis omnium
isceribus infixum esse reperies. Quod quum considero, nulla
atriae historiae explicatione, in qua omnino claudicamus, quod
raeclari ex hoc genere scriptores apud nostrates certas ob cau-
as raro exsistunt, nulla legum et institutorum patriorum notitia,
ullis publicis sollemnibus caritatem patriae et iustae libertatis
ensus ita foveri ut veterum scriptorum lectione, puerosque illa
lisciplina recte instructos cum primis rudimentis, ipso Nepote
egendo, praeclaris ali exemplis, haud cunctanter affirmo: quin
tiam, quum praestantiores veteribus civilis prudentiae magistri
nveniri nulli possint, non tantum pueri ex illis ad caritatem
›atriae, sed etiam viri ad res gerendas instituentur. Sed de
ıoc, quamquam summorum id hominum auctoritate et re ipsa
›omprobari potest, satius duco tacere, ne quod meae personae
›onvenit, excedam: quod priore loco posui, conspicuis exemplis
llustrare iuvat. Fridericus Magnus et Neapolio Imperator do-
›umento sunto. Quorum iste alter quum iniquae tyrannidi in-

festam vi studia in horum tractationem esse pro sua perspicacitate intelligimamque ipsi magnopere displicuit; Friderico Magno huius imperatori praecipuo, ut omnia quae animum alere servitio liberare possent, sic Graecos Latinosque auctores in primis placuisse et institutioni scholasticae esse aptissimos visa res est notissima. Qui in limine senectae, attritis corporis viribus sed mente integra, quum sibi optimos quosque scriptores Graecos assidue recitari iussisset, licet Gallicis potissimum litteris a Graecorum indole alienissimis esset excultus, ipsosque illos Graecos auctores vi sua fraudatos ex solis Gallicis interpretationibus nosceret; tamen illis egregie delectatus, et, ut in hoc uno consistam, in Demosthenis de corona oratione magnis sententiis et carissimo erga patriam affectu referta ingenii praestantiam admiratus est. Eundem scimus suis, non amicorum consiliis ductum iussisse, ut Graeci Latinique scriptores praecipui in scholis diligentissime legerentur, nec tantum verba adolescentulorum mandarentur memoriae, sed etiam rerum tractandarum ratio et res ipsae ac sententiae explicarentur. Ita Friderico Magno regnante in hoc imperio et in hac maxime urbe melioris disciplinae fundamenta certiora iacta sunt; quae instituta Fridericus Guilelmus, Rex noster sapientissimus, non modo retinuit sed firmavit; idem victo Europae communi hoste eam, quae ab isto imminebat, avertit barbariem. Quocirca non possum quin illud, de quo dixi, institutum praedicem: hoc enim pignus libertatis est. Quam qui ulla ex causa reformidarunt, ne scriptores illi iuventuti integri traderentur, caverunt; ut mutilarentur etiam animi, ne artus moveri possent: quamquam raro isti, quod cupiebant, assecuti sunt, quod, ut clarissimi scriptoris verba huic rei accommodem, praesenti potentia exstingui non potest sequentis aevi memoria. Neque vero quum adolescens progenies illis alimentis nutritur, rebus gerendis immiscetur, quibus veteres ipsi, suis huic rei annis constitutis, imparem habuerunt; sed a rerum praesentium contagione procul remota in aura pura versatur, quam spiritu ducere iuvenilis mens debet. Quare errasse mihi magnopere videntur, qui, quum genuinos Germanos fingere vellent, antiquarum litterarum studiis magna ex parte tantum non infensi, illa aut expellenda aut finibus angustissimis circumscribenda existimarunt.

Conservemus igitur hoc generis humani bonum commune, quo omnes aetates altae sunt: sed agamus etiam gratias Principi

nentissimo, quem tacite quidem semp simum scripte palam eramur, cuius auspiciis scholarum discipli nt, debllis praeıtissimis, qui nobis quoque praefecti sunt, s . a faustiso adiuvatur. Ex quo intelligitur illos perspectum habere, bus rebus vera populi salus fulta sit: nam ut ridiculum ere videar, tamen dicam, non exercitus, non opes, non illussimos viros tanto esse civitati munimento, quanto bonos iuıtutis magistros; inter quos nos quidem primi sumus, sed olastici praeceptores, in quibus haud pauci ea doctrinae co- instructi sunt, ut etiam maioribus muneribus sufficiant, eo gis mihi remuneratione digni videntur, quo maior eorum motia est et locus minus splendidus. In universitatibus litteracopiosius instruendis civitatium rectores non semper ab ostenione videntur alieni fuisse, quod tanta illarum auctoritas olim)ita est ac partim etiamnunc habetur, ut una universitate ·riari universum regnum possit: scholarum instituta minus concua ubi eadem cura digna putantur, non vanam speciem, sed ani rerum veritatem unice spectari constat. Sed Fridericus ıilelmus utraque gloria ornatus est, et universitatum summa ın munificentia eaque omnis iactationis experte institutarum ıue amplissima supellectile ornatarum, quam nos potissimum debemus, et vero etiam scholarum magis magisque auctam. Nobis autem quum ceteri civitatis ministri tum scholaci et ecclesiastici doctores formandi sunt, qui satisfacere rei blicae necessitatibus, satisfacere Regis benignissimi desideriis ssint: quod officium quan sit, nemo vestrum non intelligit.)mmovetur animus, auditores, ubi cogito, quantopere his praertim temporibus, quibus omnium in nos oculi coniiciuntur, nobis laborandum sit, ut conditoris nostri optimum quidque cupien respondeamus votis: sed voluntatem nostram ubi viderit, ıoniam nihil perfecti humanis viribus effici potest, iis quae fecta relinquuntur veniam dabit placide. Commovetur animr ,)i quanta illi debeamus, uno in conspectu video; occluditur , dum quid primum, quid secundum, quid tertium dicam, haeto. Quapropter ut paucis haud pauca complectar, quidquid ır tot annos de Rege carissimo hoc die et ex hoc ipso sugestu dixi: multa enim dixi, vobis testibus, quae non opinor a ıoquam vestrum esse oblivioni tradita, quos scio mihi attentos mper auditores affuisse: quidquid igitur superioribus annis toens dixi, id scitote omne in hoc temporis articulo mentem

meam implere; id animo repetite, atque inde coniecturam facite, quantum sit quod sentio. His sensibus vos quoque repleti mecum precamini Deum bonorum omnium auctorem et conservatorem, ut caput illud sanctissimum nobis et rei publicae servet in extremam senectutem, et regiam domum universam integram, salvam, incolumem praestet perpetuo.

XI.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXIII. habita.

Quum ex eo inde tempore, auditores, quo nostra litterarum sedes a Friderico Guilelmo auspiciis faustissimis condita est, singulis annis semel et hoc ipso die ex hoc loco Regis dilectissimi laudes expositas audiveritis; hoc quem agimus anno academico insigni Dei munere contigit, ut hodiernis sollemnibus non primis sed secundis optimum veneremur Principem: postquam illum diem laetissimum vidimus, quo universa res publica Patri patriae quinque et viginti imperii annos per virtutes et beneficia exactos cum summo pietatis affectu gratulata nobiscum est. Convenerat tum corona sane splendida virorum illustrium in publicis negotiis versatorum, et in primo loco consederat Regis filius, heres regni, spes et deliciae populi: coram quibus summus magistratus noster, quum intelligeret sollemnibus singularibus, quae ne singularia maneant, precamur quum maxime, magnificentiorem uberioremque convenire orationem, quum praeterea ipse olim rem publicam gessisset, suaeque et illorum, qui aderant, personis aptum iudicasset argumentum magnam partem ex interiore rerum notitia petitum; haec, inquam, quum ita essent, sic tum dixit, ut quidquid a Friderico Guilelmo per tot lustra domi militiaeque egregie gestum est, quidquid prudens, pium, civile, generosum, copiose exponeret, denique Principem per omnes publicae et privatae vitae partes eximie dilaudaret, sibique, venia sit dicenti, quam successoribus benignior omnem materiam quantumvis largam secundario oratori apud memores aures prae-

eret. Quapropter quod prioribus annis feci, ut non universa gis merita dedita opera exponerem, sed rem aliquam quodam-do externam tractarem, eamque praesenti rerum statui ac-nmodarem, et Regis inde laudem singularem repeterem, id hi nunc unum relictum video. Quamquam ne sic quidem ex-ditam mihi dicendi viam esse intelligetis, si cogitabitis, deci-m me hodie in his ipsis sollemnibus orationem habere; siquid genium meum vel in Regis nomine celebrando vel in argu-nto, quod huic diei et vobis conveniat, explicando valeat, id omne dudum exhausisse; postremo, quum me et vobis in-gnum iudicem prius dicta repetere, materiam magis iamiam longinquo esse arcessendam; ut iniquus sit, qui quod condi-nis meae incommodum est, mihi vitio verterit. Sed mihi re-tanti, quotiens Friderici Guilelmi egregia de litteris merita aedicaverim, haec oblata cogitatio est, ut eximium sit in prin-pe litteris succurrere, hac praesertim aetate, ubi doctrinae in spicionem adductae sunt, saeculumque ad liberalem et profun-m scientiam erectum obscurae quorundam contentiones redu-re in tenebras conantur; tamen illam non absolutam regis udem esse, quod multos principes constet et eruditionem et uditorum studium cum summa morum improbitate et saeva potentique dominatione coniunxisse: igitur illi erga artes be-gnitati non multum tribuendum esse, nisi ea ex animo ab nni pravitate alieno manaverit. Ad quam normam ubi Fride-cum Guilelmum comparamus, quid in illo nos magis laetitia ficit, quam tantus ille virtutum concentus? Nam quum litteras artes fovet, tum pius et religiosus est sine superstitione; um divini numinis reverentiam et in suo pectore alit sanctis-me et in civium animis propagat, tum strenuus exercitus dux t; et publicarum virtutum decora privatis moribus exaequans veritatem temperat comitate. Talis igitur quum Rex noster ptimus non mea opinione sed omnium consensu sit, quid mi-m si a doctis, ab iis praesertim, quibus ipse publicam disci-linam credidit, non solum eruditionem et sollertiam, verum tiam probitatem postulat? Unde consilium mihi, pauca nunc de s disserere, in quibus eruditorum virtus cerni mihi videatur: t quomodo agendo mea quidem sententia Regis sapientissimi xspectationi satisfaciamus rectissime, quantum exiguo hoc tem-ore fieri potest, aperiam. Cui rei etsi me suffecturum vix ac ie vix quidem spero, qui meae mihi tenuitatis conscius affatim

sim, tamen pro vestra vos indulgentia, quam totiens expertus sum, voluntati meae ignoscetis eo libentius, quod ego non virium fiducia, sed per muneris officium huc accessi.

At de eruditi virtute dicturum me interroget aliquis: num tu doctorum propriam quandam et peculiarem virtutem esse censes, a ceterorum mortalium moribus remotam? Minime vero, respondeo. Quae in omnibus hominibus bona et pulchra sunt, quae uniuscuiusque officia humana vel civilia, privata vel publica habentur, ea sunt etiam eruditorum: immo quanto hi animum magis excoluerunt, tanto communibus omnium virtutibus antecellere ceteros debent, ut ad ipsorum exempla conformari alii possint; contemnendusque vel eruditissimus, qui quod nonnulli olim potissimum fecerunt, sese iis, quae vulgo praescribuntur, honestae vitae praeceptis teneri neget. Attamen quum eruditi certum quoddam negotium sit, quo eius occupationes a ceteris hominibus differant, una generis humani virtus in eruditis, quatenus eruditi sunt, alia atque apud eos, qui in diverso vitae genere versantur, contineri re videtur: quippe scientiae finem, licet illa etiam rei publicae, privatae, domesticae, opificiis, artibus quaestuariis utilis sit, certum est non esse nisi in ipsa scientia repositum; et quum eruditus in scientia occupatus sit, propria eius virtus in hac sola spectanda est. Sed scientiae notio quum a veritate sciungi nequeat; nisi vera doctus cognitione potitus sit, sua orbatus virtute erit: itaque ut universa virtus de summi antiquitatis philosophi sententia cognitione comprehenditur, in doctorum virtutibus sapientiam rectamque rerum cognitionem censeo esse potissimam, tantumque eos a germana sua virtute descivisse, quanto pluribus gravioribusque impliciti erroribus sint: quod ubi pronuntio, non vereor eorum reprehensionem, qui virtutem ad solam voluntatem referunt. Nam quum voluntatem moveat intellectus, ex notionum vitiis prava subnascuntur consilia; erroribusque quibusvis voluntatis sinceritate excusandis virtutem ipsam sustuleris. Quodsi tamen plures de rebus maximis dissentiunt, non ideo alterutros arbitror pravos iudicandos, propterea quod diversissima haud raro placita ex eadem aeterna fluxerunt veritate, quam insita naturae nostrae imbecillitas obstat quo minus puram et intemeratam percipiamus, dum alius alia admiscendo divinam obumbrat speciem, et perfectam cognitionem sequitur ex intervallo. Sed eam ex longissimo intervallo sequetur, quisquis sapientiae studio sui

psius cognitionem non coniunxerit, qua sola quantum profecerit, uidve sciat, quid nesciat, intelligere potest; ut sibi temperans nibus sese contineat, neque alienis, quibus impar sit, immiceatur: cui rei contrarium arrogantiae vitium, quo premuntur onnulli, etiam qui modesti videantur; eos dico, qui quas disciplinas ipsi non satis tenent, eas aliis tradendas suscipiunt: quo ninus probanda mihi eorum opinio videtur, qui iuventutis institutionem non doctissimis sed probissimis viris committendam licunt, quoniam qui in sese id recipiat, cuius nullo modo capax sit, non potest probissimus haberi. Iam vero ut ab iis, quae nagis ad cognitionem pertinent, transeam ad id, quod voluntatis est, sicut corporis sanitas in absoluto omnium partium viriumque concentu posita videtur, ita mentis concordia et consensus iustum virum efficit, nec sine hac concordia virtus animi ulla est; quae vero maior potest discordia esse, quam siquis aliter sentiat, aliter dicat? At cupiditatum vis male coercitarum etiam eruditos falsos fieri subigit, et docet, ut ait ille, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. Inter quos rari sunt, sed sunt tamen, qui ubi praesertim aliquam sibi famam comparaverint, fastu ingenti sufflati ceteros omnes prae se contemnant, ac siquis alius excellat, ferre sine invidia non possint; qui persuadere aliis conentur sese omnia optime scire, et licet alios bene meritos esse ipsi intelligant, tamen iis obtrectent, detrahere eorum laudibus, obesse eorum inceptis cupiant; non alia sane ex causa, nisi quod quum soli sapientes haberi velint, alienum decus in sui fastigii deminutionem accipiunt. Quae gloriae cupido improba sicut nasci nisi ex mala mente non potest, sic qui ea tenetur, non iam verum quaerit, ut verum esse intelligatur, sed ad suum omnia nomen referens ipsam veritatem, ubi sua causa opus iudicaverit, aut impugnare aut involvere tenebris tentat. Mihi quidem, etsi multos scio aliter censere, ambitio non modo non magnum videtur virtutis momentum, sed et in re publica et in litteris malum perniciosissimum esse, neque id in eo, quod nunc ipsum exposui, vitio consistens, sed multo etiam latius grassans. Nam in iis disciplinis, quas nosse omnibus pretium est, qui rerum divinarum et humanarum notitiam a se non alienam putent, in philosophia praesertim historiaque rerumque civilium doctrina, postremo in theologorum scientia pro saeculorum ingenio alio tempore alia quum vulgo tum potentibus placent; quorum gratiam aucupaturi

ambitiosi docti placita sua iis, quibus probari cupiunt, accommodant, atque ita illorum animis adrepunt: igitur sententias huc illuc flectunt et torquent, ac primum alios, mox semet ipsos fallunt: iidem, prout commodum visum fuerit, mutant quod erant antea amplexi; quales viros Graeci cothurnos vocabant. Enimvero doctrinarum divinitas non patitur, ut quasi fercula popinonum palatis, patronorum illae aptentur opinionibus; nec si puro scientiae tramite incedere constituimus, quid quoque lustro cuique placiturum, quid displiciturum sit, possumus circumquaque dispicere. Quodsi pro variis dominantium institutis mutari deberent etiam litterae, aliae hae in populari imperio, aliae sub optimatibus, aliae in regnis forent: quum tamen ea illarum sit condicio, ut soli pareant rationi, quae una et simplex est. Ratio vero quum etiam per civitatis optimae cuiusque partes universas diffusa et disseminata sit, doctrinae recte tractatae cum re publica bene constituta pugnare non possunt: quae si inter se dissident, necesse est aut litterae aut civitates corruptae sint. Verum in litteris quum non paucorum omnia arbitratu gerantur, sed plurimorum doctorum ingeniis et laboribus consociatis, quum alius alium corrigat, errores emendet, veriora doceat, neque unius auctoritate et quasi tyrannide subigi tot eruditi queant, cogitandi libertati assueti et vero scrutando unice intenti; nisi forte ipsius civitatis culpa certa quaedam placita non optima fovebuntur, meliora prohibebuntur, universa litterarum res publica non facile potest in peius ruere: ubi singulos litteris abutendo peccasse civitatis gubernator probe excultus intellexerit, vix quisquam negaverit eam eius potestatem esse, ut istos coerceat; modo ne unius culpa transferatur in universos, et ob artificis errorem ars ipsa perniciosa habeatur, litterisque eripiatur libertas, quam ubi sustuleris, ne diligentissima quidem cura refoveri poterunt. Sed perditas civitates aut earum praesides doctrinis haud raro infensos fuisse, qui memoriam temporum replicaverit, inveniet. Neque enim ob fidei tantum confessionem religionemque pii homines ferrum et ignem experti sunt; sed quod iniustam potentiam taxare philosophia videretur, haec quoque habuit, a quibus vexaretur; ut Romae aliquando, quum Iunius Rusticus Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellassetque eos sanctissimos viros, eius criminis occasione philosophi omnes, sicut olim histriones et Chaldaei, senatusconsulto summoti atque urbe et Italia interdicti sunt. Quam

um non philosophorum, inter quos erant viri probissimi et ipse Epictetus, sed Principis et Senatus culpam fuisse, omnes concedunt; et profecto qui eruditi ad talium dominorum consensum placita sua conformare sustinuerint, quis non istos tyrannorum putet impietatis participes fieri et in litteraria re publica esse loco parricidarum habendos? Igitur, ut redeam unde digressus sum, siqui doctrinam suam eo applicent, ut sive vulgo sive potentibus subblandiantur, quo sibi vel gratiam concilient vel honores comparent, eos non iuste doctos, sed sophistas dico: sophistae est enim non aeternae studere veritati germanaeque scientiae, sed philosophi speciem induendo eorum, quibus placere gestiat, inservire libidini, et mentem suam illorum opinionibus assuefacere, ne aliud, quam quod illi probent, cogitet et dicat, atque ut idem, quod illi, bonum malumve, pulchrum aut turpe iudicet: quippe ut gloriolam captet, ambitionem expleat, postremo lucrum auferat. Videtis me, auditores, in dicendo sponte ad vitium pervenire, quod in eruditis non minimum puto, ad lucri cupidinem. Neque enim pauci videntur esse, qui doctrinam opificii loco ducentes mercenariam illi operam impendant; quod et olim Graeci sophistae fecerunt et nostra aetate multi, maxime ex quo scriptoribus pretium dari coeptum est: quae non ita dico, ut negem remunerandos praemiis esse, qui omne suum otium in litteras conferant; quibus dum intenti sunt, non possunt, quae victui cultuique honeste tuendo necessaria sunt, alia via quaerere: sed doctrinarum studia ex animi ad bonas artes exercendas proclivis impetu et divino quasi instinctu enasci et ad verum propagandum dirigi debent, non ex opum conquirendarum cupiditate provenire aut in quaestum verti: quique inde percipiuntur fructus, vel secundo vel nullo loco habendi, et illorum causa aut nihil aut paucissima facienda sunt, quae nisi merces proposita fuerit, non feceris. Verum refero orationem a vitiis, quae pravarum cupidinum gignit imperium iustitiae infestum, et eius me recreo contemplatione virtutis, qua, quum singularis virtus nulla haberi sine reliquis possit, ceterae consummantur; animi dico fortitudinem. Quippe fortitudo non militaris tantum virtus est: quamquam omnes mortales in suo quisque genere quodammodo militamus: sed ubicunque sunt, quae hominem terreant, terricula superanda fortitudine sunt. Primum enim quibus difficultatibus septa s ..tiae via, quam ardua, quam impedita sit, quot laboribus et vigiliis inte-

rior doctrinarum aperiatur aditus, nemo est in iis acrius versatus quin intelligat: igitur per segnitiam et torporem eruditus fieri nemo potest; etsi ignava quaedam ingenia sunt, quae solidam aspernantia scientiam indolisque, quam iactant, bonitate freta sibi quasi somniantibus altissimam revelari cognitionem opinantur. Immo siquid proficere velis, strenua opus contentione est, laborisque impatientia, desidia, virium diffidentia forti animo devincendae sunt. Deinde eruditus, quam disciplinam praecipiendam susceperit, in ea et penitus noscenda et diligenter tradenda viribus ne parcat: veritatem armis ingenii fortiter defendat, postremo ubi opus et necessarium fuerit, vel cum periculo offensionis profiteatur. Nam ut obsequium et modestiam, ni simulatio subsit, laudo; ut prudens silentium intempestivae licentiae dicendi praefero, neque eum, qui nulla cogente necessitate sese per abrupta in casum dederit, probabo: ita eruditum censeo eo adduci posse, ut nisi improbitatem vel simulationem in se admittere malit, nequeat discrimen subterfugere. Igitur siquis eo redactus fuerit, animus constans et obfirmatus eum retinebit, ne sententiam suam timidus deserat; et quid vere formidolosum sit, quid non metuendum, recte diiudicans, haud ita minas et terrores, quibus animus immortalis subigi non potest, pavebit, ut conscientiae stimulos acerrimos, qui sero urunt et pungunt. Nam, ut cum poeta loquar, iustum et tenacem propositi virum non civium prava iubentium ardor, non instantis tyranni vultus solida quatit mente; idem, quum non videri bonus sed esse velit, in summa iustitia speciem improbitatis non verebitur. Hac animi magnitudine inclaruit Socrates, hac Ioannes Hussius; haec Lutherum per tot casuum discrimina deduxit inconcussum: hac, si caelestem virum comparare mortalibus fas est, fidei nostrae auctor sanctissimus doctrinae suae divinitatem testatus est et consignavit; et quos aequalium vecordia condemnavit, absolvit iudicium saeculorum et ornat coronis.

Haec mihi summa virtutis eruditorum esse videtur, auditores, quam qui sequatur, tenebit etiam ceteras virtutes, quas exponere longum nec necessarium est. Nam quum virtus una sit, suis quamvis divisa partibus, non opus iudico ad secundarias particulas quasque descendere, quod qui potissimas tenet, reliquis omnibus potitus est: et vestra quoque mihi persona spectanda est, collegae carissimi, hoc est virorum in litteris

eximiorum, qui quae ego pro meo captu exponere possim, videnini etiam melius cognovisse. Iam vero qui eam, quam proposui, rationem inierit, in tranquillitate animi, in bonae mentis, n officii conscientia magnum momentum ad beate vivendum iabebit, neque ei in limine senectae anxiae curae de aetate anteacta subibunt, sed in fortuna qualicunque cum bona vivet spe. Nos autem, quos Fridericus Guilelmus, Princeps integerrimus, iuventutis instituendae causa convocavit, hoc imprimis agere debemus, ut et ipsi probi et integri simus, et alumnos disciplina nostra tales faciamus: qui si in litteris consueverint unice id, quod verum et rectum est, spectare et admirari, animumque a pravis cupidinibus, quae mortales transversos agunt, continere, etiam in ceteris vitae generibus ac negotiis et in ipsa civitate tales sese praebebunt, quales esse Fridericus Guilelmus postulat, morumque castitate, obedientia legum, fide, pietate praestabunt, et easdem artes per rem publicam universam latius latiusque disseminabunt. Nec in nostra civitate arbitror litteris quidquam metuendum esse, quum Fridericus Guilelmus non servitutem animorum, sed obsequium liberale postulet, neque in corrupta re publica vivamus, sed in ea, cuius cives caritate patriae factis comprobata insignes boni regis amor, firmissimum concordiae vinculum, in unam quasi familiam coniungat: ut situ terrarum, natura caeli, moribus, institutis dissimiles, tamen in rege amore et iudicio diligendo unice conspirent. Qui caritatis affectus ubi defecerit, civitas vel optime constituta verendum est ne affligatur aut dilabatur: quo maior regis laus est, qui iustitia, moderatione, clementia studia populi alliciat et foveat. Nam ut haec bonis artibus parantur et retinentur, ita ubi remiserint, haud facile possunt recuperari: et mutua principis populique fiducia sublata suspiciones, odia, factionum discordia, denique seditiones grassari occipiunt. Quibus quum tot regna vexata et lacerata sint et lacerentur adhuc, intelligi potest quantum Friderici Guilelmi temperantiae sapienti debeamus, tranquillum huic civitati statum civibusque felicitatem praestanti. Sed ad Principis carissimi laudes reversus, ut in exordio praedixi, non constitui actum agere et singulas quasque eius virtutes copiose disserendo explicare: tamen unum non tacebo, ad quod me orationis meae argumentum sponte deducit. Etenim, quod supra significavi, vir plane iustus omni genere ambitionis vacuus est, et ipsa ambitio, quum in cupiditatibus censenda

sit, virtuti magis obest quam prodest. Verum multi principes multa famae dant; in magnis rebus, in aula splendidam magis speciem quam rerum veritatem ostendente educati assuescere inanibus quibusdam magnificentiae, liberalitatis, gloriae imaginibus solent. Fridericus Guilelmus autem quid? Ille a vana specie alienus non videri bonus sed esse vult: virtutem virtutis causa exercet: aeternitatem nominis habebit quidem, sed non ambitiose quaerit. Et quoniam liberalitatis mentionem inieci, neminem sese litteris et artibus munificentiorem praebere quam Fridericum Guilelmum, uno ore omnes consentiunt: cuius laudis tot extant documenta, tot inchoata quidem, sed quod magna incepta brevi perfici non possunt, nondum absoluta olim extabunt, ut etiamsi ea enumerare vellem, tempus meum nunc quidem non esset suffecturum. Num tamen haec iactantur? num nominis sui causa haec Fridericus Guilelmus consilia suscepit? Immo tanta Regis in his quoque rebus gerendis modestia est, vix ut eas ipse praedicare audeam. Igitur Friderici Guilelmi erga litteras benignitas talis reperitur, qualem esse debere consentaneum est; quod grato agnoscens animo vos quoque cohortor, commilitones, ut optimo vos Principi gratos praestetis: quod ita fiet rectissime, ubi illius satisfacietis exspectationi. Quid vero a vobis exspectat et postulat? Nihil profecto aliud, nisi ut quum in reliquis vitae institutis tum in litterarum studiis probi et integri sitis: ut in suo quisque scientiae genere tam perfecti evadatis, quam humani animi imbecillitas et uniuscuiusque indoles patiatur; quod fieri sine assiduitate et industria non potest: denique ut eam nanciscamini virtutem, quam nisi doctus habeat, omnem laborum fructum perdidisse censendus est. Atqui illa etiam continentiam et temperantiam comprehendi docui, quae ne alienas res tractemus, admoneat: nihil vero a doctrinarum cognitione magis alienum videtur, quam societatum a legibus interdictarum, quales in academiis institui solent, consilia, quae haud paucos non solum a studiorum alacritate revocarunt, verum etiam maioribus implicuerunt malis, gravioribus futuris, nisi Regis clementia ignovisset lapsis. Igitur reputate, quo fine Fridericus Guilelmus hoc litterarum condiderit domicilium: ei fini ut satisfaciatis, date operam, et quidquid illius consiliis sapientibus adversum est, cavete sedulo: perpendite, quae ille munera in vos contulerit et conferat quotie, tanta vobis discendi facultate oblata, quae copiis undique

igendis in dies augetur; animosque beneficiorum memores amini, nostrates pietate erga Patrem patriae, exteri recor- one disciplinae, qua ex illius instituto liberali fruimini, utri- reverentia legum et virtutis regiae. Nobis vero, collegae issimi, quid faciendum sit, arrogans forem si dicere vellem; cti sumus, satis tenemus. Confirmemus tamen in his sol- nibus sanctissimis sacramentum optimo Principi dictum: lit- arum lucem, caritatem patriae, salutem imperii, pietatem, tutem nos propagaturos esse exemplo et institutione, spon- imus. Postremo omnes, qui adsumus, divini numinis invo- nus auxilium et benignitatem, ut Friderici Guilelmi vitae rimos addat annos, ut illius et ministrorum et civium univer- um bonas tueatur mentes, denique ut domum regnatricem, ncordiam rei publicae, bona, quae nobis largitum est, caris- na quaeque conservet perpetuo.

XII.

)ratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXIV. habita.

Friderici Guilelmi, Regis optimi, natalicia hoc anno cele- raturus, auditores, non mihi videor ex ulla re gravius exor- lium petere posse, quam ex illius diei memoria, quo filio Re- gis imperii heredi et coniugi augustae connubium felix, faustum, prosperum universa civitas summis studiis apprecata est, et re- giae sponsae introitum non solum tanto apparatu, quantum nos quidem in hac urbe antea non videramus, verum etiam eo ani- morum ardore insignem reddidit, qui certissimum praeberet in- timi affectus documentum. Quidquid enim illo die filii venera- tioni datum est, eo constat, quantopere pater a civibus dilige- retur, simul esse comprobatum. Neque vero hoc parvum est. Nam quae principibus offeruntur reverentiae et caritatis officia, haud raro, verane an ficta sint, aegre dignoscas: quippe ea est dominantium in summa fortuna infelicitas, ut reperiantur qui, quo illis propiores aut sint aut esse cupiant, eo soleant minus

sinceri, minus simplices et aperti esse, quin etiam eo intentius omnia et dicere et facere, quibus sibi illorum gratiam vel conservent vel comparent, privatae utilitatis causa servile obsequium simulatione voluntatis obtegentes: adrepit undique ambitio, et in magnis praesertim motibus, quo magis invisi qui obtrectant, facilior assentanti aditus. At ubi frequens populus, quae principali domui laeta eveniunt, sua non laetitia sed exsultatione comitatur, fidae propensionis impetus sine spe praemiorum erumpit; publicis gaudiis sua quisque lucra, damna, commoda, adversa remittit. Iam vero si, quae tantum populi fervorem excitent, inquirimus, quamquam non nego debita capiti rei publicae officia aliquid sibi ex illo vindicare, quod cives incorrupti atque ipsa plebs regem civitatis universae personam sustinere si non perspicit, certe sentit; tamen pars multo maxima virtutum, quae in principibus eminent, iustitiae, benignitatis, clementiae aestimationi tacitae atque imperii gloriose administrati memoriae tribuenda videtur: quibus sensibus quum etiam ii repleti inveniantur, quos nullo insigniori beneficio princeps cumulaverit, patet illa populi studia a privata utilitate esse remotissima. Quapropter nihil potest principi exoptatius contingere, quam pulcherrimum illud spectaculum publicae hilaritatis. Cuius quum nobis quoque imprimis participes fieri licuerit, amplior tum facultas data est voluntatis nostrae testificandae, quam quae quotannis hoc ipso die recurrit: quo die mea exili oratione identidem uti non sine vestro detrimento coacti videmini. Ex magno tum nobis solatio tam Regis quam regii filii comitas fuit; et intellectum est, fidam principi suo iuventutem a nobis ali; quo quid nobis acceptius esse potuit his praesertim temporibus, ubi universitates litterariae, in decoribus Germaniae olim habitae, gravissimis obnoxiae criminibus sunt? Igitur gratias agamus Regi sapientissimo regiorumque consiliorum interpretibus, quod quae mala apud nos exstirpata sunt, eorum simul videmur culpa et suspicione liberari.

Profecto magnum est, collegae carissimi, iuventutis institutionem suscipere, magnum quovis tempore: nam praesentis aetatis disciplina posterae fingit fortunam: maius est in ancipiti rei publicae statu et discrimine ingenti, quale extera potentia ante aliquot lustra universae prope Europae conflavit; sed maximum mihi videtur, quando concussus orbis in plenam quietem nondum consedit. Nam litterae erigunt mentes, soporem pel-

nt: aut certe, quum primum incipiunt somniculosos discipulos rmare, valeant. Itaque fieri potest, ut animos per litteras extatos in malam partem applicent, quibus proclivum in deterius genium: non tamen ea litterarum culpa est, siquis facultate tteris comparata abutatur. Mihi quidem vix praestantius sumum numen mortalibus largiri donum videtur, quam vegetam t validam scientiam: pro qua ubi emortuam capiunt, tanto aius in hac damnum est, quo efficacior in illa salus. Sed uamnam dico vegetam validamque scientiam? Non illam, quae urbas concitet, novas res moliatur: quae ne scientia quidem st, neque a quoquam hoc nomine appellabitur: significo aliquid nente conceptum, cui, apud vos praesertim, diserte explicando ix me parem sentio. Veniam igitur mihi a vobis peto, si tanto ncepto non responderit eventus. Nam ut animalibus singulis atura vitam a ceteris rebus aliquatenus separatam, viribusque propriis, quas nostri organicas vocant, praeditam dedit, eamque corporis et animae individuo comprehensam connubio, animae inquam, quae universam corporis compagem quasi penetrat, cum membris formam motumque communicat, dissociatas has et ignavas materiae particulas in unum consociat et vigore implet: ita vegeta scientia videtur comparata esse. Nimirum vitae suae principium in sese habet; atque etiamsi extrinsecus, maxime a re publica alitur, ceterarumque rerum humanarum rationibus connexa est, tamen non ab illis vim suam accipit neque illarum famula est, ideoque nisi corrumpere eius praestantiam et pulchritudinem velis, non eo potest fine excoli, ut alienis usibus vel victui quaerendo inserviat: sed divinis, qui in nobis sunt, igniculis incalescere et agitari debent, qui litteris operam navant. Quocirca civitatium rectores, qui bene litteris cupiunt, cavere debent et prospicere, ne publicas cathedras occupent homines, qui bonas artes nullo generosiore instinctu elati exercent, sed eas in vulgarium officiorum loco ut mercenarii tractant: quid enim discipulos inertiae facilius tradet, quam praeceptoris doctrinas non pro ipsarum dignitate neque eo, quo debet, ardore docentis quotidianus adspectus? Rursum ea sola scientia vitalis et valida erit, quam animi tui vi genitrice ipse extuderis: ut docendi facultas multo minus in tradendis placitis esse posita videatur, quam in mentibus excitandis, et ad ea, quae praeceptor demonstret, pro indolis habitu repraesentanda incitandis. Quod siquem ad ullam rem, a qua eius natura ab-

horreat, cognoscendam quasi manu iniecta cogere et adigere coneris, aut nihil aut hoc effeceris, ut, quoniam nihil reluctante ingenio in ullum transferri potest, non ille mente cognitionem, sed memoria notitiam capessat: ut Apollinis formam ex stipite feceris; ex animo hominis elici non poterunt, quorum semina in illo sita non sint. Iam, quum mortalium paucissimis tam benignam ingenii venam datam videamus, ut ad quamcunque rem animum appulerint, eam pari successu perficiant; Germaniae universitates magnum intelligitur discentibus commodum praestare, quod in iis libera his varias disciplinas eligendi potestas relicta est, et exquirere ipsi experiendo possunt, in quibus vel invita Minerva vel propitia studium collocare possint: de qua re ita inter nos constat, ut, qui eam in dubitationem vocet, gravi torpore illigatus iudicetur. Sed mitto hoc; ut qui strictim percurrenda haec vulgaria censeam, ne vestra eruditio verba mea fastidiat. Ex illa vero mentis vi genitrice exuberant notiones, quibus materia regitur: sed ut haec sine illis indistincta et confusa est, sic illae sine hac corpore suo destitutae sunt; utraeque ut apte alterae alteri accommodentur, ut materiae ubertatem recte digerat mens, ut notionum formas expleat rerum copia, denique ut indissolubile inter utrasque vinculum sit, hoc agendum doctis est. Sed difficilius id perficitur, quam plurimi putant: quum eorum, qui notiones puras cognoscere summa vi contendunt, alii haud raro in id vitium incurrant, ut vacuorum locorum designationem sterilem vel formulas inanes pro ipsa scientia et habeant et venditent, immo his ipsis sufflati sese longe sapientissimos arbitrentur, alii nimium dividendo et distinguendo cognitionis elementa ita dissecent et concidant, ut nec succus nec sanguis, sed exilis quaedam doctrinae species et umbra vix ossibus haerens relinquatur. Contra fuerunt atque etiamnunc sunt, qui de rudi congerie coacervanda satagant, in qua, ut Anaxagoras dixit, omnia commixta sint, necdum molem permeaverit intelligentia: qui et ipsi subinde sibi soli eruditi videntur et ceteros omnes ut illitteratos prae se spernunt. Quorum vitiorum exempla ut in sua quisque disciplina inveniet, ita in meis studiis alios video eosque insigni acumine praeditos, sed eruditione sufficiente parum adiutos ipsa subtilitate peccare, aliis mole rerum aciem praestringi et praepediri, quod vires intellectus aut exiguas habent, aut quas habent, non excolunt. Etiamsi autem utraque ratio aliquid litteris emolumenti afferre

est, tamen neutra vim scientiae vere vitalem contineri patet, ea in sola illa notionum rerumque congruentia spectatur. dem ubi quaeras quomodo in animis discentium optime exci- i et explicari possit, nulla id via certius praestari respondeo, ım viva docentis voce: propterea quod, qui ex libris scien- n hauriat, iis quae ibi perscripta sunt, ipse quasi vitam et tum, quem perdiderint, reddere debet; quae verba de ore ıeceptoris manant, si modo idoneus praeceptor sit, sua se ıcritate in sollertium auditorum mentes facilius insinuant. At- i vivam vocem non eam dixerim, quae quod ego ex more in lemnibus orationibus recepto nunc ipsum facio, scripta recitet scribenda domumque portanda tradat: sed quamquam in im- ınso litterarum apparatu, cui comprehendendo nemo unus suf- it, non minutissima quaevis mente et memoria teneri possunt, proinde aliquo in hac re temperamento opus sit; tamen mi- m foret, ni vel mediocris praeceptor, dum docet, libero cogi- ionum ferretur cursu, et ea ipsa, quae meditatus erat, clario- ıus distincta luminibus eloqueretur, quam quum in museo suo leret. Ipsa etiam discentium praesentia disserenti stimulum dit et ingenii scintillas accendit; quin quod in proverbium iit, docendo disci, id mihi huc potissimum referendum vide- r, non in imperitorum magistrorum excusationem interpretan- ım. Itaque non quidem ornata et copiosa oratoris vel decla- ıtoris dictio, quae ab accurata doctrina paullo alienior est, d erecta et prompta et, ut ita dicam, animosa sententiarum positio postulatur. Quod non eo consilio proposui, collegae lectissimi, ut quid vobis faciendum esset, edoceremini: sed ıc praesertim re quum Germaniae universitates plerasque omnes, ım vestras scholas (liceat enim a me vos laudari) excellere dico: unde fit, ut disciplina haec iuvenes formet ut plurimum ın lentos et torpidos, sed acerrima bonarum artium propagan- ırum cupidine accensos: quae ipsa, quo magis ea exardescant, ıtest illos ab alienis, et quae huic aetati non conveniant, re- ıs usurpandis revocare. Ita exculti adolescentes quam doctri- am didicerint, non sola memoria sed intellectu tenebunt. Ut ıim sine memoria nihil, ne philosophia quidem, disci possit, uod qui illa careat, nec res nec notiones retinebit, sed ei mnia quasi ex vase perforato effluent; ut etiam magnum docto ıomentum afferat, memoriosum esse: tamen quae scientia non isi memoriae et recordationis viribus fulta sit, non vitalis

sed emortua est. Unde simul intelligitur litteras vigere non posse, si certa quaedam et perpetua disciplina, quae memoriae potius quam menti tradatur, nedum si praescripta sequenda sit: quae ut ipsa magis in dies senescet, ita vel fervida ingenia, nisi insita vi renitantur, ad languorem dabit. Sane sunt constantes et aeternae animi humani notiones, quae, quod veritas immortalis est, nunquam abolentur neque oblitterantur; sed hae quoque libera cogitatione, non ex praescripto regenerantur: quae facienda sint, iubeas, quae vitanda, prohibeas; et siqua perniciosa placita propagantur (quamquam haec in civitate bonis moribus et institutis temperata raro latius serpent), ne quid res publica detrimenti capiat, aut lenioribus aut ubi opus fuerit etiam duris remediis cavendum est sine dubio: sed quod verum statuas, quod sentias, quod tibi persuadeas, non potest imperari. Igitur certis placitis praescribendis nihil profeceris, nisi ut et docentes et discentes hebetentur, immo bardi stupidique fiant, aut simulent alia, alia clausa pectore habeant. An litteras, quae finibus ex arbitrio circumscriptis constringantur, gliscere magis posse arbitremur, quam arborem, cui lumen obstructum, paries obductus sit? Ista nimirum vincula, quae litteris olim maxime iniecta sunt, nexuit potissimum superstitio, ne tenebris dispulsis liberarentur animi. Civitatium quidem praesides, quo sapientiores sunt, eo magis lucem litterarum diffundi cupiunt, quod quanto subiecti intelligentiores fiunt, tanto eorum industria, agilitas, quin etiam modestia et virtus universa intenditur: sic efflorescit res publica, et in media civium felicitate principum domus firmiter constituta est: contra ut imperita plebs, ita populi in servitute animorum habiti fortuito impulsu in novas res et scelera quaevis audenda praecipites ruunt; aliquando etiam ipsae civitates una cum litteris marcentibus tabe longa intereunt. Licet enim occulto fati divinitus constituti consilio alio tempore aliae gentes augeantur vel minuantur, tamen ipsae gentes fata accelerant: et decrepitae civitatis signum, et quasi praesagium imminentis casus, videtur litterarum, quae antea floruerint, neglectus esse. Atque is quidem non omnibus nec locis nec temporibus rei publicae culpa adductus est; immo privatorum desidia et ignavia maius potest litteris damnum afferre quam pravae civitatium leges et decreta, ubi morum praesertim corruptio et insana lucri cupido cum illiberalitate ingravescat. Etenim in Graecis potissimum rebus publicis, in quibus litterae et artes

eum pervenerunt florem, qui ad hunc diem usque necdum ıtitutus usquam est, non publico instituto, sed insita genti lole et privatorum studiis communibus nata est eruditio et in-ɜmenta cepit; ut si ex Graecis coniecturam facias, publicam em litteris omnino non necessariam iudices: immo qua aetate cunia a civitatibus in litteras erogari coepta est, labem litte-e pridem traxerant. Igitur quorum virtus et ingenium doctri-s aluit, eorundem negligentia potest earum maturare interitum. hilo secius bonarum artium, qualis rei publicae condicio sit, terest plurimum. Nam ne dicam, quantum rerum humanarum divinarum disquisitionem impediat, quanta mentes anxietate ɜrturbet et frangat saeva tyrannorum dominatio, quod Romae ɔminum atrocissimorum et universo generi humano infensorum ıperio comprobatum est; hoc igitur ut omittam, nonne quid ab ɜ, qui negotia publica tractaturi, qui leges exercituri, sacra lministraturi sint, vel exspectetur vel postuletur, ingens in ar-um cultu momentum est? Num Periclis, num Demosthenis elo-uentia in Graecia eminuisset, si Atheniensium contio rudem ɜ incomptam orationem tolerasset, hominibusque incultis aeque d rem publicam aditus patuisset, quam elegantissimis et erudi-ssimis? Num M. Tullius Cicero, C. Iulius Caesar, Octavianus ıugustus, eam variae eruditionis copiam comparaturi erant, si-uem in re publica insignem esse posse, qui litteris vix imbu-as esset, aequalium censuissent prudentissimi? Quid quod vete-es Graeci et Romani iis potissimum disciplinis excelluerunt, uae rei publicae gerendae aptissimos efficere viderentur? Igi-ur apud illos nulla liberalioris disciplinae pars oratione, qua ıos maxime claudicamus, magis exculta est, quod vi dicendi egerentur cuncta: atque ut Graecos orationi fingendae natos uisse concedamus, tamen nisi ea civitatis accessisset forma, uae huic facultati acrius exercendae faveret, non multum eos ɔrofecturos fuisse, Sparta docet, quae nullum unquam oratorem ɔrotulit. Neque vero philosophia a rerum publicarum ratione Graecis aliena visa; quo magis philosophia apud illos celebrata est: cuius locum Romae quodammodo iuris occupavit peritia. Quae quum ita fuerint, non miramur plurimos, qui apud vete-res eruditione praestiterunt, non humili loco natos, non in um-bra scholarum versatos, sed in suis quosque urbibus vel poten-tes vel illustres fuisse: quemadmodum inter ipsos Romanos, licet hi cum Graecis non comparandi sint, si poetas potissimum ali-

quot rhetoresque et grammaticos libertinos aut plebeios exceperis, optimi auctores prope omnes equites, senatores, praetorii, consulares fuerunt. Et quamvis erectis ingeniis, quae in ipsa rustica plebe et inter sellularios tabernarum alumnos latitant, viam ad litteras praecludi iniquum iudicetur merito; tamen nescio an in veteribus litteris magnam hoc vim habuerit, quod viri natalium nobilitate, opibus, honoribus splendidi litterarum ex bona educatione retentarum fama inclarescere studerent, neque eas tenuis condicionis homuncionibus vel fame pressis relinquerent: quo fieri non potest quin evilescant. Et videmus nostra quoque aetate et in nostra re publica principum virorum studia recreari: sed in diverso tamen nostrorum hominum habitu ad liberales artes minus propensorum, in eaque robigine, quam ex pristina barbarie retinuisse optimatium magna pars aeque ac vulgus videntur, quum, nisi res publica ludos omnis generis litterarios condidisset et tueretur, casurae mox litterae forent; civitati hoc onus egregium bonarum artium alendarum suscipiendum *fuit*, et susceptum est. Quod illa sustinebit optime, si non solum aedes et apparatum litteris, docentibusque victum praestabit, *sed etiam* iustam litteris libertatem concedet, ut vigere possint, et lasciviam quidem, immodestiam, ferociam coercebit, sed sentire quae velis, et dicere quae sentias permittet, atque adeo apertam sententiae professionem laudabit: postremo si ab iis, qui ad rem publicam et munera fungenda accedere voluerint, insigniorem litterarum peritiam et validam vegetamque scientiam postulabit, istos vero mercenarios, nec quidquam ex litteris praeter exiguam, quae vix officiis sufficeret, exercitationem et hanc ipsam panis causa quaerentes repudiabit. Quod nisi fiet, in peius ruent res et publicae et litterariae, ac frustra laborabitur, ut corpori emortuo producatur vita iam non vitalis. Sic quotquot ab Imperatoribus Romanis labente imperio scholae conditae, quotquot rhetoribus, grammaticis, philosophis, medicis, iuris professoribus salaria, partim multo quam nostro saeculo ampliora numerata, quotquot praerogativae et honores collati sunt; non potuerunt illa beneficia imminentem ruinam inhibere, propterea quod, fractis servitio animis, vigore perdito obtorpuerant litterae, et qui iis operam dabant, maximam partem non exquisitam et liberalem eruditionem, sed ex publicis muneribus reditus luculentos appetebant. Quid vero profuit medio aevo praescripta per septem artes disciplina? quibus rudimentis nutrivit mentem *tristis et*

vera coenobiorum disciplina? Nimirum quo minus exacta eru-
tio clericis iniungi in barbaris regnis potuit, evenit, ut ne eam
idem, quae iussa esset, exaequarent: ut beati praedicandi
nus, quod non optima quaeque cultioris vitae monimenta ab-
mpserit ista aetas, sed certe tradiderit posteris, in quibus
calesceret illi, qui ruptis vinculis sunt ipsi sapere ausi.

Verum refero me ab harum rerum contemplatione, quae me
rtasse paullo longius abduxit; Regis carissimi spectemus con-
ia. Borussicum enim imperium ex longo tempore laude vege-
e scientiae fruitur et intellectus per omnes partes rei publicae
ffusi; huic, non moli, eius vim deberi. Haec fama praestan-
ssima, donec his regibus paremus, non verendum videtur ne
tereat. In nostrarum quidem rerum forma quidquid proximis
s annis mutatum est, non eo est consilio factum, ut litteris
etraheretur quidquam; nec detractum est. Quidni in posterum
noque freti simus Rege nihil immodicum tentante, et tot cle-
entiae documentis clarissimis spectato? Quae augetur caritate,
ua illum, ut dediti toto animo principibus suis Germani sunt,
niversus populus amplectitur: securum enim sese et dilectum
aud minus quam pater familias inter bonos liberos sentit, suam-
ue populique salutem eandem esse intelligit. Idem severus,
trenuus, modestus, a luxu et deliciis alienus: sed privatam
ublicamque parsimoniam ea, qua decet, munificentia temperat.
Iunificentia autem etsi etiam in donando et remunerandis meri-
is cernitur, multo tamen praestantior et utilior ea est, quae in
rtes ingenuas litterasque opes erogat: unde mansura civitati
ecora parantur. Utrisque, et artibus et litteris, quantum Fri-
lericus Guilelmus praestiterit, quum saepius alias tum singulari
lim oratione Periclea praedicavi: nunc hoc unum addere liceat,
uventutis institutionem ac rem litterariam non eam Regi esse
ei publicae partem visam, in qua parcendum sumptibus esset.
Documento est illud tempus, quo regnum hoc plus quam dimi-
lia parte finium multatum fuit, documento haec ipsa litteraria
niversitas, quae tum sit condita. Neque postea est quidquam
emissum, sed perpetuam Regis benignitatem experti sumus.
Denique quantum creverit publica huius generis universi cura,
vel hinc intelligitur, quod id a ceteris interioris rei publicae
negotiis separatum et peculiari administratione dignum visum
est, viris et optimis et peritissimis demandata, ac si ex summi
regiminis distributione iudicare licet, eandem sibi gravitatem

vindicavit, quae redituum et vectigalium universorum militariumque rerum et externarum habetur. Quare, de quo supra disputavi, etiam ab iis, qui munera ambiunt, eruditionem haud mediocrem postulari videmus; nec solum litterae vigent, sed etiam quidquid turbarum damnosa sodalicia dederunt, mores academici eximie emendati sunt, pristina vero ferocia certe apud nos ita expulsa est, vix ut reditura videatur. Quo quum orationis meae cursus deflexerit, verbo mihi monendi estis, commilitones, ut in hac modestia, in hoc obsequio liberali perseveretis, neve unquam obliviscamini, quum omnium universitatum civibus hoc decorum sit, tum vobis debere officium sanctius videri, qui non modo in regia urbe, sed in proxima regiae domus vicinia, immo in ipsis Regis oculis et prospectu versemini. Nec tantum, quod Fridericus Guilelmus morum vestrorum testis est, debet vobis incitamento virtutis esse; sed hoc quoque et vestrum et nostrum optimi Principis amorem incendit, quod ipsius utimur adspectu. Quippe quod vulgo principes dicuntur e longinquo prospicientibus maiores haberi, id verum quidem in iis iudices, qui splendore maiestatis caput involvant: qui splendor insuetos oculos percellit vehementius, quotidiana consuetudine desinit venerabilis esse. Sed Fridericus Guilelmus, rex popularis, quum eas virtutes habeat, quae quo propius accesseris, eo insigniores esse videantur, illum aeque quidem carum omnibus civibus esse intelligo, sed ab iis, qui proximi sunt, ita diligi pronuntio, ut simul, cur diligant, penitus sentiant et exactissime sciant. Vos igitur id, auditores, et sentitis et scitis optime, et meo quidem ore sed mentibus vestris Patri patriae summi numinis auxilium apprecamini. Deus propitius annuat precibus nostris, multosque et gloriosos et prosperos et ipsi et rei publicae annos pio suo addat cultori.

XIII.

ratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXV. habita.

Quum quintus decimus hic annus sit, auditores, ex quo niversitas haec litteraria Regis carissimi, cuius hodie natalem iem pie celebramus, consiliis sapientibus condita, nonus, ex uo eiusdem iussu ritu sollemni dedicata est; quamquam hoc mporis spatio per integrum fere annum remissa bellico tumultui udia artium sunt, positisque armis nostra schola quasi denuo oepta est, tamen haec, non nostris quidem meritis, sed Prinipis optimi beneficiis, brevi eo accrevit splendoris ac frequenae, ut, ne quid arrogantius dicam, nulli Germaniae academiae edat, plurimas longe longeque superet. Quod enim nos grata ente praedicamus posterique memores recolent, litterarum florem t omnis generis institutionem, qua cultior redderetur populus, ec maiorum quisquam nec principum aequalium aluit lautius uam Fridericus Guilelmus. Nec mirum in hac re maius quidam praestitisse ipsum quam gloriosissimos, qui antea Borussiae mperitarunt, reges, maius quam Fridericum Primum, splendilum profecto universitatis Halensis conditorem, maius quam magnum illum Fridericum, aeternum Borussorum sidus; nec solum maius, verum etiam multis nominibus diversum a prioribus institutis. Quippe ad eandem formam cetera sunt. Considerate hunc imperii statum, componite pristinum: non modo fines prolatos, sed rei publicae condicionem ita reperietis immutatam, ut quemadmodum olim Magnus Elector, mox Fridericus Secundus statores regni fuerunt, sic id Fridericus Guilelmus quodammodo videatur instaurasse: tot huic debemus praeclare instituta, tot hic decoribus ornavit civitatem, tot bonis cumulavit populum. Sane ante lustra aliquot ingenti calamitate percussam et prostratam patriam vidimus: exsultabant tum invidi; maerebant, qui huius regni virtutes aestimare didicerant; tolerabant et sperabant cum Principe suo optimi et fortissimi: et cito Friderici Guilelmi faustis consiliis vis imperii vitalis, iamiam languescere quibusdam, iamiam exstingui visa, restituta est et exuberavit,

laetissimoque vigore permeans universum rei publicae corpus quid non fructuum edidit salubrium? Non ego is sum, qui singulis quibusque rei publicae partibus pensitandis, quomodo eae Friderico Guilelmo rege paullatim in melius mutatae sint, commonstrare exacte possim: quod sine summa rerum experientia fieri non potest: quae in omnium conspectu posita sunt, paucis commemoro. Nam alia atque olim inter supremos Regis ministros rerum gerendarum dispositio; alia provinciarum divisio et regiminis forma tam sacri quam profani; diversa urbanarum rerum constitutio et civibus gratissima; opificia collegiorum vinculis exsoluta; sublevata paganae multitudinis condicio, oneribus servilibus liberatae; ager ipse partitione cultior et fertilior; mutata militiae, redituum, vectigalium, commerciorum ratio. Exercitus olim non ignavus, immo victoriis immortalibus nobilitatus; sed magnam partem e mercenariis colligebatur, qui non magis custodiebant quam custodiebantur, aut conscribebatur e rusticis et plebeiis, qui multos annos apud vexilla retenti corruptiores et civilibus negotiis vix iam apti redibant ad suos, aut in militia consenescebant; opulentior et eruditior iuventus vacua stipendiorum et imbellis: unde rudior miles atrocibusque suppliciis coercendus, et a civibus alienior: denique pro iure militiae, quod veteribus honorificum habitum, molestissima servitus. Nunc cuncti armorum formantur exercitatione, sed maturius in hac civitate, quae tamen militaris appellari solet, quam in ulla alia dimissi, penatibus, agris, opificiis, artibus bonis redduntur; quin etiam, quod ad nos maxime pertinet, dum militant, in universitatibus litteris operam dant: quas res dissociabiles visas quotus quisque superiore aetate erat, qui coniungi posse arbitraretur? Hinc cohortes plenae adolescentibus liberaliter educatis, quos mitis disciplina, si tamen opus est, corrigit et ad modestiam componit; milites ipsi, remota superbia, honestissimi et temperantissimi: et militum minor numerus, sed maior bellatorum. Nec magis in militia quam in pacata re publica certus ordo ceteris praeponitur; liber ad altiores gradus aditus, meritisque quibusvis sua decora. Vectigalia et tributa si non levata, certe aequius distributa et commodius disposita: nullis iam impedimentis cohibetur intestinum commercium, quum olim singulae urbes ita septae clausaeque essent, ut qui ex alia in aliam proficisceretur, ad alius regni fines pervenisse sibi videretur, cunctique quotidie essent publicanis obnoxii: nunc semotis custodibus

)ctu diuque perviae urbes, et multarum oppidorum dirutae)rtae, ne claudi possent, viisque sternendis aliisque utilibus stitutis accelerantur commercia prius lentissima. Neque vero ıec et alia, quae a priore forma discrepant, novandi ductus udio iussit Rex, qui, ut debet civitatis rector, antiquo mori renendo, ubi bonus et utilis est, imprimis favet; sed intelligit)vam aetatem novis temperandam legibus et institutis esse; rem ıblicam, ut cuncta mortalia, mobilem, ne deficiat, debere pro·edi; neve socordia languescat, recentes vegetosque affunden)s succos esse. Nonne autem, licet ex plurimis paucissima ılegerim, haec vel sola emolumenta tanta sunt, quanta non si optimi principes per multos imperii annos conferre in poılos suos possint? Quodsi magni illi motus, qui orbem terraım convellerunt, non mediocres attulerunt angustias, quibus iamnunc laborant civitates, si mutata rerum permultarum conicio unam alteramve civium classem variis implicuit difficultabus, si ipsa fecunditas et benignitas soli affligit colonos: repuımus ne laudatissimorum quidem principum tempora, ne Antoinorum quidem saeculum caruisse miseriis, et calamitatibus)sis a Rege clementissimo succurri munifice. Igitur fortuita ıala aut inevitabilia, et siquid praeterea bonorum desiderari ni et alteri videtur, non nos deterrebunt, quo minus Friderici uilelmi felicem praedicemus principatum, qui rem publicam loriose restitutam prudenterque administratam, domi ius, aequiıtem, concordiam, ab exteris securitatem praestet. Cuius feliitatis haud minima pars haec quoque est, quod mores publici rivatique emendati videntur, partim quod casuum tristissimorum ontemplatio divini numinis religione animos mortalium implevit t latius disseminato veri intellectu etiam probiores redduntur omines, partim quod ad regis exemplum componi ceterorum ita solet. Nam Fridericus Guilelmus cum regiis artibus coulat virtutes privati, pater familias optimus, victu cultuque ıodicus et ab aulae deliciis alienus, postremo in universa vita emperans et adeo modestus, ut post tot victorias ne lauream uidem comae inseri patiatur. Civitati vero quid probis moriıus carius? Tolle hos: ut opibus, ut armis virisque abundet, anto funestiore corruet strage, quanto maior fuerat species.

Sed redeo ad id, a quo orationem meam exorsus sum. Nam ut in ceteris rebus Fridericum Guilelmum novam videmus iam ingressum esse, ita in litterarum sedibus condendis nova

est consilia secutus. Non solum enim institutionis publicae cura universa magnopere intenta est, et inferiores omnis generis scholae eximie adiutae, partim etiam primum institutae sunt: non solum tenues ut plurimum veterum universitatum reditus mirum quantum sunt aucti, sed etiam novae conditae, veteres prorsus instauratae: nec quem hae antiquitus apparatum habuerant, cum ea supellectile, qua omnes instruxit Fridericus Guilelmus, comparari ullo modo potest; denique quod mutatam hoc rege rerum prope omnium faciem dixi, id in universitatibus litterariis conspicitur maxime. Testis haec urbs, sedes aulae, imperii, multorum castra exercitus numerorum; hanc etsi etiam prius artibus litterisque insignem, tamen novo modo Fridericus Guilelmus earundem ornavit decore. Vel ante Fridericum Magnum Berolinum doctrinarum et artium floruerat laude, habuerat que ipsum Leibnitium ac societatem scientiae regiam: et ille rex, etsi peregrinis erat litteris deditus, tamen indigenarum incitavit studia: ac fuerunt tum in hac urbe ingenia elegantissima, quorum memoria non intercidet. Posthac etiam philosophia sublimior radices hic egit, docuitque urbanos praeter alios Fichtius, qui mox universitati datus est. Mixti erant virorum feminarumque ingenuarum coetus, quos illi homines eruditissimi docere solebant: adolescentium, qui in universitatibus litterariis formantur, licentiorem turbam undique confluentem ferri in regia urbe et in regia domo posse, vix erat qui conciperet animo. Sane incunabula universitatum primariae fuerant urbes, Lutetia Parisiorum et nobis propior Praga: sed postea, mutata vitae ratione, quae in magnis urbibus collocatae universitates sunt, minus fere clarae fuerunt, si Regiomontanam exceperis per aliquod tempus Kantii et aliorum luminibus illustratam. Igitur nova res fuit, quod Fridericus Guilelmus in hac urbe litterariam universitatem condere instituit: quam rem, quum anceps initio visa esset, probavit eventus. Quamquam enim Rex dilectissimus omnes artium scholas aequa fovet benignitate, tamen mirum foret, ni, quae illi proxima est, ita haberetur, ut urbe, capite gentis, imprimis videretur digna: quo fit, ut cunctis rebus augeatur eximie. Deinde pretiosissimos cuiusvis generis apparatus, partim a prioribus regibus collectos, partim a Friderico Guilelmo comparatos includit urbs, quibus studia nostra egregie adiuvantur. Regiam suam bibliothecam universitatis doctoribus et discipulis aperuit Rex; quae etsi non perfecta, tamen ita

piosa est, ut praeter Gottingam nulla in Germania universitas esauro tam ingenti instructa sit; eaque ex quo universitas est ndita, magno sumptu quotannis aucta, melius adornata, communi usui accommodata est. Quidquid vero natura rerum gignit, uidquid montes tenebris occulunt, quidquid herbarum fruticumue et arborum vel remotissimae terrarum plagae alunt, quidaid animantium humi incedit, repit, volat, natat, musea et horti ptime dispositi admirabili copia et venustate oculis propositum ontinent: interior etiam humani et animalis corporis fabrica, aturae normae et monstra, patent spectanti. Quae non afferrem, i vulgaria essent; sed ita comparata sunt, ut non modo universitati, sed urbi et regno sint ornamento. Quid dicam de meicis institutis multiplicibus et amplis? Nec desunt seminaria heologis et philologis formandis. Iam illud egregium, quod uum plurimae universitates litteris quidem praestent, sed artium, culpturae potissimum et picturae opera vel pauca vel nulla ibi ontemplari studiosi possint, his quoque haec urbs affluit: habenus iam nunc musea haud contemnenda, sed optimae res latent. At Regis eximia quaevis et prioribus non tentata aggredientis impensis ingentibus nunc ipsum surgunt aedes magnificae, quae ubi post aliquot annos absolutae fuerint, signa, tabulae, quarum ingens numerus et pretium, gemmae scalptae fama dudum celebratae, nummi, alia monimenta, nunc per palatia et domos complures sparsa, ita componentur, ut novus inde splendor huic urbi accedat, et pulcherrimarum imaginum quotidiano adspectu cum oculis erudiantur animi. Quid quod artifices nostri ipsi praeclara dederunt redivivae artis exempla, quibus aedes et viae urbis ornantur, disparia profecto superiorum saeculorum figmentis vulgaribus et portentosis? Ita iuvenes perfectiora opera spectantes generosioribus adsuescunt sensibus, quos me iudice magnifica simulacra haud minus quam admonitiones formant. Praeterea ipsa urbis amplitudo et rerum, quae in ea geruntur, gravitas ac varietas maiori mensurae assuefaciunt mentem; unde fit, ut doctores academici a litibus et simultatibus inter se invidiose exercendis, discipuli ab ea revocentur arrogantia, qua sibi, dum inanibus feruntur contentionibus, primi omnium hominum videantur. Postremo hi pro sordido isto ferocique habitu cultuque induunt elegantiam morum sine ineptia, et tacitum quendam urbanitatis trahunt colorem. Igitur mores academici in civitate nostra eximie emendati sunt; unde animadversiones

notaeque paucissimae, nec fere nisi in eos, qui corruptiores huc accesserant. Neve quis putet magnae urbis illecebris allectos iuvenes studiis minus operam dare: habent etiam parva oppida suas delicias lasciviaeque copiam; innocentibusque voluptatibus frui in ipsa urbe et sumptu et otii dispendio minori licet, quam ubi earum causa, ut solet, vicinae urbes petuntur: denique in maiore urbe cives academici, quo tutius latent, eo minus sodaliciorum obnoxii potentiae insolenti sunt, quae studiorum severitati insidias struunt longe perniciosissimas; nec, si idonea disciplina iuveniles animos discendi ardore implet, verendum est ne eos a litteris tractandis avocet aliarum rerum, quotquot urbis frequentia affert, adspectus. Postremo vos ipsi, commilitones carissimi, si ex tanto numero paucissimos excipimus, tantam studiorum alacritatem hucusque ostendistis, ut hoc quoque successu comprobatum Regis sapientissimi iudicium sit: eademque vos industria usuros posthac esse, priora spondent exempla. Quodsi natura huic loco minorem soli laetitiam, nec convallium amoenitatem largita est, consolemur nos Socratis dicto, qui hominem ab homine, non ab arboribus erudiri censebat: ipsarum Athenarum solum sterile et saxosum fuit; sed necessitas ipsa, mater artium, incitavit ingenia: et nostra urbs tot internis bonis praedita est, ut externa minus desiderentur. Itaque Friderici Guilelmi celebremus hoc institutum, quod in sua ipsius sede litteris alendis imprimis idonea nostram hanc condidit scholam, eamque omnibus instruxit dotibus, quae florem litterarum augere possint. Idem vero quum etiam ceteris huius regni universitatibus praestitum a Rege benignissimo sit, omnesque et doctoribus praestantissimis undique convocatis et subsidiis quibusvis sint ornatissimae; ut harum prospiciatur celebritati, non opus est alienarum usu civibus interdici: et hoc ipsum Fridericus Guilelmus nove et liberaliter constituit, ut quum olim nostrates in nostris universitatibus operam dare litteris debuerint, nunc iis omnes Germaniae scholae, nisi quid singulare obstare videatur, pateant promiscue, et unusquisque sibi deligere eam possit, quae ei aut pro studiorum aut pro rei familiaris ratione sit commodissima visa. Quae lex adeo firma est, ut ne illarum quidem civitatium universitates excludantur, quarum civibus nostras adire non licet, atque ut, siqua schola singularem ob causam excepta fuerit, quum primum cessaverit causa, cesset exceptio: id quod hoc ipso anno restituenda universitatis Ienensis adeundae liber-

te commonstratum est. Nempe qui rerum venalium commerım vinculis, quibus constringebatur, liberaverit, cur ille aniorum commercium finibus artioribus circumscribat? Nec Friricus Guilelmus vult privatorum voluntates legibus ita coerri, ut quidquid aggrediantur, impedimento sit lex: sed haec le legum munia esse censet, ut improbos reprimant, bonos tuntur, et quantum sine rei publicae detrimento fieri potest, ntam unicuique facultatem praebeant secure et libere et ad ium arbitrium rem suam constituendi.

Verum ut redeam ad nostras res, quamquam eae dudum eo erfectionis adductae sunt, ut si nihil adderetur novi, sed pritinum statum tuerentur Regis minister excellentissimus et conıliarii eius prudentissimi, qui institutionem publicam cura streıua regunt, satisfactum votis et desideriis esset: tamen quotanıis haud pauca accedunt bona, quae animos nostros, si modo ıugeri nostra pietas potest, Regi clementissimo magis magisque otos obstringant, et praefectorum, quibus summa cum fiducia reti sumus, benevolentiam testentur. Multa profecto hoc anno ıtiliter et splendide instituta sunt; quae ego referrem, nisi summi magistratus in munere abdicando orationi reservanda essent: tamen de uno regiae munificentiae et liberalis praefectorum curae documento ut disseram, hic ipse dies flagitat; praemia dico, quae hodie primum civibus academicis adiudicantur publice, et posthac, quotiens sollemnia haec faustissima redibunt, adiudicabuntur. Dicas, qui genuino litterarum studio flagret, nec stimulo industriae egere, neque ambitione aut lucro duci, sed materiae, in qua versetur, teneri praestantia, et divino aliquo impetu, nullis additis calcaribus, decurrere ad metam; ceteros ne praemiis quidem allectos operae pretium facturos. Quod ut minime negandum censeo, ita aemulatione litteras artesque ad summum pervenire constat: qua continetur, non tam ut gloriae vel aliam quamlibet cupidinem expleamus, quam ut, quod optimis videatur optimum, studeamus consequi. Quapropter apud Graecos ex antiquissima aetate cursus, luctae, pugilatus, aliarum corporis exercitationum, in quibus virtutem inesse arbitrabantur, praemia proposita sunt partim pecuniaria, partim coronaria, quorum maior auctoritas, quod praeter decus nulla eorum utilitas: pariterque omnis generis poetae, maxime lyrici, dithyrambici, scenici, item musici artifices atque ipsi histriones de palma inter se decertabant: et Corinthi ac Delphis etiam picturae

certamen institutum est. Recentiore vero aetate litterariae potissimum commissiones coeptae sunt, eaeque varii generis. Est quoddam certaminis litterarii genus, a iuvenibus, qui universitatum disciplina utuntur, paullo remotius: quo societates doctrinarum sive academiae efficere conantur, ut eruditorum studia et contentiones ad difficillimas convertantur quaestiones, quibus cum successu tractandis vel amplissima scientiae copia vel summa ingenii vis et subactum longo usu iudicium adhibendum sit: quarum argumenta ubi ita deliguntur, ut quod pro cuiusque doctrinae praesentibus desideriis aptissimum sit, proponatur, si in iis idonei elaborant auctores, fieri non potest, quin inde haud contemnendum litteris emolumentum accedat. Aliud commissionum genus diu est, ex quo in universitate nostra receptum est: quod quum tenuius sit nec cum priori comparandum, non referrem, nisi huius quoque utilitatem experti essemus. Quippe quum singulis fere annis semel atque iterum pecuniae quaedam summa esset Senatui tradita, qua adolescentium honestorum et industriorum succurreretur egestati; ex ea plures universitatis ordines praemia solverunt iis, qui idonea sollertiae suae obtulissent documenta. Unde intelligitur, haec praemia dignis quidem adiudicata esse, non tamen honoris causa, sed sublevandae inopiae. Quae quum ita sint, diversa et nova apud nos sunt honoraria haec praemia, ex Regis clementissimi donatione iis civium distribuenda, qui ex certaminibus universitatis litterariis superiores discesserint. Sed harum commissionum rationem quum in fascium translatione exposuerit huius scholae Prorector, non dicam, quomodo nunc institutae sint, sed cur prius non institutae, postquam ex universitate Gottingensi sunt in alias propagatae. Nam quantum memini me olim comperisse, quo tempore haec litterarum sedes a Friderico Guilelmo condita est, quum eam decoribus quibusvis ornatam vellet, hoc institutum ideo omissum est, quod vires adolescentium nondum confirmatae quaestionibus paullo abstrusioribus explicandis non videntur sufficere: unde metuas, ne praemiis elicias libellos parum utiles, quorum hac aetate librorum fertilissima non cara annona. Accedit, quod laudis consequendae cupido potest unum et alterum invitare ad tractationem argumenti, a quo si abstineret, melius consuleret suis studiis: alium ipse successus sufflare fastu eruditionis potest, quo illi nihil sit perniciosius. At haec incommoda facile vincuntur commodis: nec dimittenda bona, quod qui iis non recte

tetur, damnum faciet. Nam etsi ab adolescentibus absolutam octarum quaestionum explicationem vix exspectaveris, tamen mni modo incitandi sunt, ut quid ipsi possint, periculum fa-iant et peritiorum iudicio discant: nec quantum quisque va-eat, nisi expertus dixeris: et constat iuvenum ingeniosorum ti-ocinia vigore plena praestare haud raro partui serotino et se-ili. Denique noscenda ingenia sunt, et eximia in lucem pro-ehenda: quod hoc instituto efficitur optime. Sed tempera-ıento quodam adhibito apta iuvenili industriae et diligentiae nateries deligenda est, in qua, qui aliquot annos in studiis aca-lemicis exegerit, possit cum fructu versari. Quo mihi id potis-imum pertinere videtur, ut quoniam haec aetas media est inter ;os, qui gymnasiorum disciplina formantur, atque eos, qui ad es gerendas accedunt, abstineamus ab eiusmodi argumentis, quae ıon solum doctrinae postulent copiam, sed etiam rerum expe-ientiam pragmaticis propriam. Etenim quum in gymnasiis ado-escentuli universo quodam et elementario eruditionis orbe ita ;xcolantur, ut quamcunque scientiae partem amplexuri sint, ad eam accedant parati et necessaria praenotione imbuti: iam uni-versitatum scholae singularum doctrinarum campos latissimos aperiunt, atque uniuscuiusque placita sublimiore et subtiliore disquisitione tradunt iis, qui sese ad eam toti applicuerint. Ad practicam autem exercitationem accedere, nisi plures per annos mentem scientia probe formaveris, non conducit; immo qui illam aggrediatur, priusquam doctrinas diuturno studio prorsus perce-perit, is neque scientia praestabit, nec paullo insigniore non solum sollertia verum etiam peritia res geret vel artem faciet: nec videmus nisi eos, qui segni ad studia indole, nec sanctiore instinctu, sed panis causa litteris operam dant, spreta accuratiore cognitione festinantius sese ad ea conferre, quae usui vitae ac-commodata vel ipsi vel parum idonei monitores arbitrentur. Itaque harum commissionum rationi ea sola argumenta conve-niunt, quae ex ipsa petita scientia sint: quum praesertim, quae ad negotia gerenda et exercendam artem pertinent, non pos-sint nisi ab iis recte tractari, qui sint diutius in agendo versati. Iam vero quoniam liquet, neminem posse ab universitatum alumnis eam agendi peritiam exspectare, quae pragmaticis rebus distinctius exponendis sufficiat: intelligimus etiam iis, qui illo-rum hoc litterarium certamen instituerunt, summum, quod cives academici consequi et possint et debeant, non in rerum geren-

darum et negotiorum tractandorum facultate, sed in scientiae ipsius comparatione positum videri: id quod laetamur maxime. Quapropter Regi clementissimo gratia habenda est quum a nobis, quod instituto tam liberali hanc bonarum artium sedem et auxit et ornavit, tum a vobis, commilitones, quibus amplam copiam facit ingenii ostendendi et laudis adipiscendae. Nolite unquam oblivisci, Fridericum Guilelmum, siquem alium principem, prosperrima rei publicae constitutione Patris patriae nomen meritum, etiam iuventuti sese imprimis benignum et comem praebere, nec quidquam omittere, quo vestris commodis, vestrae saluti prospiciat; confirmate quotannis hoc die faustissimo foedus pietatis Regi optimo debitae; reverentia legum, integritate vitae, severitate studiorum declarate, Friderici Guilelmi consiliis et exspectationibus respondere vestros animos, et quid ille vobis praestiterit et praestet, sentire vestra pectora: postremo, nobiscum ad summum numen preces mittite sanctissimas, ut rei publicae, litteris, iuventuti beneficum Fridericum Guilelmum tueatur et conservet.

XIV.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXVI. habita.

In Friderici Guilelmi nataliciis hodie dicturo mihi quid aliud offeratur prius, auditores, quam illa bona prorsus divina, *quae* optimus Rex nobis effecit et efficit, publicae felicitatis, otii, concordiae? illa bona inquam, quae quum universam Germaniam tum Borussiam post multas bellici tumultus calamitates quum maxime recreant et litterarum artiumque fructus laetissimos *in* eximii Principis tutela positarum eliciunt? Qua cogitatione eo commoveor vehementius, quo magis aliquot regna, quae *iisdem* bellis concussa sunt, nondum posse ad quietem reverti video, quod immodicis et impotentibus hominum cupiditatibus *inter se* dimicantibus differuntur. Apud nos omnia tranquilla, moderata: et haec manent. Atque ipsa haec in nostra civitate moderatio, civilium commodorum summum, potissimum debetur Friderico Guilelmo, quem natura ipsa, quod de aequali suo M. Catone

cero dicit, ad honestatem, gravitatem, magnitudinem animi, ıtitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et exlsum finxit: quo nimirum ipse sibi temperamento imperat, dem instruit rem publicam, idem in amicorum, in magistraum, in civium animos, quantum fieri potest, transfert, et per ıperium universum copiosis quasi rivis diffundit. Quod ci vix potest quantum prosit etiam litteris. Nam in civite nullis cupiditatum tempestatibus commota rectum et puım scientiae tramitem quieto itinere emetitur animus: factioım sive in civilibus rebus sive in divinis, quae a re publica ɔn alienae sunt, dissentientium studia et insaniae a vero deectunt obnubilatas mentes; scientiam, qua nullum sanctius doum mortalibus largitum supremum numen est, hominum consiis et voluntatibus servire cogunt; sophistas armant captiosis rtibus, qui ipsarum tutentur utilitates. Praeterea quamquam tterae ad vitam regendam conferre multum et possunt et de·ent, tamen qui eas ad rerum praesentium statum fallacemque aepe speciem temere accommodet, fieri non potest quin gra'issimis implicetur erroribus: quod quum in omnium auctoribus lisciplinarum, tum in historicis et philosophis intelligere licet. Ut enim magna suppetente exemplorum copia in hoc uno coıistam, quum utrique de saeculi ingenio, quod dicitur, disputare ɔoleant; ad quae quisque animum magis intenderit, et quae pars :erum praesentium ipsis potissimum oblata fuerit, aut quas contentiones, quae consilia ipsi sectentur, in iis fere saeculi ingenium spectari putant: ut recte sapiens poeta dixerit, suam eos indolem pro aetatis venditare indole; quae vix satis videtur cognosci posse, nisi divinitus a saeculi contagione segregatus, velut ex alto, quae agantur cuncta, et quibus causis, et quo eventu, penitus perspexeris. Immo quam anceps, quam subiecta hominum studiis inter magnos praesertim motus sit tota haec de saeculi praesentis ingenio divinatio Etruscae haud dissimilis, nullo mihi videtur exemplo melius comprobari, quam summi inter Germanos rerum scriptoris, qui aliquamdiu etiam in hac habitavit urbe, eiusque et doctrinae elegantia et immensa eruditionis ubertate et candore animi in paucis insignis: qui primum Imperatoris Gallici adversarius acerrimus, mox illi comi alloquio conciliatus novum et fere aureum aevum adducturum illum auguratus est, cuius potentia altero lustro post non sine communi omnium mortalium exsultatione abolita ita est, vix

ut vestigia supersint. Quam rem in memoriam revoco, non ut eam viri egregii exprobrem manibus, sed ut ostendam, rerum motarum fluctibus correptos et perturbatos decipi etiam optimos eruditorum, et in tranquilla tantum civitatis condicione integrum de rebus maximis esse iudicium.

Iam vero si historia et sapientiae studium illis obnoxia discriminibus sunt, nonne idem de universa scientia et disciplinis omnibus dicere licebit? Nam hae omnes in philosophia et historia radices agunt; hae ex illis nutrimenta petunt, illis sublatis vel neglectis ipsae intereunt. Quod quamquam in hoc conventu virorum [illegible] [illegible]lendidissimorum et doctissimorum exponere haud satis [illegible] [illegible]videtur; tamen quod ab hac, quae mihi proxi[illegible] [illegible] histriustriore corona non ea exspectari intelligo, quae [illegible] [illegible]vitate vel gravitate dicendi apta ipsi sint, sed quae monere [illegible]ommilitones si non necessarium certe opus sit, et quae simul ad rerum Friderici Guilelmi auspiciis institutarum laudem referri possint, quoniam in hac philosophiae et historiae cum ceteris disciplinis coniunctione explicanda utrumque inest commodum, de hac, non dialectico acumine, quod scholarum proprium, sed oratorio modo paucis exponere et deinceps eo, unde digressus sum, redire constitui. Igitur philosophia et historia cum partibus inde pendentibus, quibus non sine causa etiam scientia naturalis, mathematice, philologia annumerari solent, universam humanam scientiam contineri contendo, quae in sese ipsa summum habeat finem repositum: ex qua mature quidam doctrinae quasi rami separati et in certas disciplinas coniuncti sunt, easque historicam philosophamque scientiam in generis humani fructum longe saluberrimum convertentes. Et harum quidem disciplinarum una corporeae maxime hominum naturae succurrere et mederi, duae animos student legum iurisque praeceptis regere, sanctissimis religionibus emendare et erigere, civitatis et ecclesiae vinculis carissimis consociare, postremo meliore spe moriendi consolari. Easdem vero iis, quas significavi, historicis philosophisque doctrinis fulciri, et ipsas partim philosophando partim historica disquisitione comparari, quis est qui negaverit? Etenim ut a iuris prudentia incipiam, sicut omnes eius fontes sive domestici sive peregrini ad Romanos usque atque ultra hos non possunt nisi historica via aperiri et explicari, ita inde a Graecis omnium artium magistris principibus philosophia quoque et iuris et rerum civilium omnium tractationem suscepit;

atque ipsius legislationis ratio videtur ea esse, ut mista et composita sit ex historica philosophaque cognitione. Quid vero theologia? Anne ulla disciplina suapte natura historiae luce magis indiget quam illa? Quae namque revelata divinitus generi humano sunt, non ipsi experti sumus, sed tradita ex remotis temporibus accepimus; et in his, quae tradita sunt, religiosa acquiescit mens: nisi quod, quam sacra labem additamentis mortalium et maxime superstitione traxerunt, eam pura et genuina doctrinae forma restituenda, quod sine historica cognitione fieri non potest, exuere et robiginem inductam deterere studet; postquam depravatae sanctissimae ca[illegible]iae sunt, remedium afferente divina providentia, et generos[illegible], nitente viros, qui obviam ire inveteratis erroribus audeant: [illegible]nde[illegible] [illegible]uth[illegible]us fecit, quum Christianam doctrinam ad sacrorum [illegible] revocavit fidem, in qua sola Regem nostrum pietate ingenium et veritatem Christianam et animorum solatium ac salutem invenire quum pridem tum hoc potissimum anno documento singulari grati cognovimus. Rursum quod litterae divinae altissimas et gravissimas de iis rebus, quae mortalibus maximae sunt, sententias prodiderunt, in quibus ipsis etiam philosophia versatur, immo quod uniuscuiusque fere gentis religiones primitivam eius sapientiam veluti semine clausam continent; qui ad intima doctrinae penetralia adspirare audeat, placitorum sanctissimorum semina aperire et evolvere, elementa sparsa in unum disciplinae corpus coniungere, non id sine philosophi meditatione perficiet. Quid quod sacrarum et profanarum litterarum interior familiaritas ab institutionis publicae rectoribus et olim legibus confirmata est et nuperrime in hac re publica aucta, ex quo iis, qui disciplinas erudiendae scholasticae iuventuti inservientes amplectuntur, etiam theologici studii aliquot partes commendatae sunt: quae res prosperrimum habebit eventum, si in ea necessarium temperamentum servabitur, quod in civitate temperantissima exspectare secure licet, nec pietas, quod apud nos non verendum est, seu vera sive simulata accuratae eruditionis penuriam supplere posse videbitur, aut ea tollentur commoda, quae ex utriusque studii disiunctione in hoc ipso imperio ad scholas redundarunt haud dubie. Postremo medicinae studium sine scientia naturali nullum esse non est quod exponam; idque etiam usu et auctoritate ita evincitur, ut in pluribus academiis atque etiam apud nos aliquot medicinae professores ab arte salutari

factitanda procul remoti in sola rerum natura perscrutanda occupati sint, et nuperrime a viris excellentissimis et illustrissimis, quibus Fridericus Guilelmus hanc rei publicae partem mandavit, constitutum sapienter sit, ne quis ad summos in medicina honores capessendos admitteretur, nisi rerum naturalium cognitionem sufficientem peculiari tentamine in hunc finem subeundo probasset. Quis vero non hoc pulcherrime a medicis et medicorum alumnis institui intelligit, quod artis suae origines a remotissima aetate rimantur, quod non ea tantum, quae heri et nudius tertius proposita vel inventa sunt, suis curis digna censent, sed in singulorum morborum pertractatione docta per omnium aetatum spatia usque ad artis suae parentem Hippocratem ratione prorsus historica redeuntes, inde quidquid vel utile vel memorabile est repetunt strenue? Quis eosdem nescit et olim et nostra potissimum memoria studiosius quam ullam aliam eruditorum familiam philosophorum esse placita sectatos, ut naturae causas et vires vitales, quibus interior corporis fabrica continetur et agitatur, penitus cognoscerent? Itaque quum cunctas disciplinas partim ex philosophia et historia materiam petere, partim harum via et ratione in suis rebus inveniendis, explicandis, confirmandis uti constet, pauca liceat de antiquitatis addere studio. Ex quo quod renascentium litterarum aetate omnes propemodum doctrinae sua primordia habuerunt, merito illi in iuvenili institutione princeps est locus datus: adultis vero recentiorum populorum litteris non iam ea visa est Graecae Romanaeque antiquitatis dignitas esse, ut doctrinarum ex illa deducenda initia essent. Quapropter qui illa studia, ob eam quam dixi causam in scholis recepta, retinere in iisdem eorum capti praestantia cupiebant, quum docere vellent, quare id fieri oporteret, postquam prior illorum usus fructusque esset abolitus; acriter circumspicientes non potuerunt aliud reperire, quam formalis, quae dicitur, eruditionis causa Graecas Romanasque litteras et maxime linguas esse tractandas. Hoc ego tantum abest ut mihi persuadeam, qui praesertim non videam homines Graecam Latinamque grammaticam imprimis tenentes ceteris mortalibus animo bene conformato longe praestare, ut quamvis mentibus formandis idonea materia sit, expellendas ex scholis antiquas litteras censeam, et ingenia puerorum et adolescentium, veterum ipsorum exemplo in aliis rebus, quae nobis priores sint, exercenda, nisi potior causa supersit, quamobrem

illae deligantur. Enimvero fallax est universa ista ratiocinatio, atque ideo excogitata, quod qua antiquae novaeque litterae ratione etiamnunc colligatae essent, non recte aestimatum est. Etiamnunc magna historiae pars ex antiquitatis haurienda monimentis est; etiamnunc nemo est paullo insignior philosophus, quin veterum philosophorum placita, quae examinet, dignissima habeat, quin magna Pythagorae, Platonis, Aristotelis ingenia admiretur: denique ne de poetis et scriptoribus absolutissimis dicam, si paucas aliquot naturalis potissimum scientiae particulas exceperis, omnium disciplinarum fontes ex antiquitate manant. Ubi Christiana fides originem et incrementa cepit? ubi ius perfectum aliquatenus est? qui medicus, nisi indoctus, veteres artis auctores spernit? postremo quae tandem haec sapientia est, qua, postquam veterum insistentes vestigiis modicam nacti eruditionem sumus, dirui fundamenta iubeas, quod in tecto aedificando occupatus sis? Quae quum ita sint, Graecis Latinisque litteris inde a pueritia instituimur, quod nostrae sine illis perdisci nequeunt, atque illae multiplicibus quasi traducibus nostram eruditionem permeant universam et per hanc diffusae sunt: quod quum in hac civitate, siqua alibi, qui summae rerum praesunt, intelligant optime, ab iis, qui studiis academicis absolutis ad negotia capessenda accedunt, etiam antiquarum litterarum aliqua postulatur cognitio: unde, quantum audio, iuris candidatis Latina examina in posterum constituentur; unde medicinae doctoribus futuris modicus scholasticae eruditionis gradus, qui magna ex parte antiquis litteris comparatur, necessarius iudicatus est; unde cavetur, ne qui scholarum litteras nimium neglexerint, ad academica studia admittantur imparati. Nam omnino in imperio Borussico et maxime Friderico Guilelmo rege publica disciplina sapientissimis temperata institutis et legibus est, quibus litterarum adiuvatur flos: et quod mihi non praetereundum videtur, liberali studemus doctrinae, non umbraticae; neque ita caecutimus, ut discipulos formemus Latine Graeceque loqui doctissimos, sed in ceteris rebus prope omnibus infantes, sed et alia in scholas introduximus litterarum genera, et maxime mathematum illas instruximus studio, quorum non minima in iuvenilibus animis exercendis merito habetur vis.

Haec hactenus. Intelligitis autem, auditores, dum singula eius argumenti capita, quod mihi tractandum sumpseram, stri-

ctim percurro, me in unoquoque fere ad ea digitum intendisse quibus nostra civitas Regis sapientissimi voluntate gubernata hoc potissimum anno egregie instructa est, ut pro virium mearum modulo, exili quidem oratione sed sincera, prudentia de studiis litterarum regendis decreta continuo quodam filo quasi in corolla connecterem. Iam dixerit aliquis: At haec tenuia sunt; quidni effuso, quod praesto est, cornu copiae plurima et maxima Regis benignissimi de hoc imperio merita prompsisti? Ego vero Friderici Guilelmi laudibus ex hoc suggestu totiens perfunctus non ita ago, ut qui sterilem materiam verset; non singulis annis eadem repetenda censeo: modo, quod superiore anno feci, dedita opera, quid Fridericus Guilelmus universae rei publicae praestiterit, expono; modo pro temporum opportunitate potioribus mihi partibus selectis bellicam illius virtutem vel artium vel litterarum patrocinium ab illo susceptum, ampliore disputatione celebro; postremo mihi non satisfacio, quod in magnis rebus magna Friderici Guilelmi consilia ostendi, nisi etiam in iis, quae minora videntur, providum ipsum, providos ipsius ministros demonstravero. Quamquam nescio an ea, in quibus constiti, non sint exigua. Num enim hoc exiguum est instituta condere, leges scribere adornandis eorum studiis, ex quorum eruditione, sollertia, integritate litterarum honos, res publicae salus, civium omnium bona, corpora, animi pendebunt? qui scientiae lumen non modo per universam spargent civitatem, sed a prioribus acceptum posterae tradent progeniei, ut parentes liberis ignem vitalem? Quod officium sanctissimum et docentibus et discentibus debet perpetuo ante oculos versari, ne in litteris unquam, vel lucro vel ambitione ducti, quidquam aliter ac salva conscientia statuant, neve sententias suas, ut eo revertar unde orsus sum, mobili saeculi ingenio, cupiditatibus hominum certo quodam tempore grassantibus, denique transiturae alicui intemperiei, quae ut in aëre et caelo, ita in humana vita cernitur, accommodent. Magnam rem et difficilem dico: neque ea omnibus probatur: sed mihi videtur scientia nulli servire debere, nec popularem auram nec principalem neque ullam aliam captare, sed id solum sectari, quod recta praescribat ratio. Neque tamen hoc semper fit: ut philosophia, ut historia, quam tamen nulli debere sectae addictam esse vetus clamat praeceptum, ita ceterae disciplinae cum illis connexae fortuitis vel externis impulsibus huc illuc feruntur; hos ipsa iuris

praecepta et res sacrae sequuntur haud raro. Quodsi, ut ex rectis Stoicorum placitis vetus ait scriptor, lex est summa ratio, insita in natura, quae iubet ea quae facienda sunt prohibetque contraria, eaque in hominis mente confirmata et confecta; ad illam rationem dirigi universum ius et civile et publicum debet: sed ad alia id omnia subinde deflexum videmus. Accepimus Octaviano Augusto principe duo pacis decora, Antistium Labeonem et Ateium Capitonem, diversas vias secutos alterum veteri libertati favisse, alterum miro obsequio et sententiis ad nutum torquendis ita adrepsisse dominis, ut, Tacito iudice, humani divinique iuris sciens, egregium publicum et bonas domi artes dehonestaret: quae tum coepta omnibus fere aetatibus in iis recurrunt rebus publicis, quae partium alunt studia: apud nos si nihil istiusmodi deprehenditur, gratia habenda est Regis optimi temperantiae, quae id efficit, ut factionibus in hoc imperio nulla idonea relinquatur materia, nec vis principatus astutis adminiculis sustentanda sit, quod, quanta huius sit salubritas, cives universi experiendo discunt quotidie. At miramini fortasse, auditores, quod in nostra re publica factionibus nullam relictam materiam contendo: nonne enim, dicet aliquis, funesta coniuratione vidimus in praeceps ruisse adolescentulos illos, universitatum potissimum alumnos, quos numero duodetriginta perduellionis tentatae prope omnes nuperrime damnavit supremum iudicium Vratislaviense, et acerrimis poenis affecit? Sane ista delicta, in quibus ne commorer, facit huius diei sanctitas et communis laetitia, nunquam satis poterunt deplorari; sed paucorum ille fuit instinctus et furor, neque e factione latius propagata natus, sed factionis efficiendae studiosus: atque insuper nefariae istae contentiones exstinctae fere totae in hoc imperio sunt: ipsi quin etiam, qui rebus nostris praesunt, viri excellentissimi et illustrissimi, qua sunt humanitate, volunt, ut hodie edicatur publice, quam hoc ipsis gratum sit et iucundum, quod a vecordibus istis iuvenum aliquot temerariorum conatibus abhorremus omnes et docentes et discentes, atque huius civitatis legibus Principique optimo dediti toto animo sumus. Haec quidem de publicis rebus. Etiam maius vero fortasse illud, quod divina religione ad consilia sua persequenda cupidi et ambitiosi homines abutuntur. Nam postquam ut olim prodigiis et portentis, sic nostra memoria magnis rerum vicissitudinibus ac malorum publicorum et privatorum mole ingenti commotae mentes

sola summi numinis reverentia et pietate terrestrium requietem curarum et portum, quo te recipere tuto queas, praestari intellexerunt: sunt sane qui tentent, an ea inclinatione callide usi novis servitii vinculis constringere populos possint, ut pauci dominentur licentius: quod si illis succederet, revocaretur superstitio perniciosissima, tabe inficerentur mentium medullae. At ab hoc imperio, quod diu est ex quo libertatem animorum insigni fovet tutela, defenditur istud virus; crescit pietas, leniter occurritur vitiis: Rex optimus exemplum pietatis eximium, sed nulli deditus superstitioni, denique harum quoque rerum longe maximarum, ut ceterarum omnium, columen firmissimum est. Non vos morabor amplius, auditores, urgetque commissionis litterariae renuntiatio, quae me quam soleo et cupio breviorem esse cogit: igitur paucis complectar, quod superest. Nimirum quocunque me converto (et in annorum decursu omnes prope rei publicae partes in optimi Regis praeconio occupatus permeavi cogitatione), quacunque inquam circumspecto, etsi nihil humanum perfectum est, tamen nostra civitas, Friderico Guilelmo moderatore ad tranquillitatem et concordiam composita, mihi videtur id, quod rectum bonumque est, appetere unice, idque non turbulenta via nec tumultuaria contentione consequi velle, sed lento quietoque progressu, qui a torpore et veterno longissime abest. Qua via quid iam bonorum assecuti simus, quum laeti agnoscunt cuncti cives, Principi dilectissimo uno animo et votis ardentissimis nobiscum obstricti, tum ego superiore anno hoc ipso die demonstravi: quae maturabit futurum tempus et novis incrementis augebit. Et haec debentur ac debebuntur primum Deo, summo imperiorum arbitro, deinde Friderico Guilelmo, quem Dei tueatur gratia. Dixi.

XV.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXVII. habita.

Ex quo mihi hoc munus et splendidissimum et gravissimum delatum est, ut quotannis in his sollemnibus coram vobis dicerem, auditores; nihil magis mihi devitandum intellexi, quam vani praeconii strepitum et adulatorium dedecus, quod istud genus orationis non modo a vestra meaque persona esset alienum, sed Friderici Guilelmi virtutibus non conveniret: assentatio enim principi adhibita quasi illius reprehensio est: ipsam quin etiam iustam laudationem contrahere consuevi, ut quae nimis esset ardua, eamque postularet eloquentiae copiam, eam iudicii maturitatem, quam non confidebam in me inesse; nec directo statim cursu ad Regem praedicandum accedens, hoc et illud argumentum paullo uberius tractavi, ex quo deinceps ea, quae vos desiderabatis, et quae huic essent diei accommodata, studebam elicere. Sed quo saepius apud vos verba facio, eo fio confidentior, partim quod vos me satis nosse iudico, partim quod ego vestram novi indulgentiam, quae mihi, siquid imprudentius exciderit, det veniam: itaque prope iam audeo Friderici Guilelmi laudem nullo alio argumento extrinsecus admisto dedita opera persequi; quod quanto diutius in hac re versatus sum, tanto concupivi ardentius, iterata identidem cogitatione altius introspiciens egregium Friderici Guilelmi animum, ut optimum quidque, quo magis spectatur et examinatur, eo magis delectat et commovet, dum, quae specioso tantum fulgore nitent, frequentius considerata evilescunt. Et videre mihi videor, etsi nunquam non libentissime de solo Rege optimo me disserentem audituri eratis, tamen hoc potissimum anno aliorsum deflexurum me vos laturos aegerrime. Nemo est bonus non solum in hoc imperio, sed etiam apud exteros, quem non valetudo Friderici Guilelmi ex infausto casu afflicta reddiderit sollicitum, cui non doluerit, virum magnis prius publicis, magnis privatis calamitatibus, quasi aurum igni, probatum nunc senectuti propiorem hoc insuper fortuito, siquid fortuitum, malo circumveniri: quae vota

pro illius incolumitate suscepta sunt, qua vero laetitia cunctos affecit restitutus! Quid multa? Testatus est ipse Rex publico edicto, quantopere ipsi populi et omnium provinciarum placuissent studia; testatae urbes haud paucae sunt, non simulatione caritatis sed intimo affectu indictis ob dilectissimi Principis salutem diebus festis. In quibus sensibus declarandis ut fortasse recentissimi sumus, ita non vultis nos esse ultimos: quo minus hodie censeo a Friderici Guilelmi persona esse discedendum. Quodsi quaesiveris, quid sit quod Fridericus Guilelmus ab omnibus tam diligatur impense, non in privatis virtutibus, quae illi egregie supersunt, causam invenio: non enim ut privatum diligunt, sed ut principem; quamquam etiam domesticos mores et proximi et ex fama remotiores suspiciunt, ut ferme populus non ea sola spectat, quae civitatium rectores publice dicunt et agunt, sed privatam quoque vitam et consuetudinem, familiaritates, coniugia, habitationes, coenas, et iuxta cum seriis oblectationes percenset: nec quod ipsis natalibus rex est, id Friderico Guilelmo tantam propensionem conciliat, licet nati principes, quod solent mitiores esse et minore laedendi suos tenentur necessitate, traditumque a maioribus mutuae concordiae vinculum est, civibus ut plurimum sint cariores; non tamen ideo solum ille gratiosus suis est; nam eum diligunt etiam ii, quorum imperio est recens potitus: postremo ne haec quidem mihi videtur vera ratio esse, quod felices hoc rege sumus; nam etiam minus beati aeque illum amant, nec secundis demum rebus provocata populi studia sunt, sed ipsis adversis aucta eximie. Igitur ut tribus verbis comprehendam omnia, Fridericus Guilelmus carissimus est cunctis, quod regiam in illo inesse virtutem universam aut sentiunt aut intelligunt. Magnum dixi, auditores, et quod nescio an meum superet iudicium. Quid enim? egone is sum, qui regiam virtutem perspicere, ponderare, examinare queam? quid quod illam penitus cognoscere non potest nisi rex? Haud feremus opinor indoctum, qui iudicet de eruditis: reges diiudicare licebit cuivis, qui ne accesserit quidem ad publica negotia? Sane me possem adversus haec Nicolai Machiavelli tutari verbis, qui in Principis sui, ingeniosissimi libri, dedicatione ad Laurentium Medicem scripta contendit, quemadmodum regiones delineaturi ad montium et editorum locorum naturam considerandam in planitie aliqua solent consistere, ut vero humilia et depressa cognoscant, in montibus collocantur, ita quo

melius perspicias ingenium populorum, principem, quo principum rationem calleas, popularem te esse debere. At istius excusationi, quae ambitiosior est quam pro mea mediocritate, praeferenda videtur haec paullo modestior, non me profunda disputatione et digna homine rem publicam experto, a qua meo iure absum, qualem principem esse oporteat, explicaturum, sed populari via, ut qui, cur optimo Regi tantopere obstrictus sit populus, exponere nunc constituerim; denique ut de Rege dicam obligato mihi licebit vel imperito sic de eo dicere, quasi non sim imperitus.

Equidem regiam definiturus virtutem non recitabo vobis indicem omnium ingenii dotium, quae ut in aliis bonis viris, ita in principibus inesse debeant, sed duplici eam dico animi indole contineri, strenua fortitudine et miti sapientia, quae etiamsi possunt inter se contrariae videri, tamen in viro bono prorsus conspirant. Et fortitudine quidem opus est, ut princeps imperium suum ab hoste quovis, et extero et intestino defendat, non solum armorum viribus, sed etiam consiliorum audacia prompte et in tempore capessendorum, quae ubi metu vel discriminis declinatione differentur, opportunitas neglecta saepe ne per firmissimos quidem exercitus poterit restitui: deinde praeter bellum in ipsis pacatis rebus fortis et constans desideratur animus, ut in negotiis impeditis et acrem mentis intentionem postulantibus perseveres sedulo, atque obdurescas ad omnia, quibus possis frangi. Talis si rex est, accedentibus insuper ceteris bonis, de quibus statim dicam, tuto ei populus sese et fortunas suas omnes credet, quod nihil illum mollitie vel occupationum taedio neglecturum, cuncta acerrime gesturum scit: et tanto magis eum admirabuntur cives, quo procliviora ad delicias regna sunt, quo difficilius in rerum omnium affluentia perpetuo retinetur severitas principi necessaria; vix ut scopulos, ad quos suavissimae alliciant Sirenes, devitet nisi vir et optima praeditus natura et cum cura educatus ac formatus: in quibus qui haeserit, quamquam comitate potest acceptus esse, mox tamen eum desidia et ignavia in contemptum adducent. At fortitudine sola principis non absolvitur officium; facileque, nisi ut harmonici graves sonos temperant acutis et austera dulcibus, leniore virtute miscetur animosus pectoris impetus, iam ferocior ruit in stragem gentium, ubi praesertim ad solam sese militiam applicaverint principes, quibus nimium saepe decantatum est illud Etrusci

doctoris praeceptum, nihil aliud ob oculos habere imperantem debere, nullam aliam artem exercere, quam bellicam, quae una principalis sit, denique nihil aliud curare, quam militarem disciplinam, militaria instituta: quod tantum abest ut verum sit, ut vix dimidiatus videatur princeps esse, qui solum exercitum pensi habeat, neque intelligat exercitum ob rem publicam, non rem publicam exercitus causa comparari et haberi: ne dicam illius placiti auctores tyrannum potius quam principem instituisse, aut, quod etiam damnosius, alterum confudisse cum altero. Atqui id, quod dixi, temperamentum regiae menti praebet sapientia, ferociam depellens quamlibet, civilis ea potissimum regiminis moderans habenas: quemadmodum cognovimus celeberrimos et civibus suis beneficentissimos rerum publicarum statores et legislatores, ex quibus Solonem nominasse sufficiet, sapientiae fuisse laude insignes: illa vero, ut ego arbitror, comprehendit reliqua prope omnia, quae addenda fortitudini sint. Non dico umbraticam sapientiam scholarum et sectarum, qua regem carere impune posse negabit nemo: eruditionis quidem copia non formari bonos principes, exemplo suo cum aliis doctissimis Romanorum Imperatoribus commonstravit Tiberius; et nimia quodammodo Hadriani, cetera eximii principis, doctrina ut multis utilis fuerit, nocuit et ipsi et aliis haud paucis: ut M. Antoninus, ut Fridericus Magnus minus fuissent philosophi, minus ornati litterarum gloriola, non illi, insitis natura egregiis artibus, erant deterius regnaturi. Immo initium et summa sapientiae est conscientia divini numinis, quod ratione mundum contineat, providentia gubernet; sicuti ille ipse Antoninus Deum scribit esse mentem omnia permeantem et per omne aevum secundum orbes temporum ordinatos regentem universa: illa sapientia cui repletus animus sit, is religiose, quidquid acturus est, examinabit; is pius sine superstitione, quod malum in principibus longe funestissimum haud raro furore grassatum in populos est, vel saltem indigna iniecit animis vincula, ad divinum exemplar dirigere sua facta studebit; is Dei minister non a civibus haberi volet, ut maior ipsi auctoritas et servilis veneratio accedat, sed sua sibi habebitur aestimatione, qui ad curandam hominum salutem praepositus hominibus liberis sit. Neque rex in omnibus rei publicae gerendae partibus ea instructus prudentia esse necessario debet, quam ab iis poscimus, qui singulas quasque tractant partes, sed sicuti qui olim ingenii et eloquentiae viribus

plebem regebant oratores nec iuris nec militiae nec rationis redituum et vectigalium magnopere periti erant, sed tamen rem publicam gubernabant non sine magna sollertia, ita regia ars universam civitatem moderatur eatenus, ut singulis quidem rebus singulos praeficiat administros, quibus quasi instrumentis utatur, ipsa vero summam omnium, quas illi praeparaverint, rerum complectatur, quae singularum partium praefecti suppeditarint, diiudicet, potissima decernat, quae agenda sint iubeat et mandet. Sic, ut exemplo utar nobis proximo, litteras nosse aliquatenus et magni aestimare decorum etiam principi est, et litteraria certe civitatis instituta regere quodammodo ipse debet, et quae horum vis et indoles sit ac quomodo optime ordinentur, intelligere, non tamen, quemadmodum Dionysius Siciliae tyrannus cum poetis, Nero cum cantoribus, Hadrianus Imperator, Henricus Octavus et Iacobus Primus Angliae reges cum eruditis immodico certabant studio, laudem doctrinae affectare, ut scilicet in hoc quoque genere princeps habeatur. Denique non minima regiae sapientiae pars est temperantia, qua sibi ipse princeps modum imponat, modestia, qua audiat eos, quos peritos esse viderit, ab iisque sese patiatur edoceri. Enimvero in tanta potentia difficile est animo adhibere frena: nec tamen qui nesciat sibi imperare, recte alios reget; nec cuius mens non sit composita, componere subiectos poterit. Sed multi id putant regium esse, nemini obsequi, et obstinationem ac pervicaciam habent pro constantia, animum tyrannice comparatum pro regio; quin maximi principes eo praecipue peccarunt, quod sese nimium freti sunt; seroque intellexerunt, quantum praestitisset prudentibus obtemperasse monitis: sunt etiam qui aegre ferant consiliarios et vereantur rationem dominam agnoscere, quod iis, qui rectum demonstrant, parendo minui potestatem suam putant. In delectu autem amicorum et eorum usu quam cautus debeat princeps esse, nemo non intelligit: non modo enim ex iis, qui circum illum versantur, coniectura fit qualis ipse sit, sed imperii vis magna ex parte inde pendet, bonosne an malos elegerit, atque utrum illos foveat, hos coerceat, necne; utrum sese ab assentatoribus falli sinat, laudantibus etiam quae non sint laudabilia, vel falsa referentibus, quod ea illi grata iudicant, an libertatem oris honestam tolerare possit, iique illi etiam acceptiores sint, qui aperire vel iniucunda vel tristia quam tegere malint. Ad quae omnia acri opus est iudicio, quod penetret

hominum mentes, consilia, mores, et praecipue simplici quodam sensu veri, quo deligere optima et celeriter amplecti possit. His igitur artibus instructus, et fortitudinem animi cum sapientia coniungens, simul benevolus omnibus hominibus, aequus, iustus, fidus et suis et exteris princeps erit, et in cunctis rebus tenebit modum; severitatem temperabit lenitate, utrique suo loco quantum debet tribuens, nec mollibus consultis remittens ius, nec tristitia ingenii proclivis ad atrociora, neque aegritudine quadam pronus ad suspiciones; ratione parcus et rursum liberalis erit, quod neutrum nisi cum ratione rectum esse sciet: omnino nihil non cum ratione et iudicio peraget; et quidquid molietur, etsi bonam famam non negliget, tamen non faciet, ut nomen suum celebret, sed regiam virtutem exercebit virtutis causa: gloriae quidem insana cupiditas permultos optimae indolis principes, qui populis beandis videbantur nati esse, et his et sibi reddidit infestissimos. Postremo ita comparatus rex genuinae particeps felicitatis fiet. Sane principales domos, etsi in summo fastigio positas, haud raro carere beatitate videas, quae facilius contingit humilibus: quodsi ex veteri proverbio opulenti multa habent, quibus sese consolentur, tamen principibus haud pauca accedunt mala, a quibus securi minores. Quo maior locus, eo onera et curae maiores; vix requieti spatium relinquitur apud eum, qui prospicere omnibus debet: inferiores familiari uxoris et liberorum recreantur consortione; regibus, etiamsi non domestica turbentur calamitate, vel quod Octaviano Augusto accidit dedecore, raro ea est coniugii prosperitas, qua gaudere solent privati. Accedit quod quae universam civitatem vexant et affligunt, iis acerbius percutitur caput rei publicae. Sed regius animus in expletis omnibus officii partibus et in conscientia boni summam et dulcissimam inveniet laborum remunerationem; neque ex eventu sortem suam comparabit, qui obnoxius est fortunae, regibus non magis mancipatae quam iis, qui parent, sed obfirmatus et casibus humanis minime fractus feret quae ceciderint adversa.

Populariter, ut initio pollicitus sum, regiam adumbravi virtutem, quantum mea potui existimatione, neque omnia, ut fortasse oportebat, uberius pertractans, quod et infinitum argumentum est et breve mihi tempus constitutum; sed ad illa, quae summatim disputavi, animum intendentes intellexistis credo me non monente, quantopere virtuti regiae Fridericus Guilelmus respon-

deat: tamen non ingratum me facturum spero, si potiora certe descriptionis lineamenta iterabo. Itaque ut seriem institutam servem, Fridericus Guilelmus more maiorum suscepit curam exercitus, nec tamen in ea est nimius, nec posthabet ei civilia, militemque ita temperavit, ut cum paganis non ut olim pugnaret sed concordaret: ipse Rex acrem se militiae et fortem bellatorem comprobavit, fortem etiam virum in ferendis malis, quibus non occubuit, sed corroboratus ipsis est, maior emersus ex calamitate haud mediocri, sapientiae fructu collecto e fortunae vicibus, ut ex thymo, herba acerbissima et aridissima, apes mel dulcissimum comparant. Non amplius quidquam vero loquor, sed longe infra rerum gestarum molem, infra illa populi studia, quae Rex dilectissimus consiliis et facinoribus, post divinam opem ipsius virtute et civium fide perfectis sibi conciliavit, consisto invitus: meminerunt et aestimabunt illi, qui tum affuerunt. Quid vero dicam de Regis industria et laborum tolerantia? quis a deliciis, quibus vel fortes aliquando indulgent, quis ab omni luxu et mollitie alienior, quis frugalior? Nemo quidem civium nescit, quam exigua redituum pars in aulam erogetur, conversis prope omnibus in commoda publica Simul Fridericus Guilelmus ita moderatur severitatem, ut quum severi principes metui soleant a subiectis, in hoc principe ne quaeri quidem possit, quod saepe quaesierunt harum rerum curiosi, metuine regem praestet an diligi: nam ea ipsa, quae solo metu putes perfici posse, caritas principis cum reverentia ipsi debita efficit, et vis legum, per quas imperat; firmiora profecto imperii subsidia et propugnacula, quam copiae et arces, quibus insuper sumus munitissimi. Pietatem vero, sapientiae fundamentum, Fridericus Guilelmus non in ore habet, sed in pectore; nec religionibus et caerimoniis, quod multi reges sibi faciendum putarunt, ducere populos et constringere ac quodammodo decipere vult, sed vera Dei cognitione emendare suos; neque eius pietas in vana dogmatum notitia posita est nec caecis superstitiosisque contaminata opinionibus, sed penetrat in ea, quae agit, et illustratur cogitatione multa. Iam quis sui modum melius tenet? Nonne modestiam privati consociat cum regia potestate et dignitate? Cuius rei magnum argumentum vel cum periculo offensionis afferam. Non habemus libertatem, quam dicunt, in charta scriptam; nec magna est in hoc imperio ordinum, quos vocant, civilium auctoritas: sed per universam

rei publicae administrationem diffusa est moderatio quaedam quam Fridericus Guilelmus iussis et exemplo praeit; unde nihil usquam cupide, nihil violenter, nihil per factionem geritur, e sic liberiores sumus, quam qui videntur liberrimi. Considerate hanc universitatum litterariarum rationem: hae licet communi Germanici concilii decreto ante hos octo annos intentiori praefectorum ipsis datorum curae sint subiectae, num iustam vel docendi vel discendi perdiderunt libertatem? nonne liberiores sunt Britannicis et Gallicis, ex quibus hae potissimum illiberalibus turbari contentionibus videntur? Non distinctius dicam de Friderici Guilelmi in deligendis et consultandis ministris et amicis prudentia et diligentia; nec mihi decorum superstites nominare: documento sunt defuncti, qui ipsius auspiciis ante hos duodecim annos et prius maximas domi forisque res gesserunt et in ore animisque civium haerent recentes. Contra adulatorum natio universa exsulat ex hoc regno et ab hac aula. Sed sapientiam Principis dilectissimi consummat acer ille, quem supra dixi, veri sensus, qui ad rectum, honestum, utile in quavis re certo collineat iactu: quae indoles eximia quum cognita plerisque omnibus sit, nemo dubitat quin Rex, quaecunque ad ipsius pervenerint notitiam, sit recte diiudicaturus. Talis vir non potest non iustus, aequus, fidus, benignus omnibus, qui digni benignitate, sed simul severus in delinquentes esse: unde proba animadversionis vel lenitatis, munificentiae vel parcitatis mensura proficiscitur. Quae omnia in Friderico Guilelmo insigniter et ea qua debent ratione inesse, quamquam plurimis documentis comprobatum pridem est, tamen duo afferam, quae hic attulit annus, alterum iustitiae et aequitatis, alterum munificae liberalitatis. Quorum prius est eiusmodi, ut Friderico Guilelmo publice actae gratiae sint etiam ab exteris: quippe quum per multorum annorum spatium, quae regni olim Guestphalici creditoribus debentur, nulla voluisset civitas solvere, primus Rex noster ex sua parte iussit illis satisfieri certis condicionibus. Posterius vero ad nostras pertinet res. Nam etsi Fridericus Guilelmus ut ceteras huius regni litterarias universitates, ita nostram inde ab institutione eximie ditavit opibus easque identidem amplificavit, tamen stipendiis, quibus inopes sustentarentur adolescentes, certe eatenus eramus minus instructi, quatenus in tanta qua floremus civium academicorum frequentia, quantam longo ex tempore nulla in Germania artium

schola habuit, consentaneum est esse permultos, qui sublevandi publice sint: quibus non sufficiebant priores copiae, quamquam et ipsae paullatim auctae. Quapropter hoc anno Rex benevolentissimus instituit egregie, ut e fisco sportulae haud exiguae numerarentur et aliis et potissimum defunctorum ecclesiasticorum et scholasticorum filiis, qui apud nos studiis darent operam: et quoniam regis exemplum libentissime sequuntur privati, spes est fore, ut plura posthac accedant huiusmodi munera: quemadmodum eodem hoc academico anno duo generosae mentis mercatores donum haud mediocre in eundem finem obtulerunt universitati. His artibus Fridericus Guilelmus, quamquam nulla gloriae cupidine ductus, sed quod de Galba Tacitus dicit pulcherrime, famae neque incuriosus nec venditator, optimi regis nactus laudem est, et simul vera principis potitus felicitate. Non ille extrinsecus involutus est beatitatis specie, circumfusis armis equisque et exercitus apparatu, intus vero cupiditatum voces et conscientiae angor testimonium dicunt contra inanem istum splendorem, et clandestini civium gemitus omine infausto occinunt nominis claritudini: sed pectoris tranquillitas in frontis explicatur serenitate; qualiacunque dispensat fortuna, ea accipit temperanter, iis suum tribuit locum, ut neque adversis nimium contrahatur animus, nec secundis exsultet; denique in civium caritate, fide, studiis, et in regiae familiae amore et concordia requiescit securus. Effecisse mihi videor quod volui. Precemur igitur Deum Optimum Maximum, ut quem nobis nuperrime ex infirmitate restituit, principem patremque diu laetum apud nos retineat, domuique Augustae, quam gratissimo coniugio auctam hoc quoque anno gratulati sumus, postremo imperio huic potentissimo et florentissimo prospiciat et consulat propitius.

XVI.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandi d. III. m. Aug. a. MDCCCXXVIII. habita.

Quum permultae causae sint, auditores, quamobrem Fride rici Guilelmi natalicia tanta nos quotannis celebritate obeamu eaeque partim rei publicae universae communes, quod optimur Principem venerari, beneficia ab illo in civitatem collata pi animo recolere, Deo Optimo Maximo pro illius salute gratia agere et identidem vota facere pariter interest omnium, partin vero nobis propriae et peculiares, quod ille scholam hanc noi solum condidit, sed etiam insigniore fovet cura, atque ita dili git, ut suo eam nomine ornaverit nuperrime; tum una mihi ita videtur singularis, ut omissis, quos prioribus annis persecutu sum, aliis locis, in hac hodie immorari constituerim. Rem sim plicem dico, non cuiquam vestrum aut ignotam aut dubiam Nam si nihil non modo ad singulorum populorum sed ad generis humani prosperitatem adiuvandam plus confert quam patriae caritas civium insita animis, quae nulla non aetate fructus tulit uberrimos et facinora pulcherrima genuit; quid iuventutis magi stri debent antiquius habere, quam ut eos, quos formandos susce perint, illa ipsa virtute imbuant et incendant? Nimirum quos sensus puer et adolescens cum prima imbiberit disciplina, ii in timis mentis recessibus insinuati et quasi in medullis et visceri bus haerentes et firmissime et diutissime retinentur: et nescio an veteres, praesertim Graeci, flammam illam sanctissimam, qua eos constat unice arsisse, nulla re magis aluerint, quam apta educatione et institutione gymnastica et musica, quae patriis moribus, patrio cultui, patriis litteris artibusque, spreto quovis peregrini coloris fuco, assuefaceret subolem. Atqui patriae ca ritatem et principis amorem officio satisfacientis ita consociata inter populos, qui regnantur, invenimus, ut qui patriam diligat, non possit non principem diligere, et quum principis persona universam in sese civitatem contineat velut adspectabili imagine expressam, sine gratissimo illo, quo caput rei publicae ample ctimur, affectu ne patria quidem possit satis cara nostris pecto-

ribus esse. Sic eadem lege, formula, fide principi patriaeque obstringimur, non tamquam servi, quibus dominus, nulla patria, sed ut liberi, qui sicut domi patrem loco principis, ita publice regem parentis loco habent. Hi sensus, quibus apud nos optimus quisque Friderico Guilelmo devovetur, haec studia, laudatissimae illi antiquitati tantum non ignorata, ipsam patriae caritatem intendunt, nobilitant, mira dulcedine perfundunt; tantumque abest, ut quae patriae debentur, rapiat princeps, ut quidquid hic ad sese sinceri amoris vindicaverit, id vindicatum patriae sit. Nonne igitur in scholis tam superioribus quam inferioribus ad principis reverentiam et amorem dirigendi iuveniles animi sunt, et una cum litteris tradendis allaborandum est, ut illis sensibus penetrentur discipuli? Quod quamquam non hoc solo die agendum, sed quavis oblata occasione, sive disertis utendum verbis erit, sive sufficiet ea proponere, ex quibus recta consilia ultro colligere discentes possint; tamen hic dies, universo populo laetus et festus, simul est convenientissimus, quo collegium unumquodque litterarium testetur, sese gravissimi illius officii minime esse immemores. Et profecto vos, quotquot adestis, collegae suavissimi, confido vobis aeque atque ego mihi sum, probe esse conscios, quam impense Fridericum Guilelmum ob insitas ipsi divinitus virtutes, ob iustitiam et moderationem, pietatem et sapientiam, lenitatem et fortitudinem, diligatis ac suspiciatis. Intelligimus bona nostra, intelligimus quis eorum sit auctor: optimisque Friderici Guilelmi captos artibus summisque cumulatos beneficiis num quisquam nos putarit unquam commissuros, ut si vel praecipiendo vel cohortando efficere possimus, ut civium erga Regem dilectissimum amor, qui augeri vix videtur posse, confirmetur et propagetur, obliviscamur sacramenti Patri patriae dicti?

At hic iam quaerat aliquis: Quid id est tandem, quod, si nudam admonitionem exceperis, doctrina et iuvenilis institutio ad patriae et principis caritatem excitandam conferre possint? quid vero vos, qui in ipsa imperii sede collocati, cognitione propiore et quotidiano quasi usu huius regni praestantiam penitus debetis perspectam habere, praestatis, quo comprobetis id, quod vobis propositum dicitur? et quotus quisque est vestrum, qui musei parietibus inclusus et annosis incumbens voluminibus bene mereat de re publica, de patria? Quid quod litterae generi humano universo communes sunt? quod omnes fere populi

artium earundem vinculo inter se continentur? quod litterarum cultus homines retrahit ab agendo, retractos in aliena quasi terra et in imaginaria quadam notionum purarum dicione defigit, dum agricultura, mercatura, cetera negotia quaevis retinent in rationibus civitatis? Quin litteris ipsis nimium patriae studium nocet; quo quum populi haud pauci usque ad arrogantiam et superbiam efferantur, exterorum eruditione contemnenda suae praecidunt florem, contrario Germanis vitio, qui ad peregrina stupentes, popularibus obtrectant invidiose. Nonne vero philosophia, doctrinarum omnium mater et altrix, a vitae communis et a patriae commodis abhorrere videtur? Ut statim Thalen, a quo haec scientia fere initium cepit, et Anaxagoram similesque viros fuerunt iam inter veteres qui dicerent sapientes quidem fuisse sed neutiquam prudentes, et difficiles quidem admirabilesque et prorsus divinas res cognitas habuisse, sed inutiles, quod humana bona non quaererent. Neve hoc physicorum proprium esse dicas, qui primus philosophiam devocasse e caelo et in urbibus collocasse et in domos etiam introduxisse fertur, Socrates ille longe afuit a vulgari utilitate, et parum tribuens natali solo, quum cuias esset interrogaretur, est sese mundanum professus. Idem placuit Stoicis, qui tamen a morali disciplina non magis quam Socrates alieni fuerunt. Et Plato eos, qui in iudiciis aliisque conventibus publicis inde ab adolescentia volutentur, ut servos dicit eductos videri, si cum eo comparentur, quem finxerit philosophia: huic ne via quidem in forum nota est, ait, neque scit, ubi curia vel aliud rei publicae sit concilium; et re vera eius corpus tantum in civitate positum est et peregrini loco degit, anima vero spretis his rebus omnibus, ea quae supra terram sunt et infra, atque universam rerum naturam pervestigat, ad proxima sese nequaquam demittens. Neque Aristoteles contemplativam vitam non praefert activae: et utramque coniungere dixeris arduum, quod et litterae otium postulant, et negotia strenuam industriam. Immo talia non soli philosophi praecipiunt: etiam Imperatores audivimus edicentes, non decere doctos de civitatis rebus ferre suffragia. Denique litterae putantur gratissimum aliquod refugium et recessum solatii plenum offerre, ubi publicae vitae fluctibus iactatus requiescas securus, ubi nemo circulos illos Archimedeos turbet, sed velut in claustris monasteriorum ab omni miseriarum contagione delitescas ›eratus. Haec et plura huiusmodi, quae exponere supersedeo,

siquis doctus probarit, num eum putatis principi et patriae ex animo fidum et addictum fore, aut multo aliter affectum, atque Alexandrinos fortasse poetas et litteratores, ostentationis causa potissimum alitos et bene habitos a peregrinae stirpis regibus, qui metu et superstitione continebant populum in sua ipsius terra patriae expertem? Nae ista condicio mirum quantum distare a nostra mihi videtur; et quidvis prius concedendum censuerim, quam Friderico Guilelmo populoque Borussico ita alienos esse huius imperii eruditos, ut eorum doctrina a civitatis ratione plane sit segregata, neque obligatae mentes nostrae et Regi et rei publicae interiore pietatis coniunctione sint: qua pietate si careremus, ipsa haec huius diei sollemnitas non esset ultra gratiarum actionem aestimanda.

Nunc, quoniam potius artissima inter rem publicam et litteras coniunctio intercedere videtur, quam non dubito quin Rex sapientissimus, doctrinarum studiis tanta subveniens munificentia, non modo ipse perspexerit, sed ut docentes quoque et discentes ante oculos habeant, postulet: etsi vos haec fortasse melius quam ego cognita habetis, tamen quod meum est sententias vestras pro virili parte eloqui, triplici modo patriae commodis scientiam inservire moneo, ab illa nequaquam alienatam. Primum enim quae sapientes generi humano praestant, simul praestant civibus, iique simul mundi et certae rei publicae cives esse debent; deinde quum patria non tam solo quam communi sive populi sive civitatis ingenio definiatur, ad hoc excolendum plurimum confert eruditio; postremo vegeta doctrina in omnes transit rei publicae partes. Nam si vere praecepit Aristoteles, hominem esse animal civile, in civitate vita humana perficitur et absolvitur, et civitas ipsa nihil videtur aliud esse nisi naturalis generis humani condicio et status ad normam rationis formatus et compositus; itaque quisquis perfectionem mortalium et generis humani progressum adiuvare nititur, quod eruditi est sine dubio, is etiamsi nulli certae rei publicae curas suas impendat, sive mentibus illustrandis, sive moribus corrigendis, seu rebus utilibus inveniendis de omnibus hominibus bene merens simul populares promeretur. Eundem quum, si modo recte didicerit ratiocinari, non lateat ipsam hominis naturam poscere, ut genus humanum in plures divisum societates sit, ille sibi quoque quamvis mundano certam quandam civitatem debere patriam esse intelliget, ut certa cuique gens, certa familia est,

eamque sibi esse imprimis diligendam, sive natus illius civis er sive eo iure donatus. Quid quod illi ipsi, qui sese primi mur danos dixerunt, minime negligebant patriam aut rem publicam An Socrates Athenas reliquit unquam, nisi ut pro patria arm dimicaret, et semel Isthmiorum spectandorum causa? Nonn ille in clarissimo colloquio, quod cum Critone instituit in ca cere, licet Spartam Cretamque laudet, tamen profitetur, no alius sese urbis quam Athenarum, non aliarum legum quam At ticarum unquam fuisse cupidum? secundum has vivere et civi officia exsequi, his parere constituisse? nonne haec consili et vitâ, ut philosophiae sic moribus institutisque civium emen dandis dicatâ, et ipsa morte comprobavit? nonne eum patri iniuste damnatum posthac luxit et aerea statua honoravit' Num vero Stoici, quod mundani esse voluerunt, vixerunt otiose' Immo horum adversarii Epicurei. Anne M. Antoninus, qui sib ut homini mundum patriam et rem publicam esse affirmat, im perii onera detrectavit? Profecto haec exempla luculenter, si quid video, demonstrant, quae sapientia sectatores suos redda mundanos, eam non officere patriae: ut mercatura hac in re litterarum simillima lucem per omnes orbis plagas spargentium, dum commercium gentium aperit, non videtur patriae vincula dissolvere; ut Christiana fides sanctissima, quae invisibilem et caelestem piis patriam esse vult, huius terrestris caritatem non imminuit, sed potius religione obligat et instinctu divino concitat, ut patriae et principi devoveamus vitam, et pro aris et focis profundamus sanguinem.

Sed patriam ab initio mortales, in cultus humani gradu infimo collocati, proximis et perangustis agri vel oppidi, ubi quisque natus esset atque adolevisset, circumscripsere finibus, ex sede soloque familiare et peregrinum comparantes; qui quidem essent cum arvis suis rivisque et collibus dulcissima consuetudine iuncti, notisque inde ab infantia locis delectarentur, quorum adspectus neminem paullo mitiorem non grata aetatis anteactae afficit recordatione. Mox homo magis arrectus et iam rebus altioribus mente concipiendis par, rem publicam legibus suae indoli congruis temperatam sibi intelligit patriam esse; tum non amplius quasi glebae adscriptus, nationis communione metitur patriam, et primum gentis suae minoris, deinde populi plures gentes origine propinquas complexi: sicut Graeci, qui sero coeperunt communi nomine appellari, etiam tardius et vix

unquam firmiter in unum coaluerunt corpus, licet patriam rem publicam quisque egregie haberet caram; sicut eorum, quae nunc sunt, regnorum provinciae paullatim nec sine turbis bellisque ita coierunt, ut diversarum provinciarum cives communem sibi agnoscerent patriam. Et rem publicam quidem cum libertate, quae ab illa separari non potest, Graeci potissimum esse patriam indicarunt, quae quasi nullo loco inclusa etiam transferri posset: sic Phocaeenses ab Harpago obsessi et ad extrema compulsi patriam transtulerunt in Corsicam, et mox Veliam; sic Bias Prienensis Ionibus persuadere conatus est, ut relicta Ionia in Sardiniam navigarent ibique urbem constituerent, quo conservarent libertatem; sic Themistoclem Herodotus narrat de transferendis in Italiam Athenis cogitasse; sic quamcunque in diversissimis plagis terram occuparunt Graeci, Asianam, Libycam, Italicam, ea ipsis Graecia visa et nominata est. Et recte; siquidem civitas non fundis et tectis constat, sed legibus et institutis. Nimirum quando ad linguae et morum communionem, sine qua gentes in unam civitatem recte componi nunquam poterunt, accessit haec civilis iurium et officiorum, regiminis et obsequii, utilitatum et periculorum communicatio, et quaedam disciplinae publicae privataeque perpetuitas, qua naturalis confirmetur indoles; ad haec sese applicant civium studia, patriaeque caritas, quae antea solo, muto illi et inanimo adhaerebat, refertur iam ad hanc rei publicae formam, hoc populi ingenium, hanc vivam et immortalem animorum eundem agendi finem habentium in eademque consilia consentientium societatem, quae etsi ex cunctis conflatur civibus et potest etiam sine regia dignitate conservari aliquatenus, tamen optime et perfectissime uno continetur capite rei publicae, principe legitimo; et gliscit haec patriae caritas tanto magis, quanto proprium populi ingenium magis effingitur, quanto liberior subiectorum status, quanto certior civium et principis concentus. Nec vereor dicere, etiam quae bellorum eventibus et fortuita terrarum divisione alicui civitati accesserint gentes, posse his inter se vinculis conciliari, si modo aliqua, quae certe Germanicae stirpis nationibus inest universis, morum et indolis primitivae succurrat convenientia, et civitatis rectores textorium illud opus, quod iis Platonis Politicus imponit, disparia fila committendi calleant. Nonne, licet hoc regnum e variis gentibus fortuito quodammodo quasi elementorum concursu accreverit, vis imperii certum tenentis tem-

peramentum, et legum atque institutorum quaedam aequalit cui etiam paria litterarum et artium studia annumeranda su et unus qui gubernat omnes, qui omnibus aequus est, Princi dilectissimi animus, Transrhenanum et Transvistulanum, Viad que et Albis et Visurgis accolas et interiectas provincias cu ctas non arm., d voluntatum consensu, in hoc unum nom Borussicum consociat? Etiam siqui sunt (vel nulli autem v paucissimi sunt), qui leni regimini nondum satis assueverint, mox civitatis huius delinientur virtutibus; Friderici Guileli vero amore vel illos iam nunc captos iudico, qui prius a B russia erant alienissimi. Illud igitur, quod dixi, populi et civ tatis ingenium patet, magna ex parte institutione publica fo mari, quum praesertim, qui rebus gerendis praeficiuntur, publ cis scholis erudiantur fere omnes. Quapropter quamquam, in im mensum aucta cultissimarum Europae terrarum coniunctione, li terae non possunt tantum quantum olim apud Graecos peculiarei nationis indolem retinere, tamen disciplina nostra concordar cum interiori populi et rei publicae ingenio debet, idque quan tum fieri potest ad perfectionem adducere. Quod quomodo fiat non nunc exponam: neque id nisi spectatis rei publicae institu tis quibuslibet atque iis, quae ipsa per longam annorum serien secuta sit, consiliis explicari poterit: sed neminem arbitror ne gaturum, certa quadam eaque egregia indole praeditum esse imperium Borussicum, quae regibus gloriosissimis ducibus tantas nacta vires sit, ut etiam exteros permultos, quos illud a Spar tana peregrinorum reiectione longissime discedens minime ex cludit, allexerit et alliciat, atque ad naturam indigenarum quodammodo transformet. Quodsi ad illud rei publicae ingeni um, cui libertatem animorum imprimis esse congruam si non omnes certe plurimi concedent, fingemus alumnos nobis com missos, et patriae et Friderico Guilelmo praestabimus officium.

Tertio loco vegetam doctrinam in omnes dixi rei publicae partes propagari; quod quum pervulgatum sit, non persequar nisi paucis. Theologiae quidem, iurisprudentiae, medicinae, naturalis scientiae, mathematum, politicae oeconomicaeque disci plinae publicis utilitatibus consideratis nemo quid velim non perspiciet. Philosophia vero et historia tum pluribus harum doctrinarum fundamento sunt, tum praecepta et exempla pro ponunt, ad quae audita posse etiam civitatis statum et instituta emendari non est dubium; imprimis vero illae deterrimis civi-

ntium malis, impotenti tyrannorum dominationi et superstitioni insanae, qua occupare mortalium imbecillitatem callidi homines solent, adversantur suo lumine; quae praecipua causa, quare illis et pravi principes et sacerdotes imperandi avidi nullo non tempore infesti fuerunt. Postremo haec, quae vocantur, humanitatis studia et ipsa ceteras adiuvant disciplinas, longoque usu comprobatum est et Principum quoque nostrorum iudicio approbatum, illa recte tractata et iustis liberalis institutionis finibus cohibita ad erudiendos eos, quibus civitas in negotiis gerendis utitur, esse maxime accommodata. Sciens me abstineo ab aliis laudibus, quae a proximo civitatis commodo paullo videantur remotiores esse; quamquam his quoque Cicero, publicarum rerum certe haud ignarus, ne in foro quidem veritus est bonas commendare artes. Ceterum iniquus sit, qui vulgaris usus limitibus constringere litteras velit. Non modo enim quid utile futurum sit, haud facile praevideas, sed litteris sua virtus etiam sine utilitate constat, et scientia divina humanaque omnia, rerum naturae animique intimos recessus et quidquid homines gesserunt et excogitaverunt, insito mentibus veri inveniendi impetu cognitionis ipsius causa rimatur. Quod siquis multiplicis illius apparatus doctrinarum eam tantum partem in civitate retinendam censuerit, quae ipsius convenire rationibus videatur, et fundamenta litterarum, abstrusa illa nec communi usui apta, labefactaverit, nec multo aliter egerit atque Cynici, qui quod ad recte vivendum hominem sibi sufficere arbitrabantur, fuste et pera ollaque et poculo, vel pro hoc etiam concava manu contenti, quidquid supellectilis et utensilium exornat vitam et iucundiorem reddit, feruntur sprevisse. Hoc unum concedendum iudico, esse quandam quasi emortuam eruditionem vel potius eruditionis speciem et imitationem, quae quantumvis sese iactet, prorsus illiberalis et umbratica neque ingenium exerceat nec iudicium acuat, nec notionibus impleat animum, neque doceat quidquam aut recreet et oblectet, sed inanes in horrea sua constipet paleas, et in solis habitans librorum voluminibus nihil mente comprehendat. Istam igitur ut patiemur e civitate exsulare, ita sublimem et profundam doctrinam a communi quamvis alienam usu, una cum poesi et ceteris huius generis artibus illi dicemus esse decus et ornamentum. Nec metuendum est, ne nos, qui publicis fungamur muneribus, nimium alienemur a re publica, aut in hac urbe fiamus umbratici: immo illud Friderici

Guilelmi institutum, primarias scholas in principibus potissimum urbibus collocandi, praeter cetera bona etiam hoc habere videtur, quod et docentes et discentes iustae earum rerum, quae extra eruditionem sunt, mensurae adsuescunt aliquanto facilius.

Strictim percurri, quae pollicitus eram, auditores, quod sententiis, quae de commissionibus litterariis latae sunt, publice recitandis iam aliquid reciditur temporis oratori prius concessi; quae autem dixi, etsi Principis dilectissimi laudes non de industria hodie praedicavi, tamen prope omnia ex illius apta persona esse quid est quod demonstrem? Fridericus Guilelmus quidem litteras rei publicae utiles esse et vult et intelligit, sed earum dignitatem non ex hoc comparat usu: non enim ulla opinor civitas liberiorem illis cursum praescripsit aut latiorem campum concessit, quam nostra huius regis auspiciis. Hic florem doctrinarum in hoc imperio ita auxit, ut earum in Borussia stator summo appelletur iure; hic accepta a prioribus regibus emendavit et amplificavit omnia; hic tot nova addidit decora, ut maiores longe post se reliquerit; denique huius regnum tria illa optima, verum, bonum, pulchrum inter sese, et pacis artes civilisque status prosperitates cum militari virtute et potentia coniungit, pietatemque et morum probitatem civibus exemplo praecipit rex. Neque illa sunt eiusmodi, ut huic tantum aetati conducant: quemadmodum quae Fridericus Magnus fecit egregie, ad posteros propagarunt fructum, sic Fridericus Guilelmus post se rei publicae profuturus est, dum, licet ingentem sumptum exigant praesentes necessitates priorum temporum iniquitate auctae, non desinit mansura condere instituta et futurae messis semina spargere. Itaque omnium votum, cuncta civitatis commoda complexum, est huius principis salus; hic bonis cuiusvis ordinis omnibus aequus et comis, hic miseris perfugium, hic unice popularis et civilis est; denique huic eadem quae civibus laeta et tristia. Quod utinam summum numen nostris annuat precibus, ut Fridericus Guilelmus felicitate, qua est dignissimus, fruatur perpetuo, atque illi viridis et longa contingat senectus, rerum institutarum videns successum; ut illi animi tranquillitati, qua veram est sapientis beatitudinem nactus, respondeat rei publicae quies et diuturna pax, et consilia ad recreandam civitatem capta secundet; postremo ut domus Augusta universa conservetur, augeatur, imperiique haec securitas et gloria confirmata in longissimum perduret aevum.

XVII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXIX. habita.

Sapienter mihi videntur Persae, praestantissima olim gens, instituisse, auditores, ut lege ageretur in cum, qui quum posset gratiam referre bene merito, deprehenderetur ingratus, quod eundem etiam deos et parentes et patriam et amicos neglecturum arbitrantes, ingratum ab impio nihil distare iudicarent. Nam profecto animis piis, lenibus, teneris apprime dulcis est sanctissimus ille gratiarum affectus; nihil eosdem perstringit acrius, nihil in universa rerum natura atrocius et foedius est, quam homo beneficiorum immemor: ac, si modo licet gradus quosdam innoxiarum voluptatum constituere, suavissimum mihi videtur benefacere, suavissimo proximum pro benefactis gratum esse, tertium iucunditate beneficiis affici, denique hoc ipso minus gratiam persolutam accipere, quam quidem nemo repetat, qui, quod iure praecipitur, quae bene aliis fecerit, obliviscatur continuo. Atqui ex his cum quarto primum idque longe maximum Patri patriae, quem semper quidem quum tacite tum diserte, sed hodie sollemnius veneramur, datum divinitus est; nobis secundum et tertium, haec quoque eximie bona, relicta sunt: ob quae, ne nostra desideretur pietas, merito nobis hic dies unice laetus, felix, festus habetur. Quis est enim beneficentior, quis dignior gratorum civium praedicatione, quam Fridericus Guilelmus, Princeps iuxta strenuus et mitis, rei publicae aeque pace ac bello restitutor, emendator morum, stator artium, aequus iustusque omnibus, liberalis in merentes, miseris afflictisque solatium? Sed ego hoc sollemni die non modo laudatione identidem prosecutus sum eum regem, quem laudanti occinas adeo illud, quod in sophistam Herculis praeconia recitaturum haud inficete Antalcidas Spartanus dixit, „Quis autem illum vituperat?“ verum etiam, qualis Fridericus Guilelmus sit, non in sola ipsius persona spectandum censeo: in civitatis statu, condicione, institutis, consiliis, maxime illucescit regis virtus,

quod ipse rem publicam fingit et ab illa fingitur vicissim; de qua dicturus sicuti effugiam ipsam speciem assentationis, quamquam mihi inter vos, ut Principi optimo sinceris animis obstrictos, ne metuendam quidem, ita non magis recedam a Friderici Guilelmi egregiis artibus exponendis, quam qui olim Athenis publice constituti erant, ut civium bello caesorum memoriam celebrarent, visi sunt ab argumento deflexisse, ubi patriae enarrabant bona, cui fortes illi bellatores et gloriam commodumque addiderant, et suam ipsi debebant virtutem, educatione et exemplis parentum clarissimis ad res praeclare gerendas formati atque excitati. Attamen quum considero, quam varias res ac multiplices haec concludat materia, quas ne summa quidem eruditio et peritia cum uberrimis eloquentiae copiis coniuncta exhaurire aliqua ex parte queat, tantum non deterreor ab incepto: et certe licebit in exigua aliqua particula hinc delibata consistere, quae neque ab re litteraria neque a temporibus esse aliena videatur. Tempora vero quae dico? Nimirum ex quo Europae regna ab imperio unius impotenti liberata sunt, si natas in civitatibus aliquot male compositis seditiones, atque inde exortas expeditiones magis quam bella et proelia exceperis, alta pace gavisa haec orbis pars est, coepitque recreari et florere: Occidens quidem etiamnunc misere commotus et oppressus; longinquum Orientem vastat bellum, ut servitus atrocissima tolleretur, susceptum; mediae gentes securae, et praeter leves suspiciones et nescio an dicam minas nihil audetur gravius, dum pacem continet principum sapientia. Hanc temporum condicionem mihi, qui in litteris occupatus sim, spectanti oblata cogitatio est, quae quum in qualibet re publica tum in nostra civitate inter bellicum et militarem statum atque inter disciplinas artium intercedat ratio: de qua pauca et exilia disputaturum me vestrae, auditores, aura benignitatis adiuvate.

Et primum quidem, quum regnum Borussicum vulgo militare dicatur (neque ipse veritus olim sum certa quadam ratione hoc pronuntiare), mireris hoc imperium artium cultu tantum praestare, quantum praestat sine dubio. Quamquam enim bello aliquando populorum vires et ingenia quasi ex somno excitantur, et quemadmodum tempestates aërem purgant et solum fecundant, sic illa morbis rei publicae, et imprimis luxuriae, negligentiae, ignaviae medentur, quo simul meliorem litterarum tractationem provocari posse non nego; tamen non quodlibet

bellum has affert prosperitates. Nam quae bella per solos, ut ita dicam, milites, nullis acrioribus populi studiis geruntur, ea populum aeque quidem atque alia bella affligunt, non aeque erigunt: quae nec libertatem, qua litterae imprimis crescunt, vindicent rei publicae, nec latiorem orbis terrarum cognitionem afferant, neque utilibus exterorum artibus augeant indigenas, aut quibus nimium vastentur terrae, ea quomodo possint gentibus conducere, non video. Itaque bellum Peloponnesiacum et quae Macedones adversus Graecos gesserunt, minus fausta fuerunt et civitatibus et litteris; nec Romanis civilia bella boni praestiterunt quidquam; nec Ludovici Quarti decimi arma eam, quae illo regnante fuit, Gallis litterarum laudem attulerunt; istud autem triginta annorum bellum sacrum longe perniciosissimum litteras Germaniae universas funditus exstirpavit; nec bellum septem annorum magnopere excitavit ingenia; Neapolionis vero expeditiones nec Galliarum nec gentium victarum profuere litteris. Sed Medica bella aucta libertate eruditionem Graecorum mirum quantum adiuverunt; Alexander Magnus, dum Orientem aperit, rerum et humanarum et divinarum amplificavit notitiam, et Graecas litteras in barbaris sparsit oris, similiterque expeditiones cruciatae aliquid certe utilitatis praestiterunt Occidenti; et Punico bello secundo Graecorum artibus Romam invectis Musa pinnato gradu, ut ait vetus poeta, intulit se in Romuli gentem feram et bellicosam; postremo nostra memoria bellum pro libertate susceptum non solum nobilissimorum carminum copia sane dignorum, quae cum Tyrtaeo et Alcaeo componantur, ditavit Germanos, verum etiam animos a frivolis rebus avocatos ad optimum quidque et vero ad litterarum studia nova alacritate capessenda impulit. Sane alia insuper via bellum ut ceterum civitatis apparatum, ita artes augere potest, ubi id victarum gentium divitias et tributa transfert ad victorem: qua via Pericles Athenas litteris quibusvis et splendidissimis implevit operibus: at nec reprehensione hoc caret neque iniuriae vindicta, quae Athenas, ut posthac Romam et nuper Galliam, consecuta est; nec bello istum Athenarum cultum deberi, sed insito natura Atheniensibus artium optimarum studio, inde colligas, quod nec Sparta nec Roma ex similibus maioribusque rapinis comparem percepere fructum. Iam vero quae de bello diximus, eadem videntur etiam pacatae civitatis ei convenire statui, qui unice ad bellum gerendum comparatus sit: nisi quod

domestica militia ne id quidem praestat, ut animis civium ec addat stimulos, quos iis bellum populi consensu coeptum admc vet. Denique ut bellum excitet ingenia, pax ea maturare de bet; pacisque artes litterae et sunt et vocantur: haec alma pa non solum, quod praedicat Bacchylides, opes dispensat, et dul ciloquorum flores carminum gignit, iuvenesque ad gymnasia e tibias et comissationes convocat, verum etiam altiora illa disci plinarum et scientiae gymnasia et praestantissimam philosophia(musicen alit, otiumque et opes ut in mitiores conferre arte, liceat, efficit. Nonne enim, ut summi poetae Britannici verbi: utar, per bella, quemadmodum arva, prata, arbusta nostra vi tiosa germinatione degenerant, sic iuventus artes dedocta effe ratur? Num vero pecunia omni in belli necessitates conversa artibus principes tantam possunt curam impendere, quantam Rex optimus, postquam diuturnis bellis pax laetissima successit, in magnificis per universum imperium litterarum et artium institutis vel condendis vel instruendis posuit?

Enimvero imperium Borussicum, quod olim fortasse ob magnum mercenariorum numerum potuit militari potentia unice nixum videri, haud magis militare est, quam unumquodque esse debet, neque eatenus, quatenus id vitiosum habetur. Nam quum unamquamque civitatem paullo perfectiorem tres potissimum constituant ordines, qui ea quaerat, quae ad victum cultumque necessaria, commoda, iucunda sint, qui ceteros erudiat et doceat, qui armorum vi tueatur parta, et in horum concordia et concentu posita rei publicae salus sit; merito imperfecta et vitiosa videbitur ea civitas, in qua unus ex his ordinibus aut minus excultus sit aut prorsus neglectus vel oppressus iaceat, unusque reliquos ita vicerit, ut in hunc cuncta vergant, hic in reliquos dominetur. Ita civitas alia mercatoria, alia sacerdotalis, alia militaris iudicanda est, prout quaeque pars rei publicae nimium emineat: sic, ut militaris exempla absolutissima, qualia nostra aetate vix nisi inter barbaros reppereris, ex antiquis petam rebus publicis, quae licet tam exiguae fuerint, ut una essent urbe vel paucarum communione circumscriptae, tamen clarissimas variarum, quas civitas induit, formarum imagines offerunt, et ob hoc ipsum, quod simpliciores fuerunt, singula civitatis elementa exhibent distinctiora; sic inquam Sparta et Creta prope unice militares fuerunt, quod optimatium exercitus praepotens ceteris imperabat ut servis, agros colebant

clientes dure ut plurimum habiti, atque ut agriculturae opus quamvis utile et delectabile, sic mercatura, opificia, reliquus quaestus in nullo erant honore, litterae vero et artes, exceptis gymnicis et musica et siqua alia numinis colendi causa tractanda visa, nimium negligebantur, civesque, quod eximie perspexit Plato, non ad virtutem universam, cuius partibus omnibus perfusa esse res publica debet, sed ad solam fere fortitudinem formabantur; sic Roma labens, ex quo penes Praetorium vis fuit imperii, militaris regni specimen miserabile extitit. Sed nostra civitas numne paret militibus? num maior apud nos quam in aliis regnis pars reditnum in exercitum impenditur? num reliquis rei publicae ordinibus obest exercitus aut numero aut auctoritate aut praerogativa sive sumpta sive concessa? Nonne rei rusticae optimis institutis, levanda agricolarum condicione, agrorumque imprimis divisione egregie provisum est? nonne opificia laxandis collegiorum vinculis, instituendis scholis, suo huic quoque ordini honore habendo, denique omni genere subsidiorum adiuvantur? nonne vectigalia et portoria ita constituta, ea cum exteris pacta conventa sunt, ut quantum fieri potest, etiam mercantibus et negotiatoribus prospiciatur? Quid quod tantum abest, ut solis armorum viribus locum tutari hoc regnum studeat, ut quum nullos proprios militiae socios habeamus, sed universorum Germanorum foederi adscripti ipsi simus, vectigalium tamen habeamus socios communi nobiscum utilitate libere coniunctos? Quid autem dicam de artibus et disciplinis? Num ulla est civitas non modo in Germania sed in universa Europa, quae in illas pro opum et finium amplitudine tantos sumptus fecerit et faciat quam nostra? quae pari cura et liberalitate omne scholarum genus, et ludos inferiores, qui paganae et plebeiae multitudini aliquatenus instituendae destinati sunt, et gymnasia sive lycea, in quibus ingenuae eruditionis rudimenta traduntur, et universitates litterarias, quae altioribus studiis initiant discentes, colit et fovet; quae divini numinis cultum non quo populus libentius serviat, sed quo ad pietatem, ad probitatem, ad lenitatem morum imbuatur, tuetur ita, ut sacerdotibus et verbi divini ministris nec detrahantur quae concedi fas est et aequum, nec damnosa concedatur potentia; quae quidquid ad formandas mentes, ad boni pulchrique sensum excolendum, ad eruditionem latius propagandam idoneum est, magnis impensis conquirit et communi usui proponit; quae iam nunc

Friderico Guilelmo efficiente elegantissimis artificum operibus es ornatissima et in dies fit ornatior. Sed haec quod aliquotie ex hoc suggestu dedita opera uberius persecutus sum, memo mei consilii tribus hodie verbis significasse satis habeo: illud vero admirabile, quod tantus iam apud nos bonarum artium flo subnatus est, ut sint qui metuant, ne nimium docti fiamus, ni mium ingenuis tribuatur litteris, ac puerilis et iuvenilis institu tio parum ad vitae dirigatur usus. Sane quidquid nimium est recte dicitur in vitium verti: et quamquam populus nunquam videtur nimis erudiri posse, nec latius quam par est recta scien tia disseminari; tamen sunt quae adversus nimium litterarum cultum, ubiubi provenerit (in hac enim re publica, opinor, non dum provenit), dici non inepte possint. Nam primum ut popu lum esse cultissimum longe praestat, ita litteratorum, qui artem factitent, ordo iustum numerum excedere haud minus quam militum potest, et plures quam pro civitatis commodo possunt ad litterarum studia deferri: quodsi nimium multi artes quae stuarias et negotia spernent, praestantissima ingenia otio litte rario unice delectabuntur, etiam qui modico aut nullo ingenio praediti sint, in litteris vitam consumere, his victum parare constituent; dicas ab agendo nimium revocari cives, et veluti aliquam Indorum vel Aegyptiorum sacerdotalem stirpem con templationi totam deditam reddi imbelles: quemadmodum vide mus litteratores umbraticos rebus gerendis minime aptos, timi dosque et non modo manu, verum ne lingua quidem, sed solo calamo promptos: ipsas quin etiam litteras in vilem dicas quae stum verti, et semidoctorum misere degentium nugis, ac volu minum digitis magis compositorum quam alta mente conce ptorum mole corrumpi disciplinas. Deinde etsi in litteris nihil parvum est, ac ne minima quidem negligi sine periculo erroris possunt, tamen alia aliis sunt maiora; quodsi iis, quae minora sunt, plus tribuitur, quod haud raro accidit in tractandis litte ris, hac quoque ex parte nimium fit, idque ita ut simul parum neque operae pretium efficiatur, quod summae res et notiones universae posthabentur minutiis, et plurimi in singulis quibus dam rebus unice occupati non iam ingentem disciplinae suae orbem illum, quantum fieri per mortalium imbecillitatem potest, magno comprehendere animo student: quin sunt, qui etiam in litteris, ut in opificum officinis, distributione operae praestandae lurimum doceant profici: quod ut concedam de colligenda

scientiae materia rectissime dici, ita dubito, an scientiae ipsi accommodari non possit: utut est, certe nimium dividi doctas operas posse quis est qui negaverit? Postremo in ipsa scholastica institutione iustus potest modus migrari. Quae quum, mea quidem sententia, eum sibi finem debeat propositum habere, ut discipulos non ad certam quandam sive negotiorum sive litterarum partem exercendam condocefaciat, sed liberali formet eruditione, aptosque reddat ei, quam quisque deinceps pro indolis ratione elegerit, disciplinae cum fructu capessendae, simul ut eos iis imbuat studiis, quae, ut ait Cicero, adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent: peccabit praeceptor, qui vel recondita doctrinae alicuius, in qua ipse studiose versetur, adyta recludere tironibus constituerit, ad quae penetrare illi nisi multis aliis rebus posthabitis nequeant, vel eos oneret eo apparatu iisque artis quasi instrumentis, quibus non opus sit ad liberalem institutionem, sed ad tractandam et factitandam artem ipsam. Sed haec nimia, ubi in corpore litterarum quasi succi plenissimo nata fuerint, facile reseces: difficilius succureris macie et torpore languentibus. Neve deside vita enervetur populus, fortissimo cuique barbaro praeda, exercet illum militia nec sinit ignavum fieri. Itaque ut in veteribus rebus publicis, prudentissime in hac civitate institutum est, ut civis et miles idem sit, atque universi disciplina castrorum probe subigantur; ut, quae omnium mater est patria, eandem omnes defendere parati sint: quo fit, ut imperium hoc ea, qua debet, ratione militare sit: simul, qui copiis praeficiuntur, ita institutos doctrinis videas, ut quemadmodum docti adolescentes militant, sic militum duces haud pauci reperiantur eruditissimi, et perfecta sapientiae ac fortitudinis concordia simus insignes. Quodsi cum Demosthene civitatibus certam quandam et propriam fortunam tribuere licet, non abnuentibus credo philosophis, haec mihi huius rei publicae videtur bonâ prae aliis fortuna esse, ut modicis praedita opibus, aliena a luxu, ingenii et armorum excellat viribus: sed ut arva alternis annis frugibus aliis consita fertiliora sunt, sic illa per intervalla modo armis modo eruditione magis claruit, donec confirmata utriusque virtutis consortio est. Nam ut priores regiae domus principes omittam, Fridericum Guilelmum Magnum Electorem, etsi litteris quoque academia Tuiscoburgensi condenda benignus fuit, tamen magis nobilitavit bellica gloria;

Fridericus Tertius, primus deinceps rex, splendidissime adiuvi bonas artes; huius filius exercitui deditus: at magnus ille Fri dericus utramque cepit lauream: et Fridericus Guilelmus, quer nobis divinitus datum hodie grata profitemur mente, postquar adversam non huius imperii, sed orbis terrarum fortunam, qua hoc quoque pro rata parte corripuerat, superavit, et bello resti tuit regnum et pacis artibus exornavit egregie: ipse pariter mi litaris et civilis, fortis mitisque, ipse temperans et moderatus et eodem temperamento variis rei publicae moderans partibus parcusque simul nec luxuriae deditus, videtur mihi illam, quan dixi, imperii Borussici fortunam sibi totam demonstrare conge nitam. Neque ille gloriae cupiditate quidquam facit; itaque quid quid artibus praestat, fit sine iactatione, qua haud pauci du cuntur principes. Quod ubi considero, vix audeo unum attin gere, quod tamen mihi ad argumentum absolvendum superesse videtur, ex bellis an ex litteris maior civitati accedat fama. Et de hac quidem re non multum dubito. Nam rebus gestis et magnis facinoribus minora iudico et carmina et pictorum ac sta tuariorum opera et domestica doctorum studia inventaque quam vis eximia; nihil est generosius, quam fortis vir anima redimere victoriam promptus. Cui sententiae suffragatorem habeo Plu tarchum, hominem in paucis eruditum eumque etiam in re pu blica aliquatenus spectatum. Quum enim nulla civitas artibus et disciplinis esset illustrior quam Athenae, simul illae ut com merciorum frequentia ita potentia militari sic instructae, ut ex tribus, quae supra diximus, vitae generibus essent aptissime mixtae; tamen quaerendum Chaeronensis philosophus putavit, bellone an sapientia clariores Athenienses essent, neque ille veritus est bellicae Atheniensium virtuti potiorem vindicare lau dem, non ausus expeditionibus, proeliis, laboribus cum summa audacia et constantia toleratis, tropaeisque Marathoniis, Pla taeensibus, Salaminiis praeferre signa marmorea, tabulas pictas, tragicas comicasque commissiones, dithyramborum furorem, phi losophorum sermones, oratorum vim et elegantiam. Neque im merito in fine commentarioli sophisticam et minutiis adhibitam Isocratis curam spernere prae Chabria et Iphicrate videtur, quod is, dum hi victoriis Graeciam conciliant patriae, domi deses cin cinnos orationis torqueret, et nonam longissimae vitae partem, ut ait Chaeronensis philosophus, hoc est prope tres Olympia des, quot annis Hecatompedum et Propylaea exstruxerit Pericles,

consumeret in retractandis Panegyrici verbis, magis quam miles sonum armorum et phalangum concursum et vulnera, metuens ille ne vocalem cum vocali collideret, vel membrum, quod dicunt, aequale una syllaba proferret brevius. Attamen litterae quoque et artes latissime splendent, diutissime perdurant; illis non minus quam armis capiuntur populi et quasi in dicionem rediguntur; et fluxa armorum gloria nec mansura, nisi suo illi praeconio scriptores, poetae, sculptores, pictores addiderint perennitatem. Non tanta esset veterum ducum claritas, nisi eorum facta egregii auctores exaequassent dictis; non Atheniensium urbs Spartae et ipsi Romae, quae per duces suos et copias multo gessit maiora, praeferretur, nisi illa orbis terrarum extitisset magistra; non Augusteum saeculum tantopere inclaruisset, nisi litterarum accessisset flos laetissimus; non Ptolemaeorum regnum celebrius esset Seleucidis aeque potentibus, nisi illi magis favissent doctis: Mediceae stirpi artes litteraeque maiorem laudem attulerunt quam res gestae; neque armis sed eruditione qualicunque inde a Ludovico Quarto decimo Galli vicerunt Europam: Graecique olim litteris subegerunt orbem, suamque linguam in Italiam et Gallias, ultra columnas Herculis et ad Cimmerium Bosporum, in Persidem, ad Syros, in Aegyptum et Libyam et Aethiopiam propagarunt, pridemque exstinctis eorum rebus publicis superfuerunt ingeniorum lumina, ex quibus optimorum studiorum facem accenderunt noviciae gentes; serisque illorum posteris, ut olim a Romanis, ita nunc quoque a bonis omnibus ob maiorum haec de nobis ipsis merita habetur honos, et optima quaeque apprecamur. Quin in Germania ipsa exigua urbs, quod summa patriarum potissimum litterarum decora eximia benevolentia et amicitia fovit principalis domus, haud mediocrem nacta famam est: quam domum inter cetera exempla promptiore nomino voluntate, quod ex illa duabus generosissimis matribus familias regia aucta gens est, quarum altera iam subolem peperit stirpi, altera egregiis civium studiis nuperrime hanc urbem intravit nova nupta. Et harum quidem matronarum avo contigerat raro fortunae beneficio, ut in eius aetatem incideret sublimium ingeniorum proventus, quae adolescentes Germanorum litteras maturarent et perficerent: quae quum Friderico Magno defuissent iuveni, senex demum futuras auguratus est vernaculae eruditionis virtutes. Fridericum Guilelmum vero optamus ut nunquam deficiant, qui domi militiaeque satisfacere magnanimis illius consiliis possint,

et ipsius auspiciis rem publicam optimis rebus augeant. Q quum bello non delectetur quamvis strenuus, neque eo nisi tutandam utatur patriam, contingat illi grata pax, artibus disciplinis florentissima, ut ille a prioribus requiescat aerumn et fruatur civium amore ac prosperitatibus, quarum auctor ip est, fruatur domestica felicitate, qua illum imprimis beari scim omnes, ac nuper, quum filia ex iuncti Occidentis et Orient solio in natalem redux domum patri dilectissimo in aliquod redd retur tempus, non sine communi urbis laetitia vidimus. Deniqu faxit Deus Optimus Maximus, ut Friderico Guilelmo eveniat ea omnia, quae ipsius voluntati et civium votis et bonoru omnium precibus, postremo incrementis rei publicae et magn tudini domus Augustae respondeant maxime.

XVIII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXX. habita.

Qui dies Regem optimum et nemini non carissimum huic re publicae dedit, Princeps regni heres serenissime, auditores omniu ordinum ornatissimi, is dies festus eodem pietatis affectu a populo universo quotannis obitur, quod Fridericus Guilelmus eadem perpetuo caritate prosequitur cives, eadem constantia rei publicae salutem tuetur et confirmat, pacem bona quaelibet dispensantem, publicas domesticasque opes, vires exercitus, florem artium et litterarum, denique communes omnium, privatas singulorum utilitates quasvis. Ita Rex consiliis stabilibus, certa manu retinens habenas, rem Borussicam aequabili ducit cursu. Quodsi nihil magnopere novorum incrementorum accederet civitati, nihil singulare et prae ceteris eximium mentes nostras adverteret, ipse ordinarius regiae bonitatis tenor sufficeret alendis civium studiis. Verum illa, quam dixi, aequabilitas, Principis insita animo et ex Principe in rem publicam propagata, non habet quidquam ignavi: quietem comitatur motus; quo temperamento efficitur, ut seminibus paullatim auctis optimum quidque tranquillo maturetur profectu, maturatum sua praestantia in se prae

ceteris convertat oculos, novaque inde gratiarum Principi debitarum nutrimenta affundantur nostris pectoribus. Iam quo anno Friderici Guilelmi cura vel benignitate magnum opus si non perfectum, certe profligatum fuerit, quid magis nobis considerandum veniat quam illud ipsum? Nimirum ut unus vultus multis oppositus speculis in singulis apparet integer, ita Principis cuncta gubernantis virtus eadem in diversis rebus indivisa conspicitur; iuvabitque eam in ea potissimum re spectare, quae quoque tempore sit quasi praesentior. Sane artes et disciplinae etiam ante novissimam istam et funestam rei publicae stragem a Borussicis regibus praeclare altae: sed Fridericus Guilelmus maiora posthac molitus vix dum recreata patria in sua urbe litteras, prius in academia et gymnasiis latentiores, in universitatis huius lucem eduxit, et in palatio collocavit suae domui proximo; mox restituta regni potentia artibus thesaurum condidit, insigne illud Museum, arci regiae, sedi imperii, ex adverso. En litterae et artes inter principalis aulae decora splendidissime positae! Et nostrae quidem res pridem vigent; superarunt cum reliquis civitatis partibus atrocia et gloriosa bella, quorum nos fuisse participes testatur monimentum in hac curia conspicuum, et accreverunt in civium frequentiam ultra exspectationem: artibus vero etsi schola egregia iam pridem constituta est, praeclarisque illae operibus iam probatae sunt, tamen illis cumulum addit novum hoc institutum subsidiorum copia et varietatè. Neque vero litterarum nihil interest florere artes; quippe utraeque ortu quasi consanguineae ad eundem fere pergunt ultimum finem via quamvis diversa, multumque alterae debent alteris: ut quae civitas alteris faveat, alteras negligat, satis consulere neutris videatur: utrisque demum coniungendis humanum consummaveris cultum. Quam utrarumque cognationem exponere quum neque ab huius diei sollemnitate, Rege utrasque paribus fovente curis, neque ab hoc loco nostraque persona alienum videatur, liceat mihi in hac re paullulum immorari, non ut splendidissimum argumentum subtili et quae philosopho sufficiat disputatione perquiram, sed ut maioribus quamvis impar, summa rerum non tam exhaurienda quam delibanda, oratorii memor officii aliquid conferam probabile.

Doctrinarum et artium, nisi inanes hos ingenii humani lusus dixeris, in corporea sensibusque subiecta rerum natura perlustranda et exprimenda unice occupati, non alium video ulti-

mum cardinem, quam divinum quiddam, ex quo proficiscantur quod explicent, ad quod redeant. Nonne autem non solum apud Orientis nationes, incunabula eruditionis vix unquam egressas verum etiam apud Graecos, qui purioris scientiae et politioris artis auctores extiterunt, et apud ipsos Christianos populos, quo tempore litteras artesque colere coeperunt, hae, veluti dea genitrix ex undis marinis, ex profundo illo, quem nullo metiare perpendiculo, religionum emerserunt fonte? Nonne etiamnunc singuli, qui ad litteras artesque recte accedunt, divino instinctu, sine quo nihil egregium inchoatur et perficitur, ut primo impelluntur momento? Hic est mirus ille rerum altissimarum, quas nondum noris, sed divinaveris, indefesso studio quaerendarum amor, veri pulchrique inveniendi, scientiae artisque dux et parens. Hoc ducta ratio mortalibus innata, quod primum non sine admiratione et laeto numinis horrore augurata est, cogitatione et notionum vinculis comprehendere nititur; ipsaque divinae particula aurae, quoniam simile simili cognoscitur, in universa natura et in rebus gestis summam mentem agnoscit cuncta permeantem, in qua sola inest verum. In quotquot vero partes scientia dispertitur et descendit, quidquid et qualecunque tractat, sive abstrusa universi principia, formas et vires rerum naturalium, validi vel aegroti corporis vitam et constitutionem, seu animi humani recessus legesque cogitandi et sentiendi, sive numeros et figuras spatio expressas, sive sermonis et linguarum causas reconditas, res sacras et publicas, moresque et iura, quaeque domi forisque gesta sunt, et quae sunt aliae res humanae: quarum rerum omnium orbem latissimum quum universitates litterariae complecti soleant, nostra praecipue, quam multiplices et variae disciplinae sint, docentium et scholarum, quas habent, numero monstrat vel minus attentis: denique quaecunque opera ab eruditis in rebus adspectabilibus, promiscuis et exilibus, et quae ad certas rationes adigi posse non videantur, cognoscendis ponitur sedulo; tamen omnia debemus ad mentis notiones revocare, atque etiam in iis, quae sub sensus cadunt, divini humanique intellectus impressa rimari vestigia, maiora quidem pluris aestimantes, sed ne minora quidem, quae saepe maioribus inexspectatam lucem afferunt, eo usque pertaesi, ut nolimus etiam litteras suos habere rhyparographos et catatexitechnos et minutissimorum opusculorum fabricatores, quales Myrmecides et Callicrates sculptores olim fuerunt, non sine auctore natura,

quae et ipsa sibi in subtilissimis rebus quibusque diligentissime struendis placet. Sed ne diutius in litteris immorer, artes quid efficere conantur? Simulacris, inquit, quae fingunt, pectora nostra movent. At non movent tantum; etiam erigunt et sensibus nobilissimis implent, qui nos ex his vitae quotidianae sordibus traducant ad aliquid, quod ultra humanum assurgit, supra mortalia collocatum est, idque illis ipsis simulacris adumbratum, revelatumque simul et tectum, materia quasi pellucida ad aeternum illud pulchrum, quod latet intus, aditum praebente iis, quorum visus non sola terrestrium rerum contemplatione hebetatus: quod impenetrabile rationibus nihilo minus concipitur mentis imaginatione. Perfectus quippe in quoque genere artifex, poetica pulchrum gignendi praeditus virtute, quam omnibus artibus communem esse et Plato praecepit, et Simonides Ceus pridem significarat, ubi picturam esse poesim silentem, et poesim picturam loquentem pronuntiavit, innatam cuique rei vitalem immortalemque speciem, ideam vocant philosophi, illa quam dixi imaginatione, vix ullo alio adiumento, comprehensam repraesentat opere, in quo anima mirabili modo cum iis, quae sensibus percipias, conflata est: sive is verbis et sententiis carmine contextis, sive sonorum numeris et concentu, motus figuris et gestibus, sive statuariae, sculpturae, caelaturae, aut lineamentorum luminisque et umbrae et colorum utitur subsidiis, ut animae induat corpus. Quae quidem anima, rerum naturae gubernatrix, nusquam apparet excellentius, quam in hominis forma et facie, divini numinis et aede et imagine; huius e vultu, quidquid divinae mentis per universitatem rerum diffusum est, resplendet collectum: igitur in humana potissimum forma exprimenda sculptura et pictura, quas pro consilii nostri ratione maxime spectare licebit, illud consequitur, quod propositum artibus. Atqui non naturales vulgaresque formas imitari serviliter propositum est, sed in praeclaris formis ostendere id, quo nihil praeclarius, animum et mentem, quae externam penetret speciem: mens namque est pulchrum ipsum, inhabitans et collustrans haec terrestria, quae pulchra vocantur, sicut animus corpus nostrum inhabitat; mens, inquam, est illud, quod Mantinensis Diotima adspectavit, admirabilis indolis pulchrum, cuius causa, qui pulchritudinis amore ductus est, priores huius cognoscendae labores omnes suscepit, quod neque fit neque interit, nec crescit nec tabe afficitur, sed perenne et sempiternum est, per se ipsum

cum semet ipso uniforme et simplex, purum et integrum, cuius communicatione pulchra sunt quaecunque pulchra videntur, sed ita, ut his nascentibus vel pereuntibus ipsum mortali contagione maneat intemeratum. Itaque scientia et ars, origine propinquae, quamquam diversis viribus, diversa actione et opera utentes, et in rebus specie diversissimis occupatae, tamen re vera suapte similes natura, ambae caeleste et aeternum in terrestribus et perituris exemplis intueri, ab illo haec repetere, illi immergere animos hominum student; quo studio ardentissimis succurrunt mortalium desideriis, et ipsius beatitatis ministrae ad summum perducunt bonum, quod in absoluta pulchri verique et modi seu mensurae coniunctione non sine causa quaerere philosophus videtur. Immo ne vires quidem, quibus utraque agit, ita sibi oppositae sunt, ut in scientia imaginationi, in arte rationi nullus sit locus; sed illa illi quoque necessaria est, ne formularum macie enicetur scientia, haec artibus, ut artifex, dum opus facit, simul quid et quomodo faciat, intelligat. Verum hic obloquatur aliquis: Tu quidem Platonicis imbutus praeceptis sublime quiddam artibus propositum dicis; anne oblitus, quantopere idem sapiens, qui notionum purissimarum scientiam unice amplexus est, artium reprehendat ingenium, quod totae contineantur imitatione, eaque rerum saepe non optimarum; quod simulacra simulacrorum, umbras umbrarum reddant: quod poetae quid fingant nescii, aliena vi quasi lapide Magnesio ducantur sine ratione? Nonne inveteratam et perpetuam philosophiae et poesis dissensionem iactat? divinum illum Homerum, Graeciae magistrum, cui ipse Phidias Iovis Olympii debuit imaginem, multas ob causas, et maxime quod animi motus nimios exemplis clarissimis, etiam deorum, commendatos insinuet hominibus, cum universa comoedia et tragoedia, qua tamen nihil magnificentius ars proferre potest, vituperat, coronisque ornatum et unguentis delibutum ex perfecta expellit civitate? Profecto vir in aestimando pulchro haud ultimus, ex quo ipse Winkelmannus pendet, haec et talia non iecit temere; et video Fridericum Schillerum, poetam quamvis egregium, aliquatenus similia, quamquam pro saeculi indole aliter adornata, monuisse olim in commentatione, quam scripsit de necessariis finibus usui formarum pulchrarum constituendis. Nam si artes solis sensibus, libidini, cupiditatibus adulandis, oblectandis oculis, titillandis auribus inserviunt, quod faciunt haud raro; opprimunt magis quam erigunt mentem: ne-

ne ego infitias iverim, Homericam poesim, in rebus sub sensus adentibus luculenter exhibendis animique motibus verissime lescribendis versantem, contulisse multum, ut Graecorum animi, ui eo sponte inclinarent, delectarentur externa specie magis nagisque, et alerentur cupidines, quibus obnoxium mortale genus. uo incommodo quum acrius affectus sit Plato, praesens melusque inter illos; posteri mirantur iudicium, cuius causas temoribus et condicione ab illa aetate remotissimi iam non seniunt ipsi: plane ut mirantur, quid sit, quod ille in civili disciplina faveat optimatibus, populari infensus imperio sit, quippe on iam pressi istis malis, quibus tum haud dubie afflictabantur ptimi. Idem tamen concesserim haud gravate, sapientem in hilosophia totum occupatum, et in pura illa et simplicia rerum xemplaria, quae una ratione comprehendantur, intuenda conversum, quae nollet in aliis spectari imaginibus, nisi quas ipse universi genitor effinxisset, rigidiorem se artibus praebuisse censorem. Sed ille philosophus, qui altissimam cognitionem cum summa pietate et incomparabili venustate consociat, non Phidiae Iovem et Minervam spreverit; non sprevisset Virginis deiparae sanctitatem, ex Urbinatis mente in tabulam transfusae. Rursum, ut minus quam Plato iniquus artibus sis, in iis colendis et suspiciendis posse usque in vitium procedi, non neges. Nam qui imaginationi, artium matri et proli, plus tribuit quam rationi, in agendo facile ab recta aberrat via; ignava insuper simulacrorum veneratio iis potissimum caerimoniis adhaeret, quae scientiam auctoritati, veri quaerendi studium levi credulitati subiicere amant; ita ipsarum artium adminiculis superstitio animis obduxit nebulas. Nunc has dispulit ratio; cuius luce qui illustrati sunt, quidni praesentem in imaginibus Deum vereantur ecuri? Num revellenda et frangenda signa, quod fuerunt, qui is abuterentur? Igitur etiam sapientia exsulare debebit, quod n sophisticen versa est. Nos lactemur potius, quod Princeps ermana sanctimonia et pietate insignis horridam istam et tacricam tristitiam, cui religio est tabulam pictam intueri, asperatur aeque ac barbarum, quod nonnullos invasit, qui sese ipsi ios appellant, scientiae fastidium, et templis quoque sua restituere ornamenta coepit. Unum hucusque locum transmisi, qui st de animi motibus. Quid enim? Quum illos ut poesis, ita mnis ars repraesentare imprimis debeat, quod indiget actione, tque in actione quavis animi plus minus commoventur, in com-

motione indoles naturae humanae universa intimique recessu aperiuntur: si ars in sola cupiditatum, et deteriorum potissimum imitatione consistit, easque etiam in spectantium vel audientium praecordiis non minuit sed auget et intendit, quod fere sumpsit Plato; haerere istud opprobrium nec dilui posse videtur. At non hoc quidem verum iudico; ars potius, dum excitatas et commotas exprimit cupiditates, partim aliquid in iis maius spectat mentem sine dubio, quae illarum vi et virtute peculiari agat partim delinit eas et mitigat in audiente vel spectante. Haec est, ni fallor, decantata illa animi perturbationum purgatio quam poesi et musicae tribuit Aristoteles, Platonicis opinor placitis occurrens obscurioribus verbis: cuius rei uberiorem explanationem ab ipso promissam etsi nobis invidit fortuna, tamen e eius Politicis intelligas, ex illius sententia, ut qui sacro furore agitentur, sacris item canticis usi sedantur et componuntur, medicinam et purgationem nacti, ita qui formidolosi vel miseri cordes, aut generatim animi perturbationibus sint obnoxii, gustatis spectando his commotionibus levari cum voluptate et purgari, iis aliqua ex parte exsolutos. Quod quamquam pluribus modis fieri potest, neque Aristoteles aliud spectasse videtur nisi remedium ex homoeopathia, quae proprie ad animi commotiones referatur: saltem concedetis, auditores, sive tragoediis seu picturis vel sculptura, quam posse ad tragoediam accedere proximum Nioba et liberi monstrant, misericordiam movent ac metum, artifices perfectos simul efficere, ne miseratione et horrore spectantium opprimantur animi, sed ut, dum metuis, dum miseraris idem sentias, nostrae huius misericordiae et timoris mollitie superiores esse illos, qui mala perpessi sunt, heroes, altaque mente et invicta tolerantes evasisse fluxae huius vitae casus, sicut divinus generis humani servator, in quo fingendo iure suo multum elaborarunt artifices, mortis superavit dolores, nec cum cupiditatibus et per ipsas interisse nisi id, quod illi ex mortali traxerant contagio, divina aura eo reduce, unde erat profecta. Haec minimane perturbationum fuerit purgatio? Nonne potius hac quoque sua indole morali ars aemulatur scientiam, quae cupiditates moderans et compescens, quid appetendum aut fugiendum, quid ferendum aut miserandum sit, docet? Denique artis et scientiae dignitas est eadem, quod utraque in sese suum habet finem, neque ex vulgari aestimatur utilitate. Quod quum de artificum operibus nemo non concedat: quis enim postulavit

unquam vel postulat, ut Polycliti aut Lysippi statua, Raphaelis Sanctii vel Antonii Corrigini tabula alium usum praestet nisi ut pulchritudine sua placeat? tamen litteris saepe et ab iis potissimum, qui civitates regunt, hoc audimus summa iniuria exprobrari, quod nimium versentur in rebus, quae nullum vitae usum praebeant. At ego quod menti formandae et erigendae sua natura utile est, verum et pulchrum, id generi humano arbitror esse utilissimum: quodsi litterae et artes ingenuae simul vitae necessitatibus rectius et facilius comparandis, opificiis adiuvandis, rei publicae domesticaeque melius et lautius instruendae inserviunt commode; quod et ipsum quin praestent nemo dubitat: non hoc ab illis ut debitum exigendum esse iudico, sed sponte natum grato accipiendum animo; sicuti doctrinae et artes civitatibus, principibus, privatis, a quibus adiutae sunt, nunquam non studuerunt meritam referre gratiam. Haud aliter censere etiam excellentissimos viros, quos Friderici Guilelmi integrum iudicium rebus nostris praeposuit, quis est nostrum, qui non laetetur impense?

Iam artibus non minus laetamur eadem, vel quod magno pretio comparanda fuerunt subsidia et pulcherrimas res ornatissime collocari decet, etiam insigniore liberalitate ac splendore subventum esse a Rege munificentissimo. Hunc ubi nomino, maiorum laudibus nihil detractum volo; scimus partem supellectilis haud exiguam a prioribus domus Brandenburgicae principibus, Ioachimo Secundo, Friderico Guilelmo Magno Electore, Fridericis Primo et Secundo, et a Regis clementissimi patre, tribus prope saeculis privato collectam sumptu: quas res non enumero singillatim, quod oratoris munus distare a nomenclatura iudico: plurimas certe copias huic debemus Regi, cui hic dies sacer est; qui etiamsi non tot et tam praeclara addidisset opera, tamen palmam obtinere dicendus esset, quod sparsa palatiorum et villarum ornamenta composuit in unum, communi consulens usui privata facit publica. Quae dum congeruntur, intellectum est, domum quamvis spatiosam ne selecto quidem cum cura apparatui sufficere universo: unde praeter gypseas formas, egregium studiis adiumentum, aliaque separatim conservanda, Aegyptiae antiquitatis monimenta horto urbano haud procul adsito relicta sunt, ubi quidquid gens sollers et laboriosa domestico et quotidiano cultui adornando fabricata est, velut orco ereptum una cum vetustissimis deorum simulacris

conspicimus, nondum illis Graeco more absoluta humanae forma pulchritudine expressis, sed duris, rigidis, torvis, ut essent significantiora etiam monstruosis. Sed in campo militaribus olim exercitiis et paganorum turba conculcato, qui nunc arboribus consitus colitur in horti speciem, mox eum aqua saliente eximiae altitudinis irrigatura, ubi patera quoque illa grandis ex indigena saxo caesa et perpolita ponetur, solum flumini ereptum occupat magnifica artium domus, sublimi porticu duodeviginti columnarum ingentium surgens in altum, decoris conspicua etiam acroteriis. Ima pretiosam continebunt antiquam novamque monetam, quae plasticae artis universae decursum et vicissitudines suis refert imaguiculis, dactyliothecam ectypis et descriptionibus, ac vel uno Ioannis Winkelmanni nomine celebratissimam; continent uberrimam vasorum pictorum admodum elegantium collectionem ex sepulcrorum tenebris luci redditorum; non dico de aereis et argillaceis varii generis sigillis, lucernis, aliis multiplicibus veterum utensilibus. Ubi ascenderis, tholum ingredere audaci arcuatione superantem tectum, viginti cinctam columnis factitii lapidis, inter quas, utut lucent, marmorea *deorum* simulacra, situ vetustatis quamvis attrita, tamen sua fulgent praestantia; adiacent reliqua conclavia, versicoloribus suffulta columnis eiusdem materiae, deorum et heroum signa hominumque statuas ostentantia cum hermis et thoracibus, anaglyptis ad parietes apte dispositis: donec in recessu ad unum, quod illatum est, novicium perveneris opus, laureatum Europae victorem, qui nisi magnis Friderici Guilelmi consiliis, et nostris ac sociorum occubuisset armis, non staret haec domus, neque impleta esset decoribus, quae avexerat. Nunc antiquata ingentis viri potentia intolerabili, inter antiqua collocatus ipse. Haud vereor, ne obtrectasse videar Principum nostrorum meritis, si excellentes has copias, inter quas una iuvenis adorantis statua aerea magno numero aequiparanda est, cum Italiae opulentia conferri non posse dixero in transcursu: nedum ut populum illum deorum unquam aequemus, qui olim inhabitabat Graeciam. Mirabundi legimus, etiam Romanae dominationis aetate, imminuto pridem Graeciae flore, unas Athenas tria milia statuarum continuisse, totidem Olympiam, Delphos, Rhodum, quae vel colossis centum ornata erat; etiam ferociorem gentem Aetolos Thermi, ubi convenire solebant, tot habuisse signa, ut Macedones ibi duo milia statuarum subverterint. Et quid de Roma dicemus, orbis terrarum

capite? Quantum exteris nationibus devictis congessere Marcelli, Quinctii, Fulvii, Aemilii, Mummii, Sullae! Tria milia signorum M. Scaurus aedilis in temporario theatro proposuit; sexaginta milia Romanum solum reddidisse produnt ii, qui modicas inierunt rationes. Tot ornamentis Graeciam potissimum ditarant pietas, prisca parsimonia domi, publice munificentia, postremo diuturna officinarum exercitatio, quae quanta fuerit, inde coniicias, quod Lysippus solus mille et quingenta opera fecisse traditur, quod Demetrio Phalereo sexaginta et trecentae statuae, quarum plures erant equestres aut curribus vel bigis insistebant, positae ab Atheniensibus sunt, diebus minus quam trecentis confectae. Nos satis habeamus, si ex ingenti naufragio aliqua in septentrionalem hanc plagam allata exempla sunt, non rapta, sed bene parta, ut veterum sculptorum artis spectemus perfectionem, quam nostri iam aemulantur feliciter. Et quae possidemus, auget Regis benignitas, et augebit. At lumina quae et quanta panduntur ante oculos, ubi picturarum accesseris thesaurum amplissimum, qui redivivae artis illustria condit documenta, mitius Christiani cultus ingenium spirantia! Hic universus artis nobilissimae orbis, ab austeris Byzantii et Tuscanici penicilli initiis, propositis absolutorum in quoque genere artificum operibus, Italorum, Germanorum, Belgarum, non confusis diversarum aetatum ac scholarum tabulis, sed apte coniunctis quibusque, patet adspectui. Hic maiestas cohabitat cum Gratiis et venustatibus omnibus. Mox invenient haec, a quibus digne praedicentur; sunt inter vos callidissimi omnis elegantiae arbitri: ego obmutesco.

Saepe audimus in circulis hominum haud inficetorum regiae huic urbi exprobrari, quod nullam habeat antiquitatem. Profecto magnum decus in virtutis parentum monimentis; sed maius illud opprobrium: Olim fuere strenui Milesii. Sunt quibus nihil venerabile nisi parietinae; mihi medii aevi robigo, quam illi desiderant, non commode sedere huic rei publicae videtur. Nostra antiquitas est novicia; hoc regnum non pontificiae vel imperatoriae potentiae aetate, sed fracta utraque cepit incrementa, et superiori demum saeculo Friderici Magni virtute ita confirmatum est, ut viribus ingenii et reliquo suo robore locum tueri inter validiores civitates posset. Qui novam eo saeculo litteris et artibus vitam formamque dederunt, magnam partem in hoc imperio vel geniti vel recepti, Leibnitius, Christianus

Wolfius, Kantius, Fichtius, ille artium restitutor divinae plenus mentis Ioannes Winkelmannus. Augescunt aliae gentes, aliae minuuntur, ait ille; nobis nonne melius consultum, quod in diluculo orientis magnitudinis potius vivimus, quam in crepusculo vergentis? Igitur nostrum est non stupere ad antiqua: ac si antiquis est exemplis utendum (est vero sine dubio), non magis in nostris nos continebimus rebus vetustis, quam praeclari in ullo genere viri hac arcentur re publica, quod apud exteros nati sunt. Nostros iudicat Rex, quicunque intelligentes sunt; eos nobis conciliare, si fieri potest, studet: nostra est universa antiquitas, ex qua hauriamus, qua fruamur. Hanc artium studiosis Princeps sapientissimus proponit, ut excellentium operum adspectu erudiantur oculi et animi, ut stimulus addatur artificibus, non qui imitentur priora, sed qui discere a vetustis magistris velint, edocti suis viribus nova audere valeant: quemadmodum etiam doctrinae et ipsa philosophia non alia re magis excitatae ex veterno et emendatae sunt, quam repetitis, quae iacuerant, antiquis litteris. Ita sane posterior quaeque aetas lucem una cum vita a priore transmissam accipit, non ut iners acquiescat traditis, sed ut ex acceptis novos eliciat fructus. Neque enim, ubi nego in priscis nos debere quasi torpore defixos esse, impune dico contemni, quae priores aetates tulerunt egregia; documento sunt ipsae artes, quae superiori saeculo, relictis maiorum vestigiis, ita degeneraverant, ut principes cultissimos deficerent ingenia, quae elaborarent quod ferre aetatem posset. Nunc rectiorem viam ingressis Friderici Guilelmi studia magnanima succurrunt tempestive: qui quod nulla laude privatam esse Borussiam vult, omnibus et rei publicae et cultus humani partibus curam aequalem impendit indefessus. Hunc Deus, religiosum cultorem suum, praestet incolumem, servetque nobis quam diutissime. Huius incepta secundet ita, ut et ipse atque ii qui nunc vivunt consiliorum eius percipiant fructum, et quoniam optimi simul posteris prospiciunt, optime coeptorum praestantiam non praesens solum eventus probat, sed serus etiam successus et futurae progeniei iudicium, Friderici Guilelmi memoriam nepotes nostri aliquando aeque habeant sanctam caramque, ac nos diligimus et veneramur superstitem. Ita Deus has ratas habeat preces, ut sunt conceptae a nobis pie ac sincere.

XIX.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXI. habita.

Superiore anno, auditores, quum die laetissimo Friderici Guilelmi natali in hoc conventu verba facerem, vix dum ad nos allatus erat primus nuntius ingentis istius motus, quo, postquam Borbonici regis sive error fatalis, sive quoquo vocabulo inceptum damnosissimum nominare libuerit, urbanae multitudinis aciem inconditam in praetorianos et reliquos milites concitavit, civitas Galliarum princeps caedibus et cruore polluta, ac paucorum dierum discrimine patrio regno exuta, patrio solo pulsa ea familia est, quam aliquot lustris ante nostri et sociorum exercitus atrocissimis proeliis multoque sanguine semel atque iterum constituerant et stabiliverant. Eo die, tranquillissimo etiamtum statu et summa pace, quotus quisque erat qui intelligeret, quantarum rerum in limine et vestibulo collocati essemus? At qualis interim commutatio Europam prope universam invasit! Quot casus, discordiae, seditiones, pugnae, clades infestarunt pacem, si haec dicenda pax est, quae quotidie minetur bellum! Concussum orbem terrarum dixeris et cardinibus excussum, emissas crebo omnes civilium armorum furias. Nam posteaquam Galli funesta caede semet vicerunt ipsi, furore incensa est turbulenta Belgarum plebes: Bruxellensi strage fractae Batavorum vires; deficiunt frequentissimae et opulentissimae Belgii urbes, arces validissimae et instructissimae, in quas magnos sumptus impenderant socii; denique rege, qui iustitiam suam, aequitatem, bonitatem probaverat optimo cuique, summa audacia spreto dirimuntur a Batavis Belgae, ut explerent iras et odium pridem conceptum et multa cum arte nutritum. Mox idem motus traxit Germaniae partem, principibus suis longo ex tempore fidissimae; pulsus a civibus Brunsvicensis dux, ipsa arce incensa; turbatum in Cattis, in Saxonibus. Iam vero dum Borussicum regnum intemeratum stat; (quis enim Aquisgranensem tumultum numeret ab ipsis civibus debellatum, aut nocturna ista in nostra urbe ludibria?) Orientem versus transiluit discordia: saevo et immenso

impetu exarserunt Poloni, mutuis iam nobilitati cladibus; lat sparsa per Lithuaniam et ad extremam Sarmatiam seditio. N Helvetiae quidem civitates quieverunt; commotum etiam Hai noverae regnum, quo nullum unquam egerat innocentius, initi orto ex celeberrima eruditionis sede, quae plurima regibus ben ficia debet; concitatae Italiae aliquot provinciae et statim a exteris compositae. Ipsa Britannia, antiquis legibus et institu tis secura visa, eo adacta turbis et factionibus est, ut de emen danda rei publicae forma ageretur. Quid dicam de Hispanis e Lusitanis, quos domestica discordia vexare nondum desinit Graeciae iam obliti patroni sunt, propioribus et suis occupat malis. Inter quae universae prope Europae exercitus ingentibu impensis parati sunt, non quidem ad bellum suscipiendum, se sustentandae paci. Et ne Europae populi tantum iis conflicten tur calamitatibus, quarum auctores ipsi, urget natura divinitu laborans: taetris Asiae incunabulis prorupit dira pestilentia exercituum et commerciorum itineribus propagata latius in die ingruit, iam et nostros ingressa fines. Haec igitur tanta publi cae privataeque fortunae decrementa quum hic attulerit annus, quibus nihil mirum si perturbentur vel constantissimi, utinam mea vox tam diserta esset, ut eo solatio, quod prope unum superest, quodque his sollemnibus sanctissimis unice accommodatum et quasi proprium, lenirem malorum tristem memoriam et exhilararem animos vestros hoc die, laetitiae mihi et vobis et universae patriae uberrimo fonte! Nam si reputamus, quid sit, quod patria nostra cum paucis terris saltem civilibus turbis libera et perfecte pacata manserit, licet novae aliquot provinciae, eaeque longissimis disiectae spatiis, non solum situ vicinae sed etiam cognatione naturali coniunctae iis populis sint, qui vel prorsus in rabiem prolapsi, vel non mediocriter affecti novarum rerum studio sunt: quid prius nobis offertur quam Friderici Guilelmi imago, quae veluti Castores tempestatem et fluctus, sua serenitate composuerit rem publicam? Quippe Fridericus Guilelmus quae dilabi potuerant, non tam viribus exercituum, quorum intuta in civili motu auxilia, quam iis artibus continuit, quas solas etiam ferventibus animis cum successu admoveris; tempestive, hoc est priusquam postulatum esset, levandis cuiusvis generis oneribus, tollendis iis rebus, quae invisae populis, succurrit suis; providit necessitatibus, ne sero pararetur medicina; benefactis obstrinxit et occupavit mentes, ut persuasum habue-

rint, nolle illum quidquam nisi civium beatitatem, nec sibi eum prospicere et suae potentiae, sed communi saluti: denique et rei publicae administratione et reliquis ipsius virtutibus, quibus sibi etiam exterorum admirationem et reverentiam comparavit, effecit, ut cives ipsum aeque diligerent, atque ab illo sese diligi et sentiebant et cognoscebant. Sane optimis quoque principibus accidit, ut iis non ea, quam merentur, gratia a populo referatur, sive quod factiosi homines variis stimulis cives principi infensos reddunt, seu quod diversae et insociabiles gentes sub uno domino imprudenter coniunctae sunt, eumque una ex iis aspernatur; nihilo minus nullum firmius certiusque tranquillitatis publicae pignus inveneris, quam principis id ingenium, quo mutuus dominantis et parentium amor concilietur. Hoc huic regno praeclara Friderici Guilelmi praestat indoles; hoc est illud solatium, quo quum maxime oblectamur, idque ita vestris insitum praecordiis, ut ego id non magis ex meo quam ex vestris proferam pectoribus; haec est felicitas Borussiae publica, qua fruetur, donec hi principes nobis imperabunt, populusque regum amantissimus integram et incorruptam servabit fidem. Haec, quaecunque mala prement, sola non interibit, neque annonae sterilitate aut caritate nec morbis nec bellis absumitur; immo leniet incommoda quaevis, dum princeps civibus, cives principi succurrunt: sicuti ante hos viginti circiter annos mutua concordia et constantia communi superavimus tempora rei publicae gravissima et bella confecimus maxima.

Placet rerum civilium peritis et imperiorum rectoribus ipsis, populos et regna contineri pactis. Profecto quum multa regna armorum vi coacta sint, arma vero et vis contraria iuri sint, nisi accesserit pactorum et sacramenti sanctitas, victores et victi nullo civili vinculo coalescent. At quibus pactis constituendis sola necessitas praesedit, ea ut iure firma sint, re tantum non irrita reperiuntur: itaque ea, quod quotidie videas, rursum alia premente necessitate, nova pactione mutantur, tolluntur. Sed amor, verus quidem et sapiens, non fictus et stultus, perennis est; quo regna multo fundantur certius. Sic familiae fundamentum et vinculum caritas est, non pactum: male certe coniugio, male parentibus et liberis consultum foret, si pacto continerentur, non caritate: atque utut civitas, cuius imaginem minutissima quasi forma expressam familia refert, ubi ex primitiva simplicitate in perfectiorem accreverit statum, familiae migrat faciem,

tamen ubi mutuus principis et civium amor perierit, enecta vis vitalis, exstinctum lumen civitatis est. Pactis res familiaris pactis res publica ita ordinantur, ut tamen sine caritate iniucunda et tristis utriusque ratio sit. Quare ne Romani quidem in tanta imperii mole, noluerunt principem patrem patriae vocari et cognomentum hoc honorificum mereri; ut is non sola potestate et arte et copiarum viribus, sed naturali patris familias caritate regere civitatem videretur: neque ea virtus, quae ad officia patriae praestanda refertur, ex pacti condicione deductum nomen qualecunque adepta est, sed caritas et amor patriae vocatur. Iam vero hoc amoris vinculum nationem cum eo potissimum principe artissime coniungit, cuius stirps patriis institutis et moribus imbuta, longa et benigna dominatione hereditaria cum populo contraxerit consuetudinem, non nuper demum illi benefica extiterit, sed a maioribus sibi tradita benefaciendi studia habeat, et rebus gestis rei publicae gentique nomen apud exteros et gloriam dederit. Vel hac ex causa quantopere Friderico Guilelmo dedita et obstricta maxima pars populi Borussici sit, non fugit quemquam, qui reputet, quid gloriosi illius maiores gesserint, quid ipse illorum insistens vestigiis. Quodsi aliquot provinciae nuper demum partae sunt, quibus non innatus ille amor, praeter insignem et manifestam Principis ipsius virtutem trahit has quoque plurimarum consensus, et ea huius imperii virtus exemplis clarissimis pridem comprobata, qua id efficit, ut institutorum utilitate, iustitia, aequitate alliciat etiam alienos faciatque suos. Ita fit, ut mutua caritas Principem non solum cum vetustis, sed etiam cum novis Borussis consociet, atque eum omnes patrem patriae iudicent et venerentur pie. Decantata olim a multis haec fabula est, Borussicam civitatem non nativam esse, sed artificialem: mihi ea civitas videtur prorsus nativa esse, cuius fundamentum sit caritas; quod in nostram cadit planissime. Nativa est enim ea potissimum habenda, quae familiae proxima sit, naturali civitatis imagini; quae pactis nitantur, eae sunt arte compositae: et plerumque pacta ex discordiis, turbato naturali statu, gignuntur. At naturalis civitas non perfecta est, ut homo naturalis est imperfectus. Audio: verum ne pacta quidem et constitutiones, utut ornant civitatem et fiduciam publicam adiuvant, perfectae sunt: et habet hoc quoque regnum aliqua securitatis publicae instrumenta: denique si tantum inter pacta sine caritate et caritatem sine pactis optio sit,

quis non praetulerit hanc? Accedit, quod beneficia a volente oblata praestant coactis: gratia non habetur necessitate extortis. Itaque, quamvis sint quae desiderentur, Fridericum Guilelmum eo impensius diligunt etiam nuper subiecti, quod beneficia iis contulit sponte, non alia obligatus lege nisi amoris, qua benefacere populo obligatur princeps. Est vero huius amoris, ut nec durius quidquam aut violentius statuatur, et sine fraude gerantur omnia: quo maxime confirmantur regna. Vi quidem haud diu retineri imperium posse rerum gestarum loquitur memoria; et artibus astutiisque qui circumvenire subiectos studeant, etiam in maius incurrunt odium. Tamen prava hac ratione multae gubernantur civitates, in quibus princeps praefectorum, magistratuum, officialium cohortibus stipatus est, non qui concordent cum subiectis, sed qui quasi hostilis exercitus astu et metu comprimant eos, quorum providere commodis debebant: nostram rem publicam mutuo innixam amori esse, etiam inde cognoscas, quod publici cuiusvis generis ministri mente et consiliis egregie cum iis conspirant, quos regunt, nec coguntur horum obesse desideriis: qui ministri ipsi in universitatibus litterariis non ad praescriptam a domino formulam, sed liberali instituuntur eruditione, nec principis mercenarii habentur, servilem praestantes operam et istam Thrasymacheam potentiorum utilitatem curantes, sed debito obsequio parentes principi id officium habent iniunctum, ut quod intelligunt regi et populo communiter optimum esse, studeant perficere. Intelligentes igitur praeesse rei publicae Fridericus Guilelmus vult; unde nulli civium classi aditus ad honores praeclusus: id quod mutuae caritati convenit unice. Nam ubi certus ordo rei publicae gerendae fruitur praerogativa, ceteri servi sunt vel servitio proximi; qui ut aliquamdiu obediant, certe non diligent imperantes: et offenduntur plurimi, si paucorum quasi hereditas res publica. Sunt tamen, qui populum servire perpetuo velint; qui quum nihil magis caveant, quam ne populus intelligens fiat, inter reliquas artes hanc pessimam sive artem seu vim adhibent animis, ut eos, quantum fieri potest, hebetes, stupidos, superstitiosos reddant, ne a sacris quidem abstinentes, quo minus his quoque ad perficienda consilia sua utantur, conatu eo magis nefario, quo longius absunt a caritate, quam simulant, atque insuper aeque stulto ac si pater desipere liberos velit, ut sint magis obsequiosi. Apud nos nihil istiusmodi; nostra scholarum et ecclesiae instituta erudiendis, illu-

strandis, consolandis mentibus inserviunt, paucisque exceptis lucifugis hominibus sinceram et simplicem et strenuam quaerimus pietatem, qua eminet Rex, non fictam et astutam vel nebulis involutam, vereque seu specie tristem. Iam ne de iure dicundo exponam, qua in re paternum Friderici Guilelmi imperium eatenus non desideratur, quatenus ius, sua natura severum et implacabile, admittit veniam, mitisque principis lenitati concedit locum: quis non videt vectigalium et redituum publicorum administrationem ad populi commoda dirigi universam? Neque enim in domus principalis aulaeque usum colligitur argentum, privatove Regis fisco replendo opera datur: non prodigae vitae agendae ministrantur opes populo ereptae, non firmandae iniquae potentiae; sed in publicas necessitates et utilitates erogatur quod pendunt subiecti, ac, siquid superest, in decus: ita redeunt pecuniae unde petitae sunt. Nec vectigalia eo modo imponuntur, ut quam plurima persolvantur, sed ut onera levissima sint, et commercia privatique quaestus impediantur minime: quid quod non sine vectigalium, quantum arbitror, temporario detrimento cum exteris societates initae sunt, tantum ut privatis maior et liberior quaerendi esset copia? Quamquam autem etiam res publica magis floret, si privati non inopes sunt, tamen his Rex non ideo succurrit, ut uberior *inde* fructus ad ipsum redundet, quemadmodum greges fovent domini vel pastores; sed illum aequitate et caritate duci gratus *sentit* populus. Postremo in nulla mihi parte rei publicae magis illucescere videtur mutuus, quo haec civitas continetur, amor, quam in re militari. Ubi namque illud vinculum principem ac populum complectitur, nullis opus est mercenariis militibus, nulla ex peregrinis collecta corporis custodia; cives regem tuebuntur optime. Quin antiquitus inter potissimas, quibus rex et tyrannus distinguerentur, res hoc habitum et vulgo et a philosophis est, quod ille a suis, hic a peregrinis mercede conductis custodiretur; illi enim adversus exteros, hi adversus cives custodire principem videntur. Sed legeris etiam ex indigenis custodes, qui nihilo magis civiles vel populares sint; facile certus quidam militum ordo, haud satis prudenter constitutus nec recte cohibitus, rei publicae bene ordinatae et paganae multitudini atque ipsis proceribus infestus fit: quod Imperatorum aevo accidit manis. Tali igitur exercitui qui sese concredere coactus sit multum distat a nostro. Non sunt apud nos feroces mili-

tum cohortes, saepe molestiores suis quam hostibus formidabiles; ex universo populo, nullo loci, quo quisque natus, discrimine, iustissimo delectu instruuntur legiones, non quae domi regem tutentur, qui tutissimus apud suos, sed quae patriam defendant ab exteris; neque ut olim ad senectutem usque milites retinentur sub vexillis, ut percalleant et obdurescant ad obsequium sibimet ipsis invisum et ad omne genus saevitiae, sed post paucos annos probe subacti et exercitati legitima exauctoratione redduntur suis, ad regis iussum redire in manipulos semper parati. Quod quum olim nihil paganis perinde exosum fuerit ac stipendia mereri, nunc nemo nisi ignavissimi detrectat militiam hanc honestam, non inhumanam, non nimis onerosam. Anne hoc leve documentum est, carum civibus Principem, caram patriam esse, nec privatos suam utilitatem a Principis et patriae disiungere commodis?

Hucusque publica Friderici Guilelmi consilia spectavi, quibus mutua effecta caritas sit, civitatis Borussicae decus et robur. Sed ut princeps cunctis imperii muneribus sufficiat: si is privatus non aeque innocens est, ac non modo non melior, sed aliquanto deterior quam mediocris civis; si domi vel inhumanior vel ultra modum patiens et indulgens; prodigus, et ubi vacat, segnitiae, voluptatibus, deliciis deditus, vel rursus nimium parcus et tristis; si non bonus pater familias, si durus domesticis: emanabit aliquid etiam foras, atque eum aut mollities et secretae libidines contemptui tradent, aut intempestiva severitas minuent amorem populi. Suspiciosi civium animi, siquid rei publicae adversi acciderit, culpam transferent in dominum, quod qui domui suae male praesit, non videatur civitati recte praeesse posse, et privata vitia propagentur in rem publicam. Enimvero Fridericus Guilelmus privatis virtutibus haud minus quam publicis subiectorum sibi conciliat voluntates: qui regi iudicet non magis concedendam ullam morum licentiam esse quam privato cuivis; qui egregio temperamento patris familias et principis consociet officia; comis idem ac strenuus, splendidus et liberalis sine sumptuum profusione, sibi aeque ac rei publicae moderans. Denique ut hominum iudicium reveretur, quod quos diligit quisque, eos simul reveretur, sic divini numinis reverentia virtutem privati, quantum licet mortalibus, consummat. Itaque sive publicam seu privatam Friderici Guilelmi vitam consideramus, ipsum intelligimus eius esse caritatis fontem,

qua censui felicitatem Borussiae contineri. Quodsi tamen ho rege haud immunes ingentium malorum fuimus et sumus, bella primum adversa, mox secunda quidem sed tanto cruen tiora gesta sunt, unde magna vis aeris alieni contrahenda re publicae fuit, si in pace modo quaestus inopia et agrorum ste rilitas urget, modo ipsa fertilitas et frugum copia indeque ac cidens vilitas annonae fundorum possessores et colonos premere quin nonnullis etiam nimia populi frequentia, cui alendae vi sufficere agricultura, opificia, commercia queant, adducere dis crimina videtur, si quum maxime belli metus et nata ex to turbis communis animorum agitatio et morbi grassantis saevitia cum caeli intemperie angunt, magnasque in exercitus et tuendos imperii limites etiam adversus amicos postulant impensas: quid aliud colligas, nisi occulta lege fati seu divinae consilio providentiae mala et homines et naturam afferre, quae nulla mortalium prudentia, ac ne optimi quidem principis benignitas cavere vel sanare possit? Quod non nunc primum compertum et comprobatum, exemplo quamvis vetusto, tamen a nostris opinor rebus non alieno, illustrare licet. Nullus certe unquam princeps benevolentiore erga genus humanum animo, nullus tam clemens ac mitis fuit, quam M. Antoninus Philosophus, ita ille dilectus omnibus, ut ab aliis pater, ab aliis frater, ab aliis filius, ut cuiusque aetas ferebat, diceretur, et in eius funere universi certi essent, a diis eum commodatum redisse ad deos, unoque ore Senatus et Populus propitium eum deum vocarent. Profecto is, qui Platonis sententiam, felicem fore civitatem, si aut philosophi imperent, aut imperantes philosophentur, non modo in ore habuit, sed suo exemplo demonstrare conatus est, et qui quamvis sapiens non quod sibi, sed quod prudentissimis placeret, ratum esse voluit, profitens aequius esse, ut ipse tot et talium amicorum consilia sequeretur, quam ut tot et tales amici unius ipsius sequerentur voluntatem, is inquam non omisisse quidquam censendus est, quo civium adiuvaretur felicitas. At praevidit ipse et quo tempore in regnum adoptatus est disputavit, quae mala in se contineret imperium: in quibus illi haud minimum id accidisse arbitror, quod ipso principe maximis calamitatibus vexatus orbis est, atque, ut vetus ait scriptor, prope nihil, quo summopere angi mortales solent, dici seu cotari potest, quod non illo imperante saevierit. Nusquam ab is quies: Oriens, Illyricum, Italia, Gallia, Germania bellis

afflictae; terrae motu haustae et obrutae urbes; premebant inundationes fluminum, locustae agris infestae, fames gravissima, postremo summum malum, plures per annos repetito auctoque impetu irruens pestilentia. Nam postquam Romanus miles Avidio Cassio duce Seleuciam Babyloniae, urbem quadringentis, vel ut alii prodiderunt, sexcentis milibus hominum habitatam, inter Tigrim et Euphratem positam, contra ius fasque diripuit et incendit; in ea urbe, haud procul a Persici sinus recessu, unde is morbus, qui nunc Europam permeare coepit, Asiam occidentalem intravit, lues dicitur nata esse, labe primordiali, ut fama superstitiosa ferebat, reserato angusto foramine emissa ex adyto templi Apollinis vel ex arca aurea: mox spiritus pestilens per milites et fluminum commercia in Mesopotamiam et maxime Nisibin delatus est, atque inde Parthos et orbem terrarum complevit, L. Veri et Cassii exercitibus in omnes provincias, per quas redirent, spargente contagia, quae a Persarum finibus usque ad Rhenum et in Gallias cuncta polluerunt mortibus, militum prope omnes necarunt copias, Italiamque universam pervagata Romae quoque multa milia hominum nec paucos procerum consumpserunt. Et hic quidem imperii Romani status erat sub illis generis humani deliciis, M. Aurelio: de quo non coaetaneus, in quem suspicio cadat adulationis, sed posteriorum aliquis haud immerito dixit, divinitus hoc tributum videri, ut dum mundi lex seu naturae vel quidquid aliud hominibus incognitum ea mala gignit, principis consilia tamquam remedia lenimentum afferrent. Eandem sententiam quis vereatur Friderico Guilelmo accommodare? Nimirum quod vel bono principi accidit, ut crebro rerum adversarum usu curisque fessus remittat contentionem et diligentiam, Friderici Guilelmi constantia non patitur: non ille obduruit ad mala civium; quum primum qualiscunque calamitas ullam regni partem invaserit, non modo monitus sed sua sponte, non modo regii memor officii sed humano misericordiae affectu, alienam aerumnam tamquam suam ferens, ita cuique studet subvenire, ut pater liberis, frater fratri, filius parentibus. Quapropter ut Senatus Populusque Romanus M. Antoninum, ita nos Fridericum Guilelmum divinitus missum rei publicae esse quum pridem praedicavimus, tum praedicamus quum maxime, summoque numini habemus gratiam, quod, si nostra aetas et naturae mala insolita ferre, et videre eas res debuit, in quibus rebus immota stare civitas vix posset,

nisi is regnaret princeps, qui caritatis mutuae vinculo obstringeret suorum animos, rex nobis obtigit iustissimus, clementissimus, benignissimus, in cuius amore acquiesceret res publica. Postremo vota facimus Deo Optimo Maximo, ut Fridericus Guilelmus cum universa domo Augusta florentissima servetur incolumis, ut illo duce patria nostra firmioribus et liberalioribus in dies institutis augeatur, ut nulla neque imprudentia nec pravitate rumpatur sanctissimum caritatis vinculum, ut, si fieri potest, finis imponatur stragibus, quibus atteruntur gentes, atque ut pax, artium et litterarum nutrix, bonorum omnium mater confirmetur, communisque cesset metus et reddatur securitas.

XX.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXII. habita.

Ut exacto civili anno, quae grata, quae adversa proximus solis cursus attulerit, iuvat recolere etiam prudentem, licet probe sciat, temporum his, quos figimus, terminis motum fluxumque rerum nec retineri neque interpellari, sed continuo illum et infinito impetu ad aeternam decurrere metam; ita nos, auditores, nos, quos pietas iubet ex Friderici Guilelmi faustissimo natali dinumerare annos, soliti sumus in hoc conventu agendo superioris potissimum anni cuiusque revocare memoriam, novamque ex rebus nuperrime gestis materiam gaudendi elicere, quae laeta undique affluebat ubertate. Abhinc annum, quando ex hoc loco verba feci, primum fere id mihi magis agendum fuit, ut Regis optimi virtutibus proponendis tristem calamitatis impendentis exspectationem dissiparem, quam ut loquerer prosperitates nostras: tot minitabantur mala, tot turbae auferebant securitatem. Quid iam de hoc anno dicam, auditores? Compositosne animos feroces, an nondum compositos iudicem? exterorum disseram victorias cladesque et civilia arma, quibus utercunque victor fuit, cogitur non hostes affligere, sed suos? Vel in nostris rebus ut consistam, morbum fatalem, quem approinquare praevidebamus priore anno, exiguone superatum damno ·cam an permagno? Certe exhausit opes publicas, certe magnos

regno duces, magnum nobis sapientem eripuit, ut ante quattuor prope lustra Fichtium absumpserat lues; certe scholae nostrae frequentiam minuit mediocriter. At reparantur damna fortuita, ubi vigor, virtus, prudentia, industria supersunt; sin mores corrupti, inscitia et stupor, barbara imperii iniquitas et duritia sensim paullatimque ad languorem dederint universos, tabe lenta emoritur populus. Adhuc quidem inter spem et metum suspensus orbis trepidat, quo evasurus hic rerum status sit: nostra res publica inter communem perturbationem, quae extremam vim adductura vel prudentibus videbatur, quasi igni probata, in Regis et populi mutua acquiescit caritate, quam fortasse meministis quando explicuerim uberius. Interim undique resonuit libertatis vocabulum, quae utinam facilius ferri posset quam parari: manere moderata, nocere nimia haud pauci obliti sunt, haud pauci libertatis specie et praetextu in extremam rabiem prolapsi. Quippe libertatem legibus ita temperare, ut teneatur modus, quem ipsa egredi non quidem sua natura, sed vitio cum ipsa coniuncto nititur, magnae est artis summaeque sapientiae: quum enim ea sit libertas, ut facere liceat, quod velle debeas, nec coactus sis facere, quod nolle aequum est, nulla non aetate populi non sibi liberi visi sunt, nisi facere liceret, quaecunque vellent, imitati ipsi eos, quos minime probant, impotentes animos, quibus non id placet, quod aequum iustumque est, sed aequum iustumque videtur, quod placet. Quodsi huius regni indolem considero: considero autem saepe et curiose, non quod mea me studia huc appellant, sed quod Friderici Guilelmi laudes mihi persequendae sunt, illique et Borussicae civitati deditus sum toto animo: videre mihi videor, maiore nos, quam quae praeferatur, frui libertate, dum multi, qui sibi liberrimi videntur, re vera serviunt. Nam iusta libertas in moribus et communi omnium bonorum consensu posita est; et, quod maioribus nostris tribuit Tacitus, plus apud nos boni mores valent quam alibi bonae leges. Hi ne ab alterutra parte excedatur modus, cavent; hi trahunt vel invitos, vim reprimunt quantamlibet; hi si depravati fuerint, si cives desueverint parere legibus et magistratibus, patria instituta cara habere, fidem et sacramentum servare, summi numinis religione obstringi, quid iam prodest nomen libertatis? Mores vero quibus potissimum rebus formari censetis? Neminem arbitror vestrum esse a me dissensurum, si multum ad eam rem conferre vitam principis dixero, et quae

per ipsum eiusque ministros gerantur publice. Non adumbrabo vobis Friderici Guilelmi imaginem, quam quotidiano quasi adspectu tenetis, quae pectoribus vestris inscripta est, quae a me plus semel descripta; hoc ante me saepe explicitum est, suo illum exemplo aeque emendasse mores, atque alii principes eos corruperunt. Et in re publica regenda nihil nimium, nihil iniquius, nihil atrox deprehendas: sua moderatione Rex mitigat imperium levatque onera quaelibet. Quibus de rebus quum haud semel prius dixerim, nunc tribus verbis complectar omnia. Nempe violentus dominatus pavore continet subiectos, nos regimur caritate et ratione: non timet principem populus, sed veneratur; non princeps metuit suos, sed diligit. Quod non omnibus omnia placent, humanum est; et de rebus, quae quoque tempore maxima contentione aguntur, praesentis aevi iudicium studio et assentatione, odio et ira corrumpitur: quid bonum, quid utile fuerit, voluntatibus causisque et eventibus ponderandis certa trutina pensitant posteri, qui tam fruuntur maiorum bene factis, ut in arborum umbra, quas parentes severint, quiescunt nepotes, quam imprudentiam ac delicta priorum luunt, ut aes alienum patrum saeculo contractum solvit futura progenies. Iam vero super ea, quae publice fiunt, mores finguntur institutione et disciplina. In qua primum locum tenent res divinae; de quibus quo praviores hominum sententiae sunt, quo superstitiosior obtinet anxietas, vel quo pronior ad impietatem levitas, tanto latius grassatur morum corruptio. Multum valent etiam hic exempla, et Friderici Guilelmi animum in hac quoque re temperamento excellere insigni consentitur; simul in nulla opinor civitate res sacrae sapientius ordinatae sunt quam in nostra, meliusque directae ad eum finem, ut imperitae mentes imbuantur iis, quae nosse omnium interest, ut quantum cognitionis capiant, tantum iis ministrent probi praeceptores, denique ut ne obligentur caerimoniis, sed interiore sensu et quoad fieri potest intellectu libero perducantur ad Deum. Atqui institutio publica si mores regit, scholae quoque omnis generis, quibus pueri et adolescentes erudiuntur, haud mediocria in eam rem gravissimam momenta habent; inter quas quum universitates litterariae imprimis conspicuae sint, prout hae comparatae fuerint, in meliorem vel deteriorem partem mutari aliquatenus mores possunt. Quid verbis opus est? Iure et a doctoribus et a discipulis morum postulatur integritas; iure alterutri, si vita parum honesta et dissoluta de-

decorant ordinem, incusantur; nec quod olim frequentius quam nunc, si non palam, at certe clanculum et per ambages dictum est, magnorum eruditorum privatam vitam non esse ad morum normas vulgo receptas examinandam, ullo modo ferendum est. An enim principibus hoc imponemus officium, ut probitatem consocient cum potentia, docto et ingenioso concedemus, ut prava exempla edat? Sed aliorsum me abripuit ardor ac quo tendebam. Mores dixi in hoc regno permultum valere, moribus inservire institutionem: itaque merito apud nos plurimum tribuitur institutioni publicae litterisque et artibus ingenuis propagandis, quibus inter cetera imperii instrumenta Rex clementissimus utitur et sapientissime et liberalissime: quod argumentum quum ad nos imprimis pertineat, date mihi hanc veniam, auditores, ut in eo paullulum immorer.

Tam vere quam facete vir elegans, qui nuper apud nos hospes vixit, Borussiam scholarum et castrorum terram vocavit. Et castrorum quidem nimia frequentia sine dubio premit populos: igitur rectius constituta re militari Fridericus Guilelmus stativos minuit exercitus: idem scholarum auxit numerum, qui haud facile iusto maior fieri potest; nunquam enim sub hoc caelo illud accidet, quod imprudentium verbi divini praeconum culpa legimus in Oceano Indico factum, ut plebeia et pagana multitudo, opificiis et agricultura relictis, tota in sacris formulis precibusque legendis et recitandis occupata novissimo pereat desidiae miseriaeque genere. Tum ipsum, quum prostrata extremis calamitatibus res publica iacebat, litteris vidimus quasi asyla condi, recreatisque patriae viribus prolatisque finibus mirifice increvit eruditio. Non ego is sum, qui aliena bona obtrectem, illisque spernendis laudem quaeram patriae: multa in Britannia esse egregie constituta et inventa, multa in Gallia, ultro confiteor, tantoque libentius, quod illorum eruditissimorum populorum docti nostra iam minime contemnunt, suisque partim etiam praeferunt: immo in quibusdam artibus, et in iis potissimum, quibus multo apparatu opus est, vel quarum subsidia immensi prope commercii adminiculis et longinquis peregrinationibus colligenda sunt, nostra paupertas in certamen descendere cum opulentioribus nequit; nec mirum, si maiorum regnorum principes urbes nostra multo frequentiores et copiis abundant ditissimis et clarissima nutrierunt ingenia: ipsius quin etiam Germaniae civitates aliquot Borussia inferiores habent sua decora, quibus gloriari merito possint, multumque ad litterarum artiumque florem contule-

runt et conferunt. Tamen exteri quoque imprimis celebrant eam curam, quae Friderici Guilelmi auspiciis publice impenditur alendis studiis; neque una et altera pars fovetur, aliae negliguntur, sed aequabiliter constanterque cunctis fere providetur desideriis. Magnarum academiarum splendor in aliis locis praestringit oculos, dum rustica multitudo pleraque ne elementa quidem litterarum dignoscere et pingere didicit: quis tantum numerum hominum utilissimorum, quorum robori innititur civitas, veluti pecudes prorsus incultum esse velit, ut scilicet promptius pareat? Igitur damus operam, ut hi quoque pro suo erudiantur captu: quae res quamquam maximis impedita difficultatibus est, tamen multum perficit voluntas cum consilio. Quid dicam urbanos omnis generis ludos, quibus puerilis formatur aetas; scholas, quae novo instituto eos edocendos susceperunt, qui non quidem profiteantur litteras, sed eas ad communis vitae usum fructumque transferant; gymnasia, quibus ad altiorem scientiam praeparentur adolescentuli; exercitationes technicas quasvis; academias, quas vocant, architecturae, picturae, sculpturae; postremo universitates nostras omnibus copiis instructas et ornatas? Verum etiam praeceptores, qui sufficerent muneribus, parandi fuerunt; igitur popularium et scholasticorum magistrorum seminaria condita sunt et alia quaedam, quae certarum aliquot disciplinarum cultui inservirent. Quot medicis et chirurgis, tam civilibus quam militaribus, doctrina et usu perfectius instituendis nuperrime fundatae palaestrae sunt! Ac ne quid usquam deesset supellectilis necessariae, quae in tanta mole praesentis eruditionis, ne exigua videatur, debet uberrima et prope dixerim immensa esse, bibliothecas amplissimas, musea operibus artium pretiosissimis et elegantissimis, naturalibus rebus ex toto orbe undique collectis referta, hortosque, et quae sunt huius generis alia, Regis munificentia suppeditavit, augetque ea quotidie. Quae beneficia etsi regno universo communia sunt, quod nulla eius provincia posthabetur ceteris, tamen nostra universitas hanc habet quasi praerogativam, quod quum in ipsa imperii sede collocata sit, in quam plurimae opes sponte confluunt, quamque omnibus ornamentis insignem esse par est, multis abundamus rebus, quas in minoribus urbibus haud facile reperias: quo maiorem nos Regi benignissimo debemus gratiam habere. Iam vero liceat paullo exspatiari latius, ut ex ipsarum quoque litterarum uteriore condicione intelligamus, quod supra dixi, moribus iustam

contineri libertatem. Etenim quum litterae non possint recte tractari, nisi varia omnis generis colligatur materia, ad quam rem indefessa requiritur industria; quum multa memoria teneri, via cuique disciplinae propria et quasi forma artis diuturno usu et exercitatione disci debeant; multum operae et laboris in his rebus ponendum est: sed cavendum, ne doctrina onustae mentes formulisque quamvis eruditis constrictae perdant id, quod litterarum est praestare potissimum, lumen libertatemque animi. Non sufficit doctum esse: sapientia opus est; sapientem cum Stoicis liberum voco. Ut quodammodo perfectus grammaticus, perfectus physicus vel mathematicus sis, ut aliam quamlibet artem vel scientiam perdidiceris: si deerit hoc, quod postulo, summum deerit. Sine dubio etiam si praescriptis quibusdam legibus teneantur animi, formulisque adstricti sint praepositorum, quas migrare nefas sit, una et altera ars, quae iis minus illigatur, multo successu excoli potest; quod egregiis exemplis docuit Societas Iesu: prudentissimo enim instituto etiam litteris ista excellere constituerat, partim quod eas reverebatur et diligebat, partim quod gloriam potentiamque suam hinc augeri et firmari intelligebat: sed quo propior quaeque disciplina sapientiae est, quo magis in summis generis humani utilitatibus versatur, non quae ad victum quaestumque pertineant, sed quae in notionibus positae sint mentes illustrantibus, eo magis quaeque impeditur istiusmodi vinculis, donec vi sua, quam aegre domes, perrumpat carcerem animus. Ita philosophia, quoniam illas, quas dixi, notiones imprimis extundit, sine libertate proficere non potest; nihilo minus huic potissimum omnibus prope aetatibus obstiterunt homines aeque imperiti ac potentes, nec tamen quod voluerunt consecuti sunt. Anaxagoram, qui primus mente adornari et gubernari universitatem rerum censebat, quasi impium accusarunt superstitiosi, damnarunt Athenienses, quamquam omnium Graecorum cultissimi, et animadvertissent in eum acerbius, nisi patronum habuisset Periclem, virum et patria civitate et aevo, quo vixit, longe superiorem: defuncto philosopho Lampsaceni aras condiderunt tamquam deo. Socrati quid acciderit, nemo nescit; iuventutem corrumpere visus est ille, qui mores eximie emendavit, qui a rebus externis et adspectabilibus ad semet ipsam revocavit mentem, ut sese ipsa cognosceret: illum postquam veneno interemerunt cives, mox paenituit publicae atrocitatis. Atque ut propius ad nostra tempora accedam, Iordanum

Brunum, qui sese iure philotheum vocavit, vivum cremarunt stolidi et cruenti inquisitores: afuisse illum ab impietate nostra concedit aetas, hos detestatur. Renatus Cartesius, qui atheus aliquot aequalibus religiosis habebatur, mox firmissima adversum atheos tela ministrasse visus est; in Benedictum Spinozam, qui libertatem hominis in Dei cognitione inesse, Dei cognitionem ad amorem Dei perducere, in amore Dei felicitatem mortalium repositam esse docuit, non sine furore invecti sunt permulti: hos obtegunt tenebrae, dum illius nomen manet et mansurum est, sanctissimumque illum et acutissimum fuisse etiam ii sapientes fatentur, qui ab eius abhorrent placitis. Quid quod superiori saeculo Christianum Wolfium ex hoc regno expulerunt turbulenti adversarii artes, qui sibi causam Dei et religionis naturalis adversus eum agere professus est? Sed illum honorifice revocavit Fridericus Rex, nec quisquam hodie dubitat, quin philosophia Wolfiana nihil sit innocentius. Denique nostra memoria Fichtius impietatis insimulatus est: perfugium ei praebuit haec civitas, piumque eum hominem fuisse novimus, qui cum eo viximus. Historiae quoque lucem non omnium tolerat visus: tamen haec quoque penetrat quidquid praetenditur caliginis. Nihil enim rerum vel absconditissimarum non rimatur curiosa priorum aetatum posteritas; nihil non aperit longum tempus, quod memoriae perpetuitate remuneratur virtutem et punit scelera. Ut lateant aliquamdiu delicta, ut probitatem obnubilet calumnia: superveniet mox dignus praeclarorum facinorum praeco, acer vitiorum insectator, qui ut ille Tacitus ingenii sui monimentis aeternitatem consecutus generis humani conscientiam ab oblivione vindicet. Sed quid loquor de historia? Ne mathesi quidem fuerunt qui parcerent. Quis crederet nostrum, Copernici et Galilaei astronomicis inventis a superstitione esse litem motam, nisi traditum a maioribus accepissemus? Quid, ne sanctissimae religionis incunabula humanis immisceam rebus, dicemus de Luthero iisque, qui ante illum et cum illo sacra emendare incepto audacissimo susceperunt? Quocunque oculos convertimus, praeiudicatis opinionibus defensos errores, veri cognitionem retardatam videmus: nec tamen id agitur, genus humanum progrediaturne an subsistat, sed qui progrediantur alacriter, qui fessi relinquantur. Enimvero sublata mentis libertate non modo profectus inhibentur, sed acceleratur ruina. Quod apud Dionysium Halicarnassensem legimus, Aristodemum Cumarum in Italia

tyrannum, ne in ullo cive generosus et masculus animus exsisteret, sublatis gymnasiis et armorum exercitationibus effeminare adolescentem prolem voluisse, iussisse pueros ut virgines comam alere floribusque ornare cincinnisque crispare et colligere in nodos, variegatas stolas ad talos demittere, a paedagogis mulieribus flabella et umbellas gestantibus in ludos saltatorios et ad tibicines et in balnea deduci, ubi unguentis perfusi comerentur ad speculum: id non tam corporibus labefactandis quam enervandis hebetandisque animis sensim perfectum labente Romano Imperio utroque est. Profecto ne illi quidem aetati decora defuerunt ingenia; sed ut invidiam evitarent, delituerunt domi non sine publico detrimento: interciderunt virtus et honos et quidquid supererat bonorum consiliorum; sed avaritia crevit et prava ambitio, valuerunt simulatorum et adulantium astutiae; postremo fracto robore imperii et nationum latissimi florentissimique Europae Asiaeque tractus in praedam cesserunt barbaris. Itaque quamvis licentiam minime ferendam, perniciososque conatus, qui rei publicae fundamenta evertant, omnino coercendos, et immane rerum novarum studium reprimendum esse intelligatur; et litteris quibuswis et ingeniis in qualibet disciplina elaborantibus, ne una cum viribus animorum attritis pereant regna, iusta conceditur libertas: quum praesertim quid verum sit, quid falsum, ratione et argumentis demonstrandum sit, non potentia et decretis constituendum. Et in hac re gravissima quid mores valeant, potest iam paucis dici. Nam quum olim etiam apud cultiores populos acerbissimis et capitalibus poenis esset in eos animadversum, quos deliquisse magistratus iudiciis saepe stolidissimis censuissent, quippe non modo haereticis et impietatis reis, cuius vindicta Deo potius ultori quam mortalibus committenda erat, sed incantatoribus et magis, qui nulli unquam fuerunt, ad ignem condemnatis: ita sensim disseminata humanitas et simplex quaedam sapientia est, ut moribus mollitis nefanda iam scelera vocarentur, quae olim erant aequorum iudicum sententiae visae. Minutus paullatim furiosorum istorum numerus est, qui in placita et opiniones vinculis et ferro grassandum, et quidquid alienarum de ulla re maioris momenti sententiarum ipsis displiceret, ad poenam trahendum iudicarent; denique haec communis prope universorum moderatio vicit leges et principes, qui veteribus arbitris vivae animataeque leges sunt. Sic moribus crevit libertas, quae vere Christiana est; non magis enim,

quam civile, aliud ullum servitium postulat religio nostra sanctissima. Hos mores, hanc temperantiam apud nos confirmavit ille, qui regnum confirmavit, Fridericus Magnus; hos non improbat Fridericus Guilelmus, sibi aeque ac suis imperans.

Graecarum Latinarumque litterarum admonet me immortale nomen. Constat Fridericum aetate provectum Graecos Latinosque auctores classicos, quorum ope restitutae doctrinae et artes erant, qui inde ab instaurato ingeniorum cultu scholasticae inserviebant institutioni, iussisse in gymnasiis diligentius atque ita potissimum tractari, ut scriptorum non solum vocabula mandarentur memoriae, sed etiam rebus, sententiis, doctrina, quae iis continetur, disserendi via et ratione, quam praeierunt insecutis saeculis, imbuerentur animi. Nempe ille quum libera cogitatione uti suos vellet, qua sola duce inveterati errores et prava generis cuiuslibet instituta corrigi possunt, rectissime haec antiqua et communia generi humano bona probavit, non modo quod imprimis perfecta sunt, sed quod, quid bonum, quid fugiendum sit, virtutes et vitia, populorum et principum res gestas, quibus illi magnitudinem et gloriam vel decrementa et postremo interitum sibi pararunt, integro ex illis iudicio cognoscere licet, non illo occupato praeceptis sententiis, intempestivis studiis, metu odiisque et cupiditatibus, quas praesens quoque aevo et in quaque civitate rerum status excitare solet. Quodsi hanc inde utilitatem percipere tenerae discipulorum mentes nequeunt, certe forma quaedam imprimitur vel inscientibus, et optimorum exemplarium praestantia allecti retinebunt viri, quae diligere pueri coeperunt, exercitamentaque adolescentulorum maturioris aetatis praeludent consiliis. Hoc quum sentiant viri prudentissimi, qui publicae institutioni hoc in regno praesunt, Friderici Guilelmi auspiciis floret vetustissimum disciplinae scholasticae institutum, licet id aboleri vel minui cupiant imperitiores, qui quamque rem ex pondere argenti rei publicae et privatis inde redundantis aestimant. Num vero universitatum litterariarum doctrinam censetis minus liberalem esse debere? At hae formandis publicis ministeriis conditae sunt, et in hunc usum aluntur. Audiò, sed mihi non persuadeo. Nondum tum, quum nascebantur universitates, certus et a ceteris hominibus quodammodo separatus officialium ordo institutus erat; et iure quidem civitas postulare potest, ut disciplina nostra alumnos dimittat, qui sustinere aliquando munera rei publicae possint, quod ii huic negotio

pares erunt, qui intelligentes in quoque genere litterarum sint, et ratione atque intellectu gubernantur civitates: ceterum docti et sapientes quaerunt ac praecipiunt verum, quod simul bonum et utile est, et una cum hoc patriae inspirant caritatem, sine qua nihil in orbe integrum. Verum autem, quod quaerimus, unum est, error multiplex; non aliud opinor in Hispania, aliud in Britannia, aliud in Germania verum esse potest, sed tantum pro ingenio caeli et indole gentium alia natio ad aliam morum perversitatem aliosque errores certo aliquo saeculo est proclivior. His occurrere quorum fuerit si non eruditorum? Quod quo tutius efficiant, cavendum est, ne transituris fluctibus eventorum vel alia ulla vi patiantur sese abripi, sed ut bene munita teneant edita doctrinae templa, unde pateat quoquoversum prospectus. Hanc viam ubi sequi docentibus licet, ubi praeterea universitates litterariae, quae ipsum nomen inde traxerunt, quod collegia sive corpora sunt res suas certis legibus regentia, non privantur iuribus, quae ipsis competunt, nec nimis vel iusto severius, sed moderate et benevole gubernantur ab iis, quos princeps curatores et quasi custodes addit, ibi vera mihi videtur libertas academica retineri. Qua comprehenditur etiam illud, quod, quum pares a paribus iudicandi sint, pares autem non quidem peritia et aetate, quibus praestare iudicem consentaneum est, sed loco et ordine studiosis adolescentibus praeceptores sint eruditione spectati, regimen morum et quae ad mores referuntur iudicia a docentibus exercentur. Nam illam libertatem non in comissationum et certaminum licentia, non in sodaliciorum tyrannide inesse, nostis et ipsi, commilitones dilectissimi, quorum modestia et integritas effecit, ut quamvis attendant magistratus, nullis prope animadversionibus longo ex tempore utendum fuerit. Quod iter si pergetis strenue, satisfacietis Regis optimi voluntatibus, gratiamque illi vos habere pro tantis, quae in nos omnes contulit, beneficiis, non modo verbis sed moribus demonstrabitis. Eandem gratiam universi et agimus et habemus Friderico Guilelmo, scholae nostrae statori et altori, qui non modo traditum a maioribus litterarum adiuvandarum studium retinet ac tuetur, sed illos longe superat munificentia et benignitate, ac per omnes provincias regni late propagati bonis artibus tam novas et florentissimas sedes condidit, quam vetustas lautius instruxit, neque institutionem publicam artioribus adstringit formulis, sed debitam tantum sacris legibusque reverentiam in-

iungit docentibus. Utinam quod Fridericus Guilelmus maxime exoptat, id contingat huic rei publicae, pax diuturna et tranquillitas, firmetque haec civitatem, non debilitet; utinam ea, qua sibi Fridericus Guilelmus venerationem et amorem conciliavit, regiminis lenitas, valente simul legum auctoritate integraque imperii vi, perficiat felicitatem populi, ad quam Rex benevolentissimus unice dirigere consilia consuevit, virtusque et fides, caritas et concordia, quae potentiores quavis potentia sunt, corroborent hoc regnum ab omnique vindicent discrimine. Denique vota nuncupamus sanctissima, ut Fridericus Guilelmus cum universa domo Augusta salvus, sospes, incolumis praestetur divinitus.

XXI.

Oratio natalicis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXIII. habita.

Convenistis vos mecum, auditores, ut, quemadmodum hodie non modo per universam hanc urbem, sed per omnes provincias et omnes imperii late patentis urbes, oppida, agros laeta a civibus aguntur sollemnia, ita hoc loco participes testesque essetis eius pietatis, qua res publica nostra litteraria, Friderici Guilelmi auspiciis et condita et florens, statorem et conservatorem suum prosequeretur. Nam profecto nos, siqui alii, non solum habere gratiam Principi benignissimo debemus, sed multae etiam causae sunt, quare, quibus perfusa sensibus pectora nostra sint, profiteamur publice. Inter quas haec non minima est, quod ex aliquot annis magis magisque alitur et disseminatur discordia, quae principum populorumque rumpere societatem iucundam et utilem minetur, et quod ea ipsa in universitatibus litterariis potissimum censetur radices egisse. Quodsi reputo, quantas vicissitudines inde ex eo viderimus tempore, quo schola nostra Friderici Guilelmi institutis praeclaris condita est; paucorum annorum spatium tantos videtur rerum fluctus eventusque et diversissimorum consiliorum ac voluntatum successiones adeo praecipites concludere, ut accelerato impetu moveri et currere orbem

credas, atque etiam qui nullo Epimenideo sopore pressus fuerit, non posse oviculam suam reperire; festinans aevum tot brevi rerum experientiam ministrat, ut quasi Cycni et Tarcones videamur cani nati. Qui primum civitatem vidimus funesto bello afflictam et quodammodo sub iugum missam: sed in summa calamitate optimum quemque consolabatur Regis dilectissimi constantia Principisque et populi consensus, qui una decreverant aut stare aut interire: nunquam mutua caritas acrioribus incensa stimulis est; nunquam firmioribus et fidei et amoris vinculis universa continebatur res publica: quo magis externo domino suspicionum pleno displicebant hae venerationis et pietatis voces optimo Regi dictae et acclamatae, tanto dici et acclamari lubentius et intentius. Mox corroboratis per res adversas animis viribusque vicit Rex cum sociis, nec tantum restituit imperium, sed auxit insuper; ex arvis sanguine tinctis laetissima provenit bonorum seges; gloriam secutae sunt securitas, opes, publica et privata prosperitas; nec nostra tantum civitas fruebatur tranquillitate et concordia, sed Germani consentiebant secum et nobiscum universi. Verum ut est genus humanum ad immodica proclive, mediocrem felicitatem non tulerunt diu omnes: ita ab iis, qui vana sectantur, incensae iactaeque turbarum faces; iam praesentis horae fructum non patitur nos sine curis percipere mala spes, dum undique, velut ensis super capite, impendet aliquis futuri metus. Attamen in hac conversione rerum, quae, etiamsi aliquamdiu vel sponte remiserit vel repressa fuerit morbi vis, nemini nisi improvido potest levis vel memoratu parum digna videri, salva constitit res publica Borussica, salva fides populi, caritas Principis: mutata tempora sunt, nos mutati in illis non sumus: et quo ardore in primis, quae Friderico Guilelmo in hac aula celebrata sunt, sollemnibus illius sumus nomen venerati, eodem ardore hodie summum precamur numen, ut egregiam animam omnibus iis impertiat bonis, quibus beari mortales, recreari mentes regnantium possunt. Haec vota ego pro vobis universis fundo, qui non tam orator, quam vestrorum sensuum interpres et praeco, quotannis in hoc suggestu publice constitutus, Friderici Guilelmi virtutes videor mihi interius perspexisse et multiplici esse cogitatione complexus.

Iam postquam in ipso limine orationis meae praecepi id, quod maxime a me exspectabatis, auditores, licebit paullulum digredi a rebus praesentibus, ut in fine eo redeam, unde exor-

sus sum. Nec tamen plane digrediar a proposito. Nimirum qua nunc discordia orbis terrarum vexatur, ea magis ex animorum commotione quam alia ulla ex causa paullo maiore nata est; malumque id est, sed malum a providentia admissum, quae ex ipsis malis adducit bona: quo uno solatio lenitur aegritudo, quam afferunt res minus faustae. Nihil dicam novum, nihil reconditum, nihil neque ubertate eruditionis nec sententiarum gravitate aut subtilitate insignius: quidquid egerunt et gesserunt mortales, per certamina actum gestumque magna ex parte esse, monet rerum prope universarum memoria. Nam ut Empedocli Agrigentino naturam rerum his duobus principiis, discordia et amicitia, moveri placuit, atque Heraclitus Ephesius rebus universis renitentem arcus lyraeque iuncturam tribuit et concentum ex dissonis, ac sine oppositis nulla fit compositio et generatio: ita humanas res agitat alitque contentio, ne per segnitiem et socordiam dilabantur, atque ita paratur eventus, qui divinitus constitutus est. Hoc imprimis adumbrat poesis, quam recte Aristoteles iudicat magis philosopham et praestantiorem historia esse, quod illa universa, haec singula proponit; illa igitur quum in tragoedia, severioris vitae speculo, non sine partium discordia, quae plurimis personas difficultatibus et discriminibus implicet, graviorem ullam actionem perficit et ad exitum perducit, ex quibus elementis conflata vita et sors humana sit, quamquam singulis fabulis tamen ostendit generatim. Et, quo eruditos prae ceteris attendere consentaneum est, animi vires quum in summo, quem natura finxit, concentu tamen in diversa abeant, et ad varias vitae ac studiorum sectas capessendas impellant eos, in quibus haec vel illa praevaleat vis; ipsa haec varia studia, licet ex eodem omnia proficiscantur fonte, diversisque formis unam et eandem exprimant divinam mentis humanae rationem, nihilo minus segregantur et dissociantur et inter se pugnant, ut postremo reconcilientur perfectius. Vetustissimae quidem animi humani cognitiones, quibus sane quam divinum quiddam suberat, in summi numinis versabantur conscientia, quam appellamus religionem; ex hac potissimum civilia manarunt instituta antiquissima, ex hac artes et doctrinae, quarum princeps philosophia. At religio quum ea formasset deorum nomina, figuras, ingenia, eaque illos fecisse et passos esse docuisset, quae placitis et narrationibus continentur mythologicis; supervenerunt mox philosophi, qui illis ipsis notionibus primi-

tivis imbuti atque ad altiora invenienda incitati erant: hi puriore usi ratione damnarunt mythologiam universam, atque ut Iuppiter patrem imperio privavit et vinxit, priscam vicerunt disciplinam, dum haec veluti Saturnus prolem devorans ethnicos illos haereticos suis invicem debellat armis. Quae discordia aeque est vetusta ac philosophiae incunabula. Sic Heraclitus et Xenophanes fabularum divinarum auctores Homerum et Hesiodum ob ea, quae de diis male dixissent, summa dignos ignominia iudicarunt; et Pythagoram ferunt prodidisse, Homerum sese et Hesiodum vidisse luentes apud inferos poenas earum, quas tradiderant, fabularum: sic Plato Homerum ex re publica sua perfectissima expellit, et universas istas de diis fabellas, vel in humanam commutatis formam vel more mortalium affectis, reiicit. Denique hoc discidium redit per singulas fere aetates, quod sacerdotalis disciplina consisti in traditis vult novaque aspernatur suo iure, scientia vero sapere ultra tradita et commune iudicium audet: donec post molestas multorum saeculorum controversias eo pervenerit utraque pars, ut neutrius praecepta alteri prorsus contraria esse intelligatur, sed et theologia placita sua ad scientiae revocet principia, et philosophia non modo concedat sed demonstret, formas, quibus divini numinis conscientia comprehensa in religionibus est, esse necessarias et ex ipsius mentis divinitate profectas: qui consensus inde a nostra aetate adduci paullatim videtur. Quid vero artes? Nonne divino instinctu statuarii et pictores ad exprimendum adspectabilibus simulacris illud unum et secretum impulsi sunt, quod maiores nostri sola videbant reverentia? Nonne ab initio universus artium chorus caerimoniis et cultui deorum inserviebat? Nonne musice quoque et poesis universa divino repletae spiritu sacra concelebrabant et ornabant inde a suis originibus? Verum quae antea conspirabant unice, religiones et artes, ita postea plus semel diremptae sunt, ut frangerentur imagines, nihilque simulacris et commissionibus scenicis videretur esse scelestius, postremo ut scenici quasi impii arcerentur a communione sacrorum et sepulturae. Nunc, quamquam haec et talia summa olim contentione agitata sunt, quotus quisque est sacerdotum vel theologorum, qui infensus tabulis pictis sit, aut qui theatra, vel in hoc scenicae poesis decremento, malorum daemonum censeat domicilia et officinas esse? Maiores etiam simultates inter sacrorum antistites civitatiumque rectores mature admodum natae

sunt. Etenim heroica iam Graecorum aetate, qua tamen religionis, qualiscunque fuit, nodis animi hominum obstringebantur toti, ac vix dum ulla paullo luculentior prudentia civilis emerserat, augurem rex ambitionis, mendacii, fraudis incusat, regem augur deorum contemptus, superbiae, tyrannidis: ac licet Christiana fides utriusque partis fines interioribus et certis videatur terminis constituisse, quo illa sanctior et quo potestas pontificia maior fuit, tanto vehementius exarsit certamen, quod ne bellis quidem usque ad internecionem gestis funditus exstinctum est, sed in multis Europae terris etiamnunc nutritur palam vel clanculum: quamquam sacrorum emendatio quarto saeculo superiori coepta nec sine sanguine effecta firmae praelusit paci, qua fruentur posteri. Praeterea civilis disciplina ut cum sacerdotibus, ita cum iis, qui reconditiori et abstrusiori philosophiae cognitioni operam dant, incidit in dissensum, quum tamen eadem illa ratio, quam quaerunt sapientiae studiosi, etiam civitatem permeare paullo perfectiorem videatur, siquidem, quod ipsis philosophis auctoribus profitetur vir rerum publicarum haud mediocriter peritus, M. Tullius, lex illa, qua reguntur civitates, est summa ratio insita in natura et in hominis mente confirmata et confecta, quae iubeat ea quae facienda sint, prohibeatque contraria. Atqui ut nihil dicam de cupiditatibus et partium studiis, quibus aliquando transversi aguntur potentes, sive illi principes sunt sive factionum duces: ut depravantur humana quaevis, lex haud raro ex commodo dominantium fertur, damnosumque istud sophistae cuiusdam placitum, iustum esse quod fortiori utile est, longa rerum confirmat experientia. Quod ut probaverit Machiavellus, prudentium neutiquam ultimus, ita nefas probare sapienti. Et qui negotia publica gerunt, necessario se immensis rerum singularum ingurgitant fluctibus, quibus iactati hebescunt fere ad notionum universarum contemplationem, quemadmodum ii eruditorum, qui in singulis potissimum rebus indagandis versantur, ab earundem notionum intelligentia avocari solent: contra philosophi in quavis re sectantur generale illud, quam appellant ideam, singularum rerum subinde minus quam debebant callidi. Itemque illi in eo, qui quoque tempore praesens est, rerum statu facile acquiescunt, studentque eum, quantum fieri potest, conservare vel lento progressu corrigere: hi saepe neglectis, quod Thaleti illi exprobratur, iis quae ante oculos posita sunt, futuram generis humani perfectio-

rem condicionem longius proiecta cogitatione occupant et quasi divinando praecipiunt. Iam satis est causarum, quare alteri reluctentur alteris. Igitur quod unum novimus absolutae inter philosophiam et politicen concordiae exemplum, societatis Pythagoricae in Italia potentiam, brevi transisse videmus, quod turbulenti homines plebem adversus viros sanctissimos et sapientissimos excitarant et Pythagorcorum concremaverant curias; Athenis vero quum primum disciplina morum subtilius tractari a philosophis coepta est, plebis dominationem imprudentem, inconstantem, tyrannicam reprehenderunt sapientes, atque his rursum infensi homines rem publicam gerentes, qualis ille Anytus fuit, iuventutem a philosophis corrumpi clamitabant, quippe quam a popularis imperii reverentia avocarent: neque alia ulla tam intima causa fuit, quare Atticae philosophiae dux et auctor condemnatus est, quam quod Critiam et Alcibiadem, novarum rerum studiosissimos, habuerat discipulos et sectatores. Mox Plato negotiorum publicorum et scientiae repugnantiam adeo exaggeravit, ut qui inde ab adolescentia in iudiciis et circa forum volutarentur, ad eos, qui in philosophia et huiusmodi studiis educati essent, quasi servos ad liberos comparatos esse diceret; ut hos ab ineunte aetate putaret ne viam quidem in forum nosse, neque ubi iudicium vel concilium vel alius publicus civitatis ageretur conventus; leges vero et decreta vel dicta vel scripta neque audivisse nec vidisse, atque de ambitu et coniurationibus ad creandos magistratus faciendis et sodaliciis ineundis ne per somnum quidem agitare, sed re vera eorum tantum corpora in civitate habitare, mentes vero ista omnia parva vel pro nihilo censentes in altioribus esse cogitationibus occupatas: at civiles istos et causidicos acerrimos, qui rideant philosophi imperitiam, ubi quis eos ad supera erigere tentasset, aut ipsi digrederentur a tali quaestione, „Quid tibi ego iniuriae feci aut tu mihi?“ ut inquirerent, quid esset iustitia et iniustitia ipsa, et quid hae a sese et ab aliis notionibus omnibus differrent, aut si a sententia hacce, „Beatus est rex multum possidens auri“, ad quaestiones de regni natura et de humana felicitate et miseria generatim considerandas transissent; his igitur de rebus ubi eos reddere rationem oporteret, corripi vertigine quasi in alta positos specula, unde prospicere non sint assueti, consiliique inopes et aegre ferentes barbaras proferre voces. Posthac, quod philosophi regium fere imperium, temperatum id

quidem et liberale, probabant unice, multis illi conflictati periculis sunt; post Alexandri Magni obitum ipse Aristoteles impietatis reus excessit urbe; Theophrastus eandem quidem causam, quum esset ab Hagnonide accusatus, egit felicius, sed postea is quoque ad breve tempus secedere coactus est, quum Sophocles Amphiclidae filius pertulisset legem, ut ne quis philosophorum scholae praeesset, nisi Senatui Populoque placuisset; qui secus fecisset, capitale esse: quo decreto omnes philosophi videntur Athenis pulsi esse, donec anno post abrogata lege Sophocleque multato reditus concederetur. Romae quoque comperimus sexto urbis saeculo exeunte, postquam verba facta sunt de philosophis et rhetoribus, ita censuisse Senatum, ut Praetor animadverteret curaretque, uti ei e re publica fideque sua videretur, ut Romae ne essent. Quid dicam Domitianum, qui sapientiae professores et philosophos omnes, ut olim Tiberius histriones, urbe Italiaque summovit, atque, ut ait Tacitus, omnem bonam artem in exsilium egit, idque ob solas laudes Paeto Thraseae et Prisco Helvidio ab Aruleno Rustico et Herennio Senecione tributas? Quid quod Iustiniano Imperatore philosophis ethnicis in Perside quaerendum perfugium fuit? Itaque videmus ex causis diversissimis, modo quod optimatium, modo quod regio imperio, modo quod priscis institutis et caerimoniis favebant, philosophos invisos fuisse dominantibus. At nostra aetate prope obsolevit haec discordia: paullatim multa, quae sapientes praeceperunt, in ipsas recepta leges sunt: scientiae luminibus illustrari civitatem debere consentitur; doctique intelligunt ipsorum disciplinam non debere oppositam publicae esse, sed utraque emendandos mores, levandam mortalium miseriam, pellendas erroris tenebras, denique perfectiorem generis humani statum esse adducendum. Quodsi nondum id assecuti sunt homines, quod Platone arbitro summum est, ut vel philosophi imperent vel imperantes philosophentur, non tamen utrique tanto etiamnunc separantur intervallo, quanto tum, quum illi difficile fuit satiram non scribere in rem publicam. At magis, quam quae hucusque exposui, mireris quod scientia ne cum artibus quidem perpetuum aluit consensum. Nae illud haud videtur fortuitum fuisse, quod qui primus fere mentem ab rerum naturalium contemplatione in semet direxit ipsam, sculptor fuit, Sileno quidem similis ipse, sed haud invisus Gratiis, quas fertur eximio fabricasse decore: at illum paenituit artis et Gratiarum marmore expressa-

rum, quod in mentis humanae Gratias interiores intueri malebat. Atque huius discipulus ingenio longe praestantissimus pari fere usus est sorte; qui quum natus quodammodo ad poesim, adolescens admodum prope omnia huius artis exercuisset genera, epicumque carmen, Homerum aemulatus, et melica et tragoedias composuisset, mox totum versuum suorum acervum igni cremasse dicitur, ut solam factitaret philosophiae musicen. Hos igitur videmus haud dissimilibus de causis ac postea Christianas aliquot sectas poesim et artes omnes imitatrices (nulla autem non imitatrix est) sprevisse, ut quae imaginum imagines, umbrarum umbras, non puras et absolutas rerum notiones et, si Ciceroniano vocabulo uti licebit, essentiam redderent et repraesentarent; ac si Aristoteles artibus minus iniquus fuit, quarum naturam ut reliquarum rerum omnium indagare conatus est, eas certe posthac philosophia si non disertis verbis tamen neglectione sua longum per tempus contempsit, donec quas aspernata erat florentes, superiori saeculo amplexa est senescentes et magna ex parte iacentes, novoque vocabulo quamvis incommodo novam formavit disciplinae suae partem, quae tota in artium versaretur principiis constituendis. Ita hoc quoque discidium sustulit aetas, atque intellectum est et artem et scientiam ad eundem tendere finem, ut in fluxis his et fragilibus rerum, quae sub sensum cadunt, formis divinae mentis noscantur vestigia. At vero quemadmodum mundi universi ratio in singulis eius partibus quasi minore aliqua mundi specie expressa videtur; ita quod discidium inter potissima, ad quae animus humanus applicatur, studiorum genera obtinuit atque aliqua ex parte etiamnunc obtinet, idem intra ipsos illorum studiorum fines repetitum videmus. Igitur in nulla disciplina non sunt innumerabiles sectae natae, quarum aliae historiae, aliae philosophiae, rursum aliae rationi, aliae fidei vel obscuro cuidam veri sensui, aliae experientiae plus tribuunt; ex quibus omnibus in manifesta dissensione occultus quidam conciliatur concentus: Ex omnibus unum et ex uno omnia. Postremo si ipsa mens natura sua descendere in has pugnas cogitur, quidni urgeant necessitates cupiditatesque, quibus populorum incenduntur bella tam extera quam domestica?

Haec hactenus: nunc paucis absolvam, quae videntur dicenda superesse. Quippe Deus liber est ab errore, malo, discordia: mortales oportet et mala perpeti et dolere, quod necesse

est bono semper aliquid sit oppositum, commoveri perturbationibus, gaudia et aerumnas et imbecillitatem humanam experiri, ut probatiores et purgatiores prodeant ex discriminibus, errare, ut corrigatur error, discordare, ut concordiae desiderio capiantur tanto vehementiori. Et haec dissona in concentum cogenda sunt: quod quo magis perfecerint homines, eo magis assimilabuntur Deo. Neque vero tollendis et exstirpandis viribus oppositis conficitur harmonia, sed componendis et temperandis: nec frigido nec calido sublato fit caeli temperies, ac rursum neque humido nec sicco; ipsa musice, quae maxime studet consonantiae, miscet contraria, acutum et grave, celere et tardum, et admittit aliquando etiam dissona, quae solvat: tolle dissimilia, harmoniam ipsam sustuleris. Sed in re publica is, qui summae rerum praeest, unus omnium est aptissimus ad componenda contraria, idque eo perficere certius poterit, quo maiore fuerit potestate praeditus: qui si insuper minime cupidus erit, etiam cupiditates subiectorum sedabit, non accendet; si providus et benignus, consulet eorundem necessitatibus, ita ut novarum rerum molitoribus ne praetextus quidem relictus sit. Quis igitur exoptatior hac aetate rei publicae gubernator esse potest quam Fridericus Guilelmus? Hic populum conformavit ad consensum, in quo summa civitatis virtus posita est; hic ab omni superbia longissime abhorrens suo exemplo etiam cives assuefecit moderationi; hic providit commodis fortunisque subiectorum; hic in communi patria, quod de Pompeio et Traiano praedicat Plinius, auctoritate, consilio, fide reclusit vias, itinera terris reddidit, cognatasque gentes miscuit commercio nimium diu prohibito. Hic suum cuique tribuens etiam diversos illos orbes, in quibus mentis humanae studia versantur, ita in hoc regno compositos retinet, ut nullus in detrimentum reliquorum emineat. Non civilis potestas premit ecclesiam, non ecclesia rei publicae munia invadit; non negliguntur a civitate neque artes nec doctrinae, non praescribitur docentibus formula, nec scientiae magistri suos migrant fines; denique omnes artes et disciplinae cohabitant concordes. Dividant has eae civitates, in quibus divisa a re publica ecclesia, divisae ab utraque litterae: apud nos coaluerunt firmiter; nos non metuimus contagionem. Haec vero moderatio per universam rem publicam diffusa pignus est mansurae felicitatis; superbia suis perit ictibus, et quidquid sese nimium extollit, ex ordine et naturae et humanarum rerum divinitus

constituto serius ocius deiicitur strage tanto funestiore. Qua superbia nunc correpti ambitiosi quidam partem iuventutis traxerunt, quae mirari illicita solet et corruptoribus aurem praebere; quae oblita est etiam in liberrimis civitatibus antiquitus ita institutum esse, ut adolescentes quamvis liberaliter educati et habiti non tamen licenter immiscerentur rei publicae gerendae, sed essent sub cosmetis et gymnasiarchis et sophronistis; quae nescit, quod scriptor libertatis amantissimus praecepit, obsequium et modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis pervenire, quo alii per abrupta, sed in nullum rei publicae usum ambitiosa pernicie inclaruerint: quod quum ille de ea aetate dixerit, quae iniquissimos perpessa dominos esset, quanto verius dicetur de regnis acquissimis et iustissimis? Sed istum morbum quis defendat et propulset melioribus consultis et successu faustiore quam Friderici Guilelmi mens serena et temperans? Cui sine ulla assentationis suspicione acclamare cum pocta licet: Tu vero es medicus opportunissimus, Paeanque favet fortunae tuae! Itaque in Friderici Guilelmi benignitate, virtute, sapientia acquiescit haec res publica; ab illo optimisque illius consiliis bona quaevis, quae consequi in hac rerum condicione et pro huius regni opibus viribusque licet, habet atque exspectat. Huic eo amore, quo ipse suos amplectitur, ea pietate, quam in ipso inesse nostis universi, a divino numine iterum precamur prosperrimum inceptorum cursum, longamque et vegetam, et nullo malo, nulla aegritudine contristatam senectutem; huic nos, beneficiis etiam devincti, summa obligamur religione, atque ut in eius gratia et favore scholae huius ab ipso conditae perpetuum et firmissimum sit praesidium collocatum, exoptamus venerabundi et oramus etiam atque etiam.

XXII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXIV. habita.

Fuit anni millesimi octingentesimi noni mensis Augusti dies sextus decimus, minister Regis illustrissime, auditores omnium ordinum spectatissimi, quum Fridericus Guilelmus Regimontii, ubi tum sedem regni habebat, rescriberet ad plures ex ministris et consiliariis, placere sibi et rata esse, quae illi de condendo Berolini studio generali, ut vocabant maiores, rettulissent, atque eam sibi rem adeo videri gravem tantoque momento futuram ad altiorem animorum eruditionem non solum in re publica Borussica verum etiam ultra huius fines latius disseminandam et propagandam, ad viros in quovis genere litterarum principes alliciendos et huic imperio conciliandos, postremo ad academiarum Berolinensium variorumque, quos haec urbs contineret, apparatuum et institutorum litteris inservientium quasi in unum corpus coniunctionem cum fructu perficiendam, ut nollet differre institutionem talis scholae, quae antiquo universitatis litterariae nuncupata nomine et iure honorum academicorum impertiendi instructa et ornata in hac urbe et in his, ubi nunc convenimus, collocaretur aedibus. Omitto quae addita sunt alia vel mox effecta, vel remissa temporibus et secundis commendata curis. Ille dies nobis haec fecit otia, collegae, studiis vestris providit, commilitones; ipse, quem Rex benignissimus huic domui inscribi iussit, titulus ad illum annum refert donationem plane regiam. Itaque quamquam anno post demum coepta munia nostra sunt, atque adeo octavo demum anno dedicata sollemni ritu haec schola est, ab illo anno et illo die vere natali repetemus et computabimus universitatis primordia: qua ex computatione iustissima quum in diebus paucis, quibus hunc conventum Friderici Guilelmi nataliciis celebrandis agimus, quinque lustra exactura sit universitas Friderica Guilelma, primum ac fortasse laboriosissimum contentionis stadium non sine decore opinor emensa; quidni in conditoris nataliciis auspicatissimis accipiamus simul memoriam nostrorum quasi natalium? Quippe

haec memoria ad Friderici Guilelmi laudem revocanda unice est; ita ea simul minus ambitiosa erit, minus aliena ab huius temporis ratione, quae nunc quum maxime non sinit universitates de rebus suis gloriari et sibi magnopere gratulari, denique convenientior ei modestiae, qua modestia dedicationem quoque universitatis ante hos septendecim annos celebratam egregie praestitisse scimus qui affuimus. Sed mihi ut nunquam non acceptum fuit Friderico Guilelmo et vestro nomine, auditores, et ex mea ipsius persona agere gratias pro summis, quibus nos et universam civitatem beavit, commodis; ita quotannis hoc munus debet videri acceptius, quo diutius nos in Regis permansisse gratia singulorum adiectione annorum experimur identidem. Tamen est quo mihi haec turbetur iucunditas. Qui si ex animo meo comparabor, non hercle diffido futurum neminem, qui Regem praedicare possit intentius ac sincerius quam ego, et videri dignior esse hoc munere obeundo, quod ego hodie pro vobis universis sustineo. Sed animo sufficere opus est vires; quae quamquam crebra confirmari exercitatione putantur, tamen quis non intelligit, modicas facultates usu frequentiore exhauriri, et multum pugnando retundi mucronem ingenii, facileque doctis auribus fastidium afferre genus orationis multa auditione nimis iam cognitum, nisi quotiens verba facias, ea summa variaveris arte novisque distinxeris ornamentis. Quare mihi videor temeritatis culpa onerari posse, qui audeam argumentum idem quamvis nobile et magnificum una et vicesima nunc oratione illustrare. Anne igitur cedam loco? Nondum ne nunc quidem, donec vestra, auditores, supersit indulgentia, quam scio nec prius mihi defuisse nec defuturam hodie. Nam ipsi vobis potius, collegae carissimi, quam mihi meam istam imputabitis temeritatem, qui malitis me post tot stipendia retineri sub vexillo quam rude donari; et curam, quae subeat, ne digna iam Rege oratio mea futura sit, iis propello verbis, quibus magnus naturae mystes Plinius in simili utitur causa, Tito Vespasiani filio offerens opus suum: „Verum et diis“, inquit, „lacte rustici multaeque gentes supplicant, et mola tantum salsa litant, quia non habent tura.“ Et quid desideres tura, ubi opus laudat artificem? Abunde namque laudata fuerit Regis et sapientia et benignitas, ubi quibus ille consiliis, quam generosis et magnanimis, quam nova nullique antea tentata via, condiderit hanc artium sedem, adumbravero; abunde illius prudentia, ubi consiliis do-

cuero respondisse successum; abunde eius constantia, ubi nihil remissum per vicissitudines temporum esse demonstravero, sed perpetuo studio ac munificentia servatas et auctas res nostras a Friderico Guilelmo.

Nam si eam excipimus aetatem, qua universitates litterariae in magnis natae urbibus sunt, quod in has omnis, quae tum extra monasteria esset, confluebat eruditio, ac si iure nostro certas quasdam universitates, quae etiam hoc saeculo in principibus quibusdam superesse urbibus videntur, negamus universitates esse nisi nomine tenus; novum hoc inceptum fuit, auditores, quod in potioribus potissimum urbibus institui has scholas voluit Fridericus Guilelmus: quae ita tum distributae sunt, ut ex tribus regni partibus Borussia proprie dicta Regimontii, Silesia Vratislaviae, ceterae Germanicae provinciae, quae quidem supererant ex ingenti naufragio, Berolini suam haberent bonarum artium sedem. Ita videbatur fieri posse, ut, quoniam maiores urbes et sedes principatus lautiorem suppeditant apparatum, ab hac quidem parte plus praestaretur minore sumptu; ut, quod dominari adolescentium quamvis frequentium exigua manus in magno oppido non posset, civium academicorum mores fierent modestiores; praeterea ut scientiae sublimiori et subtiliori conciliarentur illa ipsa capita provinciarum, nec secundaria essent litteris, quae loco et ordine primas tenerent, atque ut litterati minus seiuncti essent a summi regiminis administris, sed doctrinae penetrarent quodammodo in civitatem, doctique rursum minus alieni a publicarum ratione rerum fierent, minusque quod aiunt umbratici. At novitas tum effecit, ut aleae plena haec videretur res: metuebatur corruptio iuventutis, insidiae voluptatum et luxuriae, quibus infectae magnae urbes essent: metuebatur etiam libertati illi academicae, quam maximi faciunt veteris disciplinae amatores. Quippe obliviscebantur plurimi, oppida etiam infrequentiora et ea potissimum, in quibus universitates litterariae constitutae sunt, habere secretas suas libidines; licentiores ibi haud raro compotationes celebrari et Bacchanalia vivi quam in ipsis primariis urbibus; et iustae libertati, si modo absit superbia et petulantia, non obesse urbis frequentiam, quae suo quemque sinat modo vivere; neque eam esse libertatem, ut liceat impune insultare civibus et innocentissimum quemque ludibrio habere. Ne multa: Friderici Guilelmi iudicium ita confirmavit eventus, ut, quod nec locorum amoenitas, nec vini

copia, nec venia insolentiae quemquam ut huc concederet allexit, nulla pars iuventutis egerit innocentius quam nostra haec cohors, nulla insignior fuerit studiorum alacritate, industria, severitate, immo ut iam fateantur plurimi, atque imprimis rerum publicarum praesides, nihil esse utilius hac universitatum in urbibus principibus habitatione tranquillissima. Quem quidem locum exponerem etiam uberius, nisi, dum in eo versor, recordarer eum iam olim a me esse de industria explicatum: cui enim non accidat, ut in eodem argumento tractando recurrat eadem subinde cogitatio vel sententia? Atque ultro vereor, ne, quamvis studeam omnem rerum nostrarum devitare ostentationem, imprudens videar obtrectare socias universitates communibusque nobiscum utilitatibus coniunctissimas, ac nostra commoda ex aliorum incommodis comparare: id quod nullo tempore quam nunc factum fuerit iniquius. Profecto enim pleraeque omnes de litteris merentur optime. Neque vero Fridericus Guilelmus in unam omnia formam redigenda censuit: retinuit universitates etiam eas, quibus alia oppida ornantur et augentur, et has ipsas longe instruxit luculentius, novamque insuper in oppido antiquissimo Rheni ad ripam condidit artium optimarum scholam, patrii ocellum fluminis, lucidam coronae Borussicae gemmam. Quam vere autem Rex sapientissimus auguratus est, universitatis nostrae magnam etiam in eo vim fore, ut litteraria omnis generis supellex, quae per hanc urbem erat sparsa, recte componeretur, amplificaretur, communi proponeretur usui. Nam hi thesauri ex eo inde tempore potissimum inclaruerunt, ex quo in universitatis fructum conversi sunt liberaliter: neque illi unquam tantam adepti copiam, utilitatem, dignitatem essent, tantumque ipsi urbi attulissent ornatum, nisi studia Berolinensia acrius incitasset universitas Friderica Guilelma. Haec est enim studiorum in Germania ratio, ut neque scholae quas vocant speciales, quarum tenuitas et languor nonnullis perplacet, neque academiae doctrinarum quamvis eruditae et splendidae, neque ulla alia instituta scholastica tantos mentibus stimulos adiiciant, tanto bonarum artium summa contentione colendarum ardore incendant iuveniles animos, quanto haec universitatum disciplina, sine qua, ut nunc quidem comparatus populorum Europae cultus est, litterae non videntur vigere et florere posse. Quod vero Princeps optimus sibi persuaserat fore, ut huius universitatis institutio plurimum ad mentes formandas valeret non solum in

terris ipsi subiectis sed etiam ultra fines imperii, id quantopere comprobatum eventu censetis? Etenim quum inde ab incunabulis ea fuerit civium frequentia, ut modicas universitates aequaverit nostra; tum, postquam calamitate faustissima accidit, ut generosam iuventutem in castra evocatam dimitteremus haud inviti, quae sese ea tempestate pro salute Regis et patriae devoverat sponte, cum populo universo libertatem nostram gloriamque Borussicam imperiique integritatem et cetera bona sanguine suo redemptura et recuperatura, non modo damnum huic scholae datum statim reparatum est, sed auctibus continuis ita mox increvit civium numerus, brevi ut reliquas universitates superaremus omnes; ne lues quidem, quae abhinc triennium permultos commilitones pepulit, multum imminuit res nostras; ita ex omnibus provinciis et ex reliqua Germania atque etiam ex peregrinis terris denuo affluxit flos iuventutis. Quippe quam eximiam hic adolescentibus studiorum palaestram Fridericus Guilelmus aperuerit, vident et populares et exteri. Nec vereor adeo, ne in peritorum reprehensionem incurram magnopere, ubi paullo fortasse ambitiosius dixero in transitu, hac scholae nostrae celebritate effici, ut regni Borussici virtus magis intelligatur, dum bonae iuvenes indolis undique huc affluentes propius cognoscunt huius rei publicae bona et commoda, et quod saepe sum expertus ipse, nominis Borussici existimatione sensim imbuuntur ac trahuntur vel nolentes et quodammodo inscientes. Quodsi Fridericus Magnus litterarum in suis et exteris terris incremento providere studuit academia doctrinarum munifice instruenda, quae illo rege viris in suo genere principibus, claris praecipue mathematicis et philosophis, floruit imprimis, Fridericus Guilelmus, ut eundem consequeretur finem, id praetulit institutum, quod vere Germanicum esse affirmant plerique omnes, et quod ad eam rem longe est efficacius; convocandisque qui in universitate docerent professoribus non modo eruditionem huius urbis aluit mirifice, sed augendae ex popularibus simul eius societatis quam Fridericus Magnus dilexerat unice, copiam fecit uberrimam.

Vetus hoc est regni Borussici decus, auditores, neque id ab indigenis ipsis vana magniloquentia iactatum, sed celebratum nationis eruditissimae cuiusque ore, quod non magis armis, quam animorum cultui illius innixa sit potentia. Id vero acrius perspectum est per illos annos, quibus clade funestissima afflicta iacuit res publica: quanto magis iuvat recolere illius temporis

memoriam, quo Friderici Guilelmi sapientia ita usa est, ut ex ipsis rebus adversis summas eliceret prosperitates. Tum nihil non factum est, quo latentes in pectoribus et ingeniis vires, quas nec tributis imperandis, nec praesidiis imponendis, neque ulla alia iniquitate exhaurias, nutrirentur ac foverentur cura diligentissima. Huic curae nos debemus vitam, collegae et commilitones, non quam natura dedit cum animalibus communem, sed qua vigent mentes nostrae: hanc curam quaelibet in hoc regno artium bonarum scholae expertae sunt. At pro dolor! tantum degeneravimus his quinque lustris, ut iam sint qui dicant, tum quum instaurarentur scholae, satam esse hanc perniciem, quae iam per universam serpat Germaniam, ut novas res moliatur iuventus audacissima: mira animorum inclinatione, quae hostibus olim invisa fuit Germanicarum scholarum indoles, ea nunc probatur exteris, displicet nostratium nonnullis, qui sibi patriae caritate duci videntur; olim illas ab externa calumnia defenderunt viri ingeniosissimi, inter quos fuerunt etiam huius scholae doctores imprimis conspicui; nunc de iis exarsit bellum quasi civile. Et quod maxime doleas, ne isti plane perfricuisse frontem tamquam delatores videantur, faciunt scelera et flagitia, quae aliqua veri specie imputentur et universitatibus et reliquis scholis. Enimvero plurimi istorum, qui quales scholae et universitates vel sint vel esse debeant, in diariis atque in ipsis ordinum civilium contionibus quibusdam iudicant, earum indolem ac rationem non melius habent cognitas, quam res publicas adolescentuli, quorum inconsiderata de his iudicia ipsi illi institutionis publicae taxatores aegre ferunt merito. Modo nobis invidetur et exprobratur haec umbra formae ac iuris collegiorum quod ex medio retinuisse aevo dicimur, priscorum institutorum nimium tenaces; modo prorsus contra, vetera aspernari, captare nova putamur, libertatique vel potius licentiae studere. At recte aestimantibus alterum altero iustissime temperatum videbitur: nam illa collegiorum vincula adeo laxata sunt, ut nihil relictum sit illiberalius; licentiam, quantum penes nos est, cohibemus: quam ubi non contigerit radicitus tollere, quid mirum nobis non contigisse, quod ne principes quidem fortissimi et potentissimi efficere potuerunt? libertatemque nobis eatenus vindicamus, ut censeamus nihil quemquam docere debere, quod non ipse probet: non imperari posse, quae docenda sint nec quomodo, sed quod quisque verum esse accurate inquirendo intellexerit, ab eo non

licere transversum unguem discedere: neque ideo docendum esse, ut quae tradantur, vel calamo vel memoria excipiat auditor, sed ut discipuli ipsi libera cogitatione penetrare litterarum adyta assuescant; neque hos certis quibusdam placitis ex praescripto ut servos condocefaciendos et imbuendos ad certa ministeria esse, quae deinde sine affectu obeant et exsequantur, sed ipsam rerum divinarum et humanarum interiorem rationem esse quantum valeamus explicandam, verique et boni et pulchri amore flagrantissimo implendos animos iuveniles. Quod quum vellet Rex, non dixit se universitatem condere, ut ad ministeria et officia publica formarentur adolescentes: quamquam eos ad haec quoque artium et doctrinarum recta institutione formari non dubium est: sed ut animorum cultui consuleret tam suis in terris quam ultra fines imperii. Ista vero paucorum flagitia non ab universitatum doctrina manasse luce clarius est; ac si ex nostra schola aestimare ceteras licet, ne disciplinae quidem academicae lenitate, quae non tanta est quanta putatur, effectum est, ut ea potuerint committi. Profecto alia momenta impulerunt Gallias, Italiam, Belgium, Poloniam, Hispaniam, Lusitaniam; iisdem motibus et communi aetatis labe, cuius origines indagare nostrum non est, tracti aliquot Germanici iuvenes sunt, ut novas molirentur res, non scholarum disciplina incitati. Sed ut barbaris saeculis ingruente pestilentia plebes superstitiosa et naturales rerum causas inquirendi nescia solebat Iudaeos incusare, ut qui puteos et fontes veneno infecissent: ita cultioribus aetatibus ingeniosi quidam sibi in eo placuerunt, ut maximarum quarumque turbarum semina esse a doctis sparsa demonstrarent credulis. Quis nescit, quaeso, quotiens decantata ista fabula sit, philosophiam, quam vocabant, philosophosque et encyclopaediae auctores adduxisse ingentem illam in Gallia rerum conversionem, qua orbis universus vehementius quam terrae motu concussus est? Nae isti philosophi si tantum efficere potuerunt, non desperabimus Germanicam philosophiam ex puris notionibus esse aliquando novum aliquem mundum procreaturam: quam illi facultatem hucusque non ausa est nisi comoedia tribuere. Quid quod nonnullis etiam hoc placuit, nec sine quorundam plausu acceptum est, quoniam quas de veterum civitatium condicione tenere nobis videamur notiones, ita imperfectae et falsae sint, ut ne prima quidem civilis Graecorum et Romanorum disciplinae elementa teneamus nisi confusa et erroribus turpissimis cor-

rupta; intelligi iam posse, quam recta et vera scriptorum veterum explicatio reddatur in scholis, quam firmis fundamentis nitatur cognitio libertatis veterum civilis, qua scholarum magistri imbuant discipulos: nempe et docentes et discentes pro claris et distinctis notionibus et sententiis obscuros aliquos et inconditos sensus aucupari, quibus animos suos ad perturbationem usque commoveant, pro modesta et proba confessione ignorantiae iudicium sibi arrogantes de institutis civilibus, quae ne viri quidem in negotiis publicis versatissimi potuerint hucusque pernoscere: igitur quaerendum esse, sitne rationi consentaneum, ut adolescens proles inde a pueris sumptu publico assuefiat, instituatur, erudiatur ad levem ac summis labris degustatam rerum publicarum aestimationem, et ad falsas, pravas, perniciosas de iis notiones concipiendas. Quod quum ex aliquot iam saeculis obtineat, nostro vero saeculo studiosius fiat quam unquam, non esse mirandum, si incredibili nunc festinatione iurium publicorum quorumvis postuletur abolitio et concedatur aequo animo, populique Europae, moribus hoc publicae institutionis vitio corruptis, inscientes ruant et revertantur in barbariem. Haec et talia qui iactant confidentissime, nonne scholarum nobis magistros tamquam aliquos Gracchos describunt? nonne Graecis Latinisque litteris tractandis turbas civiles quaslibet et ipsam barbariem adduci affirmant et vaticinantur? Attamen alii queruntur potius, quod grammaticorum subtilitate nimium exerceantur pueri; et certe grammaticis praeceptis plurimum tribuitur in scholis nostris et nunquam non tributum est: denique illi scholarum magistri, quibus tantopere diffiditur, partem multo maximam studiis severis et abstrusis ita occupati sunt, vix ut publicis rebus examinandis vacent, discipuli ita subiguntur omni genere eruditionis liberalis perdiscendo, vix ut alienis rebus agendis relinquatur otium. Sane antiquarum litterarum tractatione iustae libertatis amorem, iniquae tyrannidis odium ali non infitier; idque maiores nostri cum principe optimo quoque in potissimis horum studiorum utilitatibus habendum censuerunt: ceterum ex scholastica nostra disciplina legibus apte temperata et ex studiis antiquitatis non maiore praetextu saeculi repetas labem, quam siquis, quemadmodum Graeci harmoniis mollioribus et licentioribus discendis ignavos et intemperantes puerorum reddi animos sibi persuaserant, ita hanc aetatis quasi intemperiem a musicis nostris repetat, vel a theatris, in quibus sane

poetas clarissimos, Germaniae decora, civilem libertatem praedicantes audimus haud raro. Denique in Borussicis scholis quibusnam tandem perniciosa ista traduntur praecepta? Ac siquid eiusmodi ab uno vel altero fuerit traditum, num ideo scholae universae calumniandae sunt? Apage igitur istas criminationes: gratulemur potius Friderico Guilelmo, quod, ut est in veteri proverbio, non dubitavit serere, nec sevit draconis dentes, unde funesta et cruenta succrescat seges, sed laetum et innocentem studiorum optimorum rettulit proventum; fretique simus Principis optimi clementia et Borussicae civitatis indole, quae non patiuntur, ut in litteras quidquam statuatur iniquius. Huic namque civitati accommodare optimo iure illud licet, quo in Attica re publica usus est homo probissimus Isocrates, quum eodem quo olim Sophronisci filius esset crimine accusatus, quod institutione sua corrumperet adolescentes. Athenienses enim dicebat litteris praestare inter ceteras civitates omnes: igitur si vellent iis infensi esse, qui studerent aequales suos iisdem rebus superare, quibus Athenienses superarent reliquos universos, et qui ea uterentur eruditione, cuius Athenae duces et parentes fuissent, civitatem sua semet ipsam sententia condemnaturam, atque idem facturam, ac si Lacedaemonii animadverterent in artis militaris magistros, vel Thessali in eos, qui equitandi modos docerent.

Nunc ut eo redeam, unde paullulum fortasse deflexisse videar, quum saepe principes primo litterarum adiuvandarum fervore multum promiserint, mox defecerint sive per incuriam, seu taedio, sive exspectationibus non respondere docentium et discentium studia et mores rati; Fridericus Guilelmus, constantiae cum munificentia societatem naturae bonitate consecutus, non minore benevolentia conservavit et auxit universitatem quam condiderat. Non dicam de apparatuum incrementis longe amplissimis, nec persequar quae huc pertineant singula: haec enim quamvis necessaria et pretiosa, ut vita destituta sunt, ita vi et vigore carent, nisi magistrorum accesserint ingenia acria, prompta, strenua. In quo perpetua opus est et diligentia et benignitate, ut, quum breve sit hominis aevum, dignae et illustres sint successiones, neve, quam magna nomina celebraverint scholam, ea redeat paullatim ad minores, ut saepe excellentium virorum tituli et bona, non virtus, transferuntur in heredes. Quantum

lustrorum spatio dandi successores fuerint? Viginti quinque professores ordinarii cum septem extraordinariis hanc aperuerunt scholam; ex illis quinque et viginti non plus quam decem supersumus. Etiam eorum qui posthac accesserunt ordinariorum octo obierunt, sex tantum discesserunt aliorsum; extraordinariorum tres fato functi; viginti duo, iuniores potissimum, mutarunt sedem. Et quanti illi fuerunt, immo fama et memoria hominum etiamnunc sunt, quorum dulcissimam familiaritatem invidit nobis fortuna! Natalicia hodie celebramus, auditores, non funebria: igitur absit luctus et lamentatio omnis: sed licuit tamen verbo significare, quanta Regi clementissimo damna fuerint sarcienda; ex quibus duo, et in his novissimum, tantum non sunt irreparabilia: quae reparari potuerunt, ita sunt reparata, ut simul numerus docentium tantum creverit quantum in nulla unquam Germaniae universitate litteraria. Hic Regis erga nos animus est; verum haud minus nobis, et vobis praesertim, commilitones, favet domus regia. Quamquam enim iis rebus, quae ad litteras pertinerent, nunquam non instructissima fuit haec universitas; tamen aliud defuit genus subsidiorum, levandae civium inopiae et egestati destinatum: quorum subsidiorum copia non solent nisi vetustiores scholae frui, quod prior aetas promptior ad pias largitiones fuit. Paullatim quidem huic quoque necessitati alimentis potissimum praebendis mediocriter provisum est a privatis: sed nihil insignius, nihil nobis exoptatius contingere quum maxime potuit, quam quod Princeps regni heres et reliqui domus Augustae Principes serenissimi et illorum coniuges serenissimae tantas nuperrime contulerunt symbolas, soli ut ceterorum omnium aequarent beneficia. Nec donum ob solam amplitudinem fuit gratissimum: etiam comitas donantium et fiducia, qua id Senatui administrandum commiserunt, ultro patrocinantur huic artium sedi. Nos quidem, collegae et commilitones, non possumus gratiam referre Friderico Guilelmo et stirpi regiae, ac ne agere quidem grates tantis dignas muneribus; sed possumus operam dare, ut nostra consilia, instituta, studia, vita ne displiceant Patri patriae: id quod nos acturos sedulo vestro nomine pro vobis spondeo universis: Deus vero Optimus Maximus summis bonis ac prosperitatibus Regem remuneretur dilectissimum, salvumque et incolumem praestet cum filio regni herede generoso et universa domo florentissima!

XXIII.

Oratio natalicis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXV. habita.

Apud gentes plerasque sicut apud nos, auditores, genitalem cuiusque diem parentes, propinqui, et quicunque parentibus ac recens nato bene volunt, felicem faustumque existimant, atque eum quotannis summa celebrant hilaritate ac festivitate sollemni. Bona spes laeto accipit augurio novam prolem; Deo grates agimus, preces fundimus et vota facimus pro tenero infante, quem ad aram apportamus lustrandum; gratulamur ortum novo sideri, immortali animae, quae veluti scintilla divino emicuerit igni et in mortale hoc penetraverit corpusculum: denique quamvis de salute illius solliciti, Deo favente illum exspectamus ad robustiorem perventurum aetatem, probitate, honestate, virtute praestaturum, suisque aliquando fore solatio. Paucae fuerunt eaeque incultiores nationes, quibus aliter visum est: id quod de Trausis memoriae prodidit Herodotus. Nam apud hos, severiorem nescio an molliorem et effeminatiorem, sed haud dubie tristiorem secutos morem, recens natum circumsidebant propinqui lamentantes et plangentes eius fortunam; at fato functum laetantes iocantesque condebant sepulcro et beatum praedicabant, qui tot et tanta evasisset mala. Neque hi prorsus sine ratione. Arduum quippe et salebrosum et praeceps vitae iter ingredimur; asperrimis iactamur fluctibus et procellis: denique nemo ante mortem beatus. Quotus quisque est, qui ex his, quibus undique circumvenimur, calamitatibus emergat integer et illaesus? Plurimi quidem excidunt ausis votisque; sunt qui nec suo neque ceterorum hominum nati videantur commodo: nec pauci contaminantur sceleribus et flagitiis, et vitiorum potius quam virtutum inclarescunt magnitudine: quorum quis non putet mortem quam vitam esse magis exoptandam? Atque haec quum in omnes cuiuslibet ordinis homines cadant, etiam qui humili sint loco nati, tum iis, qui ad regnum nascuntur, imprimis accommodata sunt, quod hi non sibi et patri matrique familias nascuntur solis, sed rei publicae et civibus universis, neque ad

privatam suam fortunam regendam, sed ad magnas imperii res gerendas ipsis sunt natalibus vocati. Itaque non modo a genitoribus et cognatis, sed a populo universo salutationibus gratulabundis et animorum exsultatione immensa accipiuntur: sentit enim et intelligit populus, quantum in perpetua legitimorum principum successione tranquillitatis et publicae securitatis collocatum pignus sit; intelligit imperii fortunam ex herede regni pendere, et prout geniturae sortes ceciderint, felicitatem rei publicae aut damna funestissima portendi. Verum obscura sunt omina: non manifestis liquet signis, utrum Gratiae, comitas, lenitas, an atrocitas et Furiae adstiterint nascenti: eventus probat quemque. Sane hic eventus non penes nos est solos; potentioribus providentiae et fati divinitus constituti legibus parent res humanae: attamen hominibus, et in re publica quidem maxime regibus, in iis vero, quae ad mentis animique cultum et profectus pertinent, tum regibus iisdem tum ceteris, quos regnare in suo genere dixeris, ut vivis et sua liberaque voluntate agentibus instrumentis utitur divini numinis consilium; cui consilio quod instrumentum reluctatur, id priusquam perfectum opus sit, abiicitur ut inutile, irritumque fit quod ab eo effectum erat. Felicem dico, cui successerit ea communis operae pars, quam a summo rerum universarum opifice mandatam acceperit, hoc est eum, qui sua consilia ita norit dirigere, ut conspirent cum abscondito supremi numinis consilio. Hunc probavit eventus; ab huius natali Trausorum iste luctus taeter et inhumanus afuit merito. Felicem praedico Regem, cui post longam dominationem, post varias vicissitudines, quibus obnoxium genus humanum est, constanter toleratas, quotiens redeunt sanctissima haec natalicia, acclamare identidem licet: Deus tuas secundat curas, Deus, qui te destinavit, ut, quae bona huic populo, quas conferre prosperitates vult, earum tu esses dispensator; tu, qui providentiae consiliis, quantum humano aestimamus iudicio, aptare tua, neque obniti cursui rerum divinitus instituto videris, et prompta certaque manu tractare quod tibi commissum est! Tu quotannis auges felicitatem imperii; tu intelligis, non ira, sed amore summi numinis humanas gubernari res et per infinita aevorum stadia perfici: tu ad illius te exemplum, quoad patitur natura mortalium, comparans et componens, libertatem servitio, obsequium ratione temperatum necessitati, lenitatem severitati truculentae anteponis. Te regem veneramur, te diligimus patrem!

Dixi reges et qui in quoque genere cultus humani eximia praecellant sapientia, regiaque quasi potestate imperent legesque scribant multitudini minus ingeniosae, minus perspicaci esse instrumenta, quibus providentia utatur ad sua consilia exsequenda. At quaenam haec sunt consilia? Quis quaeso, etiamsi longe videatur sapientissimus, definire audeat, quae sint rationes et viae providentiae, unde haec proficiscatur et quo intendat, quos generi humano proposuerit fines, atque, ut cognoveris finem, quibus momentis impellat mortales, ut perveniant aliquando ad metam? Vatis quidem fuerit haec cognoscere et disserere; attamen si, qui rerum praeteritarum peritus sit, iure censetur vates retro conversus esse, hic ex iis vestigiis, quae impressa prioribus aetatibus sunt, divinaverit aliquantillum de rerum humanarum finibus; et quanquam ego mihi hoc, quod ille divinaverit, vix longo ex intervallo ac per nebulam videor conspicere, atque ita fit, ut quod ipsum exiguum et obscurum sit, id mihi obtusior acies repraesentet etiam minutius et hebetius, tamen iuvat vel incondita voce, quantum fieri per temporis angustiam potest, adumbrare quale id mihi obversetur ante oculos. Etenim si adspectabilis haec rerum natura, quae tamen plurimis videtur mentis expers esse, non fortuito movetur impetu, nec caeca aliqua volutatione circumaguntur sidera, sed massae, intervalla, spatia, tempora legitimo sunt ordine librata et descripta: mentem, quae sola potuit rudem materiam in mundi formam componere et adornare, sola moli universae legem condere, putabimusne quum primum generi humano insita est, sine lege agitari, vagari, ferri temere quocunque casus det praecipitem? an dicemus etiam humanis rebus praescriptas quidem esse suas vicissitudines, sed quemadmodum caelum ac stellae in orbem motae perpetuo, exacto quoque cursu redeunt ad eundem unde profectae sunt locum, ita humanas quoque res, caelestem imitantes ordinem, quasi turbinibus quibusdam in gyrum duci, et confecto quoque circulo, post tot aeva, tot et tantos mortalium labores, non promovisse pedem, sed esse ad initium cursus reiectas, ac pertusa genus humanum dolia Danaidum exercere, perpetuo ingerens aquam, quae perpetuo effluat? Profecto pervulgatum est, quae olim fuerunt, reverti identidem, nec quidquam sub sole accidere novi: at aeque verum est nunquam redire eadem, nec bis idem incedi flumen; immo dum in humanis rebus priora saecula quodammodo videntur repeti, tamen haec,

quae putes esse eadem, indolem mutarunt magnopere: qua mutatione lento quamvis motu progreditur et proficit genus humanum, sua sponte nitens in perfectionem. Ea est enim mentis indoles, ut, quum corpus, quod cum beluis commune habemus, regeneret tantum corpora nihilo praestantiora iis, ex quibus genita sunt, ratio menti insita successione aetatum crescat, quod posterior quisque a priore edoctus auget opes animi, prius cognita et inventa purgat, emendat, amplificat; corpus vero quum serviat, mens libera sit sibique ipsa imperet, dum crescunt vires mentis, crescit libertas, quam nemo me putabit cum licentia confundere: licentia enim specie tantum libertatis utitur, ut atrocissimam exerceat tyrannidem: iam aucta libertate sensim et pedetentim minus constringemur necessitatis vinculis, quod nobis moderamur ipsi, ac leniori in dies imperio regnabunt amor et clementia pro severitate et ultione. Haec est illa lex, quam rebus humanis praescriptam a providentia promulgat, nisi fallor, historia. Quod ubi audeo proponere, quamvis haud infitier, sicut naturae malo terrae motibus quatiuntur urbes et hiatu soli hauriuntur, fluctibusque vastantur fecundissimae regiones, et magnae stirpes absumuntur pestilentia; ita etiam animorum morbis invadi universas et gentes et aetates, multaque secus evenire atque illi, quam dixi, legi numinisque sapientiae et bonitati convenire arbitreris; remoras obiici mentis humanae cursui; ingruere aliquando barbariem; alias civitates augescere, alias imminui; torpore consopiri, ignavia senescere populos omni prius genere humanitatis ornatissimos, neque universum genus humanum simul pari gaudere flore, sed in vicem mutari sedes perfectioris cultus et eruditionis: tamen his rebus non conturbor magis, quam de providentia dubitabit quisquam paullo intelligentior, si optimorum hominum haud paucos morbis et inopia pressos, inclusos carcere et tormentis cruciatos et ignominia affectos viderit, quum interea alii, ut viri cuiusdam eloquentissimi verbis utar, omnibus flagitiis cooperti in summis deliciis vivant et in omnibus negotiis suis secundissima fortuna utantur; sed ex ipsis impedimentis incrementa capere genus humanum censeo, quod certamine nutriuntur vires et intenduntur nervi: et qui rationi iamiam victrici obnituntur, eos videmus plerumque quasi flumine raptos superari, quos ego ut instrumenta iam inutilia abiici dixi paullo ante, praeteriti aevi reliquias, non subsidia praesenti: denique eruditior cultus, utut mutat sedem,

paullatim tamen latius latiusque propagatur, et radices agit altius, et confirmatur certius. Nunc liceat quod dixi paucis illustrare exemplis. Incunabula humanitatis constat esse in Oriente quaerenda. Ibi antiquitus, quae cuique tractanda essent, non sua cuiusque voluntas, non indoles et ingenium decreverunt, sed descriptis per stirpes negotiis, origo cuiusque de universa eius vita iecit aleam: quod nunc in hoc civitatium cultu ad solos restrictum principes est. Naturae igitur necessitati parebat humana mens; haec necessitas maximam partem hominum durissimo subiecerat servitio; nec fugae erat locus relictus, nec quisquam appetebat meliora: adeo placebat ipsa servitus. Matrimonia incerta, tantum non brutorum instar: ancillae potius quam matres familias: civitates prope nullae, sed dominatus ut plurimum iniquissimus. Artes haud neglectae; sed inconditae formae, quae nativo quodam impetu natae et effictae erant, sunt in perpetuum consecratae et permanserunt immotae, quod mens nondum adulta acquiescere traditis maluit, necdum par fuit novis inventis moliendis et perfectioribus tentandis operibus: quemadmodum sacerdotes apud Aegyptios quae ipsis probae videbantur figurae et cantilenae, eas sanxerunt diligentissime, et caverunt, ne quis sculptor aut pictor aut alius ullus faber praeter illas quidquam aliud fingeret aut inveniret; unde factum est, ut quae pluribus annorum milibus ante essent delineata vel sculpta, non differrent a recentissimis, neque essent aut pulchriora aut deformiora, sed eadem prorsus arte confecta. Litterae vero et disciplinae religionum fere continebantur finibus, non multum distantes a mythologia. At reclusit tamen quasi divinando sublimiorem iam rerum intellectum Indorum poesis et sapientia; et Iudaeorum natio, quamquam ne ipsa quidem superstitioso exsoluta metu, sanctiorem occupavit de summo numine sententiam. Iam Graeci liberiore ingeniorum motu fregerunt ista vincula, quibus Oriens constringebatur, et elapsi e custodia sunt; effulsit in re publica libertas, si non iustissimo temperata modo, at certe maximarum rerum, facinorum pulcherrimorum genitrix et dux; res privatae, etiam coniugia, quae Cecropem instituisse ferunt, ad rectioris rationis legem adornata; artes et litterae pinnato, ut ait ille, gradu incedunt; pulchri forma immortalis et aeterna, mentis aeternae simulacrum adspectabile, perfectissimis et quasi vivis et gradientibus exprimitur imaginibus: philosophia incipit

'urae et animi adyta cogitatione alta penetrare. Manent ta-

men priscae inhumanitatis et inclementiae vestigia: alii liberi sunt, alii servi; necdum muliebri sexui suus honos; necdum immensa superstitione liberata plebes, etsi sapientes vident verum. Et aliis insuper vitiis infecta Graecia fuit; haec potius illi attulerunt exitium quam Macedones et Romani. Non dicam de Persarum regno ab Alexandro Magno prostrato: quamquam etiam per hunc propagatum esse lumen mentis docet vel Aegyptium regnum et Alexandrinae eruditionis robur ac vis, quae maior fuit et utilior quam visum plerisque est. Mox Roma leges imposuit orbi terrarum; quae ut eruditione inferior fuit quam Graecia, ita non modo instituta vitae et res publicas ac domesticas melius adornavit, sed ipsa, quam Graecis acceptam referebat humanitatis partem, eam per barbaros olim populos late sparsit, ferasque pacavit gentes, quibus inter arma dedit simul iura, et solum paravit novae sementi. Hanc maximam sementem, ut ex minimis seminibus nascuntur ingentia, Christianae primordia religionis fecerunt. Nam quemadmodum Aeschylus priscis diis, severae isti et acri noctis aeternae suboli, successisse mitiores et intelligentiores et hominibus magis propitios deos statuit, primus ille, ut mihi videtur, mentis humanae profectus sensim increbrescere alto animo auguratus: ita Christiana religio, pristinis abolitis caerimoniis, mansuefecit orbem, nec solum Deo reconciliavit mortale genus, sed etiam hominem homini, populum populo, atque universos in gratiam et libertatem reconciliare studuit atque id efficere, ut, quod idem poeta egregius eximie pronuntiavit, iustus sine necessitate sis atque inde non expers beatae vitae, nunquam vero dispereas funditus. Struxerat quidem dudum providens numen initia meliori illi divinarum et humanarum rerum intellectui; nec vereor affirmare, pridem fuisse haud paucos, qui de iis dignissime iudicarent et dissererent; iam Plato quasi promulgavit purioris rationis imperium, et Socrates ac Stoici, etsi boni civis quoque officia praestanda esse non negarunt, humanitatem extulerunt supra civitatem: quam sententiam qui profitentur, tantum abest ut civitati afferant damnum, ut civiles res etiam emendaturi ad humanitatis leges sint; immo fuerunt, qui sensu vere Christiano ipsam humanitatem sola divinitatis similitudine aestimarent: sed obnitebantur tamen et sacerdotes et qui rem publicam gerebant, donec Christiana vinceret causa. Nolim tamen nimium irascamur excelsi ingenii viris, qui in prioris eruditionis praestantia defixi eiusque

splendore praestricti, luctu haud ignobili prosequebantur veteris disciplinae ruinam: quippe hi quoque sibi videbantur Deo repleti, necdum intelligebant ea bona, quae allatura esset nova quam vocabant superstitio; et excusat illos maior Christianorum fanaticorum furor, qui in dissentientes tanta saevierunt atrocitate, quanta furibundas fortasse Bellonae apud Comanos ministras deceret, non eos, qui essent caritatis praeceptis a divino instituti praeceptore. Enimvero postquam tantam generi humano lucem et emendationem attulit Christiana religio, et tot barbaras nationes miti subegit iugo, quae ex sedibus pristinis excitatae cultissimas Europae terras incursaverant et in dicionem redegerant; mox illa ipsa, non minus quam olim Graecorum et Romanorum res quasi senio fessae tabuerunt, variis est modis corrupta. Quae enim quum magna certe ex parte corpora, tum potissimum animos liberaverat, eosdem in novum duxit servitium, a quo sese ne philosophia quidem, quae tamen sua indole liberrima est, vindicare satis potuit: pontificia potestas etiam regna et principes imperio non aequissimo subiicere molita: clerici imperiti, bonarum litterarum expertes ut plurimum, mollitie et luxuria dissoluti, libidine, avaritia, perfidia, malis artibus quibuslibet magis quam olim gentilium deorum sacerdotes contaminati. Haec et alia mala haud sine providentia opinor medicatae sunt magnae res, quas inde a saeculo quinto decimo potissimum et paullo post mens gessit humana, non armorum usa sed ingenii viribus: quamquam posthac capta etiam arma sunt, quod ingenio vim inferre studuit potentia. Primum enim praestantissimorum hominum contentionibus acerrimis instauratae sunt litterae: quidquid ex antiquitate supererat, protractum ex tenebris est et summo studio in id conversum, ut discuteretur caligo, qua offusi essent animi, ut integrum de rebus divinis et humanis confirmaretur iudicium, abiicerentur praeceptae opiniones, quibus animi impeditur libertas, atque elegantior restitueretur ingeniorum cultus: et alacri huic motui ingens momentum attulit recens inventa typographia, quae non solum tam celeriter atque in spatia adeo immensa disseminat quidquid ei mandatum est, ut haec demum Daedalea fabrica videatur verba reddidisse vere aligera et volucria, sed simul etiam his volantibus dictis aeream praestat firmitatem et perennitatem, et efficit, ut iam nullius facile vi opprimi intelligentia communis queat. Accessit tium, picturae potissimum, novus flos, quae et ipsae, si poesis

pauca genera et certam quandam architecturae conformationem haud contemnendam exceperis, iacuerant post Graecam Romanamque antiquitatem abolitam. Iam quid magis desiderabatur quam rerum sacrarum rectior et sanctior constitutio et ecclesiae instauratio salutaris, ab uno quidem et altero etiam prius tentata, sed igni repressa per barbaram sacerdotalium tyrannorum saevitiam? Eam igitur sacrorum emendationem audaci incepto suscepit Lutherus et perfecit: quae maturius procul dubio laetiores tulisset fructus, nisi bella atrocissima intercepissent proventum. At pacato aliquatenus orbe, in pluribus Europae terris continuo successu creverunt litterae et disciplinae: potissimi populi linguas suas et maxime poesim ita excoluerunt, ut possent aemulari antiquitatem; historiae, naturae, mathematum studia assiduis doctorum innumerabilium laboribus longissime provecta sunt; philosophia vero per multos deinceps gradus, quos enumerare pro hac virorum litteratissimorum et adolescentium studiosorum contione supervacaneum videtur, quum praesertim aliquot ex iis, qui in philosophia eminuerunt, in ipso Borussico regno, partim in hac ipsa urbe et inter nos ipsos vixerint, ad altissimam et latissimam ascendit cognitionem. Non ego is sum, qui ad huius saeculi stupeam magnitudinem, et putem hanc nostram eruditionem esse perfectam et omnibus absolutam numeris; sed iniquus sit et in maiores haud minus, quorum benefactis fruimur, quam in praesentes ingratus, qui neget multum profecisse genus humanum, atque in dies meliorem et liberaliorem et mansuetiorem gliscere cultum, qui, postquam novus insuper orbis ante annos amplius trecentos quasi ex Oceano emersit, iam universum hunc terrestrem globum ambit et occupat, quum florentissimis Graeciae temporibus exiguo maris mediterranei circuitu terminatus sit. Iamiam incipiunt etiam barbari gustare et adamare eruditioris Europae artes, et qui populi inertia et torpore diuturno languerant, resurgere et recipere vires.

His igitur communibus generis humani utilitatibus augendis inservire debent et principes et populi, et anniti quisque pro virili parte, ut ei, in quo collocatus est, loco satisfaciat. Non revertitur vir quisquam in cunas, non fasciis sese vinciendum praebet; nec magis universi in Orientis vel Graecae antiquitatis, vel mediorum quae vocant saeculorum condicionem relabemur: attamen quum non cuncti populi, ut supra significavimus, simul pari moveantur gradu, neque aequa contentione promoveant

res humanas, alii per socordiam et stuporem diutius retinent statum deteriorem; alii alienum certe impetum mature sequuntur et patiuntur sese trahi; alii prae ceteris duces sunt ad meliora capessenda, maxime ubi excellentis alicuius viri ingenio incitati et impulsi fuerint; divisaeque aliquando etiam inter hos provinciae sunt, alio populo litteris vel artibus egregie tractandis, alio publicis aliisve vitae institutis rectius ordinandis optime merente. Qui vero populi ad meliora duces quaque aetate sunt, et qui non nimis sero subsequuntur, ii quamvis exigui soli fere in censum humanitatis veniunt; reliqui quasi proletarii nullo prope nisi capitum putantur numero. Ita parvae illae Athenae, a Pericle potissimum in summo collocatae fastigio, occilus orbis et deliciae eruditissimi cuiusque fuerunt; regnum Persarum, per immensos Asiae tractus patens latissime, multo inferiore loco habent iusti rerum aestimatores, qui ex mentis virtute, non ex mancipiorum multitudine comparant nationes: Scythas vero et Sarmatas et Hunnos, quantumvis aliquando fortes et potentes, inter ultimos referas mortalium. Sed inter recentioris aevi civitates cultiores quantum ad mentis et rationis progressus contulerit et conferat hoc quod nunc Borussiae nomine vocatur regnum, paucissimis dico verbis. Principum nostrorum stirps cum gentibus, quae ipsi tum parebant, inter primos accessit rerum sacrarum emendationi; hodieque confessionis evangelicae dux et quodammodo defensor Fridericus Guilelmus habetur, idem partium olim dissidentium conciliator sapientissimus, caritate mutua omnes bonos debere coniunctos esse existimans, non ob placita quaedam vix et ne vix quidem intellecta odiis dissociari; tolerare eos, qui de rebus divinis aliud persuasum haberent, exemplo et lege docuit Fridericus Magnus, et concessit sentire quae velis, et dicere quae sentias. Abolita sunt barbara et atrocia instituta, ipsis olim legibus sancita. Litteras et artes eximie foverunt Borussici reges, sed nemo praeclarius quam Fridericus Guilelmus. Quo merito ut universae consuluit Germaniae, ita eidem et Europae universae facem praefert ad commerciorum societatem latius quotannis propagandam: quam et ipsam licebit in generis humani profectu numerare. Iam si nemo paullo prudentior non intelligit, multa etiamnunc deesse ad humanitatis perfectionem, et in rebus haud paucis eum qui nunc est statum adeo vinci a prioribus saeculis,

societatem hominum quamlibet, quum primum consistere coe-

perit, ferri retrorsum, animisque ut corporibus ad sanitatem tuendam opus esse motu frequente, ne stagnent succi et corrumpantur, neu subeat, ut ait Tacitus, etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postea ametur; si praeterea concedendum est, universas generis humani res una regi mente et ratione, ac proinde ex sola fere divinarum et humanarum rerum cognitione et scientia instituta tam publica quam privata paullo meliora proficisci et pendere et proficere: id quod movisse videtur Ciceronem, virum plurimis eorum, qui eum contemnunt, longe sapientiorem, ut philosophiam diceret peperisse urbes, dissipatos homines in societatem vitae convocasse atque eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum ac vocum communione iunxisse, fuisse inventricem legum, magistram morum et disciplinae: illa igitur quae dixi si vera sunt, quicunque scientiae operam dant, eorum otio honestissimo hoc iniunctum est praeclarum negotium, ut praestent ea, quibus augeatur publica et privata salus. Quod primum fit conservanda optimarum rerum memoria, quas prior tulerit aetas: quam memoriam qui aboleat vel negligat, quod tollit eam cognitionem, cui nostra vitam debet, videtur mihi quasi parricida esse: dein solum illud, quod nobis heredibus reliquerunt parentes, novo labore est colendum et exercendum, ne fiat sterile, et ex eo nova generanda sunt. Harum rerum altera historicae in quoque genere eruditionis est, altera meditationis rationalis. Utraque vero nobis universitatum magistris ita commissa est, ut nostrae scientiam aetatis viri tradamus adolescentibus futurae aetatis doctoribus: nos iacimus semina; fructus maturos vix videmus. Sed si recte animati sumus, sic informabimus discipulos, ut progrediantur ultra quam profecimus ipsi: atque ut veteri utar verbo, quando fessi annis, quemadmodum apud Graecos in gymnasiorum ludis, taedas ardentes integro trademus cursori, quid mirum si ille novum ingressus curriculum velocius decurret quam nos defatigati? Spartani pueros suos iusserunt in publica sollemnitate polliceri carmine, fore sese aliquando multo fortiores iis, qui tum excellerent fortitudine: ita superari nos a succedentibus quidni patiamur haud inviti? Hac via mens et ratio emergit victrix, crescit virtus, formatur genus humanum ad finem sibi divinitus designatum. Haec via probatur Friderico Guilelmo, qui si noluisset hac incedi, non tantopere adiuvisset litteras et artes: hae enim non ad alium quam hunc de-

ducunt tramitem: non condidisset nostram hanc optimorum studiorum palaestram. Itaque quod mihi hodie initium dicendi fuit, idem finis esto. Oborta mihi totiens in his sollemnibus disserenti tanta lux regiae sapientiae, liberalitatis, humanitatis, mansuetudinis, ut, quum his virtutibus consummari arbitrer eum virum, qui sese aptissimum providentiae consiliis exsequendis instrumentum praebeat, Fridericum Guilelmum existimem tantum, quod ipsi mandatum est, munus ita explere, ut incrementis non modo rei publicae sed rerum humanarum inserviat successu secundissimo. Quapropter illum veneramur regem, diligimus patrem. Dixi.

XXIV.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXVI. habita.

Duae res sunt, auditores, unde qui vel civitatem vel principem vel privatum praedicare constituerit, possit laudum materiam quaerere, fortuna et virtus. Et fortuna quidem, quamquam non est in nostra potestate, tamen et ipsa suos habet admiratores: partim iure et recte, quod, quemadmodum docet proverbialis sapientia, aliquid ad formandam suam quisque fortunam confert, ac summa prosperitas contingit beneficio naturae et numinis, cuius favorem in laudis numero ponere nemo dubitat; partim imprudentiore aestimatione, quam ferme sequitur vulgus, stupens ad splendorem natalium, opes, potentiam. Verum quis ignorat fragilitatem fortunae? quis non vidit, qui modo erat felicissimus visus, subita afflictum ruina et mersum fluctibus calamitatis? Itaque virtus sola est, quae sapientibus arbitris sit praeconio digna. Ego nunc de principe dicturus non iactabo felicitatis titulum, quo Roma non dedignata est Augustos suos per ineptam magis assentationem quam ex rei veritate ornare: in virtute consistam. Magnum sane hoc argumentum est, et quod magnum oratorem postulet: nam de felicitate declamare licet, de virtute non item: at vos, quae vestra est indulgentia, meam orationem non ex eo iudicabitis, quod effecerim, sed ex

eo, quod voluerim. Quodsi, quibus rebus principis virtus absolvatur et consummetur, quaeritis, quamvis videatur difficilis responsio, unam habeo et paratissimam et simplicissimam. Principem affirmo, quod et privati domini in familia sua munia explere universa debet, et publice non uno et altero singulari negotio occupatus tenetur, sed rerum summae praeest, omnesque partes rei publicae complectitur, non posse perfectum haberi, nisi omnibus, quibus potiri humana natura queat, instructus sit virtutibus. Cui rei quum nemo unus mortalium sufficere videatur, consummatam principis virtutem mente quidem dixeris concipi posse, non perfici re; igitur et miseram esse principis sortem, quippe qui, licet optimus sit, tamen nequeat summum consequi, et duram hominibus impositam necessitatem parendi iis, qui ne acerrima quidem contentione ad principalem virtutem universam pervenire queant, sed particulis quibusdam vel frustulis virtutis debeant contenti esse. Et profecto ea est generis humani imbecillitas, ut id nisi divina ope nihil possit absoluti efficere: tamen nego omnibus virtutibus humanis neminem esse consequendis parem; proinde ne principem quidem concedo non posse muneribus suis universis aliqua ex parte sufficere. Nam si ita comparatae essent virtutes, ut separatis quasi domiciliis habitarent neque in una sede morarentur concordes, et quo altera intrasset, inde sese proriperet ac subduceret altera, vel resisteret extra fores limenque; iure dubitares, num quisquam posset vel privatis vel publicis officiis suis omnibus satisfacere: sed aliter statuere video summos philosophos, quos sequi longe tutissimum est in ea re, quae non possit nisi a philosophis recte diiudicari. Non enim, sicut os, nares, oculi, aures sunt distinctae et diversae faciei partes, ita singulae virtutes virtutis universae sunt particulae inter se divisae et distractae, neque ut, qui oculis privatus sit, retinet tamen aures et reliquas faciei partes, ita qui sapientia vel fortitudine careat, nihilo minus potest reliquis esse virtutibus ornatus: sed una est virtus, quae singulas complectatur quasvis, et singulae quaeque continent tam reliquas quam universam; nulla est, quae excludat ullam, nulla est ulli contraria. Ut de cardinalibus, quas vocant, virtutibus potissimum disputem, iustitia in se habet sapientiam, temperantiam, fortitudinem; et fortitudo, veram dico, non quae vulgo pro fortitudine censetur, audaciam caeco latam impetu, fortitudo inquam nulli competit, nisi qui et iustus et sapiens et

temperans sit; et similiter reliquae deinceps. Ut addam sanctitatem, num potest quisquam sanctus videri, qui non idem sit intelligens, iustus et aequus, temperatis moderatisque moribus in vitae partibus quibuslibet, postremo ubi res postulaverit etiam forti animo? Igitur quoquo quisque loco constitutus est, universae debet virtutis particeps esse, ut recte suo fungatur munere; ac tantum abest, illius ut nequeat compos fieri, ut quisquis una virtute prorsus potitus sit, teneat universam: quo minus decet sollicite quaeri, num quis regiam virtutem adipisci possit universam. Haec quomodo in Rege nostro clementissimo insit, et omnes, qui ad illius venerationem huc convenistis, probe scitis, et ego saepe vel in transitu adumbravi vel dedita opera explicui: hodie in una singulari virtute spectanda me continebo. Nam etsi omnes virtutes summa cohabitant concordia, tamen aliae res, alia tempora, alii eventus postulant, ut alia virtus promatur potissimum. Fridericus Guilelmus quidem in eam incidit aetatem, quae aliam virtutem post aliam iusserit ostendi: constantiam animi et fortitudinem in magna calamitate et sua et civitatis atque in bellis atrocissimis gerendis, sapientiam et iustitiam in restituenda et ordinanda re publica, quam vidimus concussam et prostratam, temperantiam in componendis et mitigandis animis, qui diversis stimulis erant commoti vel exasperati. Est vero Fridericus Guilelmus temperantissimus, est ad conciliationem civium, gentium, populorum natus: qua nunc quum maxime opus est. Quippe sive in ipso civitatis sinu sive extra illam paullo maiores exorti motus fuerint, antequam sit ad arma perventum, nulla arte magis proficietur quam moderatione cum constantia, quae principes viros omnibus aequos partibus praestant neque illos patiuntur abripi cupiditatibus: ita fit, ut velut dii ex alto et sereno securi despiciant in turbam tumultuantem et transitura ut plurimum ac vana mobilis multitudinis studia. Hoc temperamento caventur, quantum fieri potest, et seditiones et bella, quae provocat et alit cupiditas ac superbia.

Quid vero? Nonne imperium ipsum sua natura modi videtur impatiens esse? nonne difficile est non superbos esse eos, qui inde a natalibus in summo sunt fastigio collocati? quibus nemo fere obloqui, quos nemo corrigere audet? qui in sua manu posita omnia, ad suum nutum geri omnia vident, divinitus destinati, ut deorum locum in terris obtineant? Sane bona

opus est indole, ne principes incurrant in id vitium, ad quod eos ipse locus, quo positi sunt, facile dat praecipites; sed princeps temperans nunquam obliviscitur, communem sibi cum humillimo quoque imbecillitatem humanam esse, et principem esse quidem legem vivam et animantem, sed quod principis voluntas pro lege est, ipsius voluntatem constituendam esse ad normam rationis, quae sola regere cuncta debet, non ad arbitrium et libidinem, et quamvis divinitus summae rerum praepositus sit, hominem se hominibus imperare; denique quo minus quisquam sanus sese cum eo comparare audeat, et quo maiori intervallo principis dignitas et maiestas dissita ab reliquis mortalibus omnibus sit, eo moderatius posse cum iis agi, qui ex ipso pendeant toti. Verum haec aliquis dicat obsoleta et vulgaria esse; desiderari reconditiora. Ego vero quamquam non defugienda vulgaria, modo ut vera sint, censeo, eaque mihi esse tutiora arbitror, quod qui de principatu velit reconditiora promere, debet in rebus gerendis multum versatus esse, a quibus nemo quam ego alienior est, quippe qui in umbra scholae delitescam haud invitus: tamen experiar paucis ea disserere, in quibus principis temperantia si non solis, certe magna ex parte ac praecipue videatur elucere. Quod argumentum in tres disponam locos, quorum duo pertinent ad domestica, tertius ad externa. Primum dico, ne princeps ullam in re publica vitae sectam nimio studio extollat supra reliquas, atque has posthabeat: quod siqua pars nimium alitur, reliquae vero marcent, manifesto illa his fit praegravis, aegrotatque civitas sublata singulorum artuum congruentia, concentu, iusta proportione, sicuti corpus non gaudet integra valetudine, ubi unum aliquod viscus turget nimium aliisque detrahit succos. Secundus locus est, ne factionum, quae in plurimis exoriuntur civitatibus, studiis et irae immisceatur princeps; tertius, ut exteris quoque nationibus aequus sit et procul abhorreat ab invidia et odiis, quibus alter populus alterum solet incessere. Nam primum quamquam privato non modo hanc damus veniam, ut ad unam aliquam rem animum appellat potissimum, sed hoc ipsum putamus utile ac necessarium esse, propterea quod singuli singulis quibusdam rebus vel artibus tractandis et suapte natura aptiores sunt et exercitatione fiunt etiam sollertiores, dum ii, qui in nulla arte habitant et perseverant, sed huc illuc volitantes, veluti apes ex floribus, variis ex disciplinis trahere aliquid nutrimenti et carpere fructus solent,

multa quidem conantur et aliqua imbuuntur incondita eruditione sed nec perficiuntur ipsi nec quidquam fere perficiunt: tamen princeps, qui non in singulis rebus tractandis et singulari quodam officio obeundo versatur, sed tenet gubernacula, non debet ullam artem aut negotium ita habere carum, ut reliqua opinetur vel negligenda vel contemnenda, sed ut numen rerum moderans universitati cunctis providet huius mundi partibus, comprehendere omnia pari cura, omnia vitae genera pro ipsorum dignitate et gravitate acri aestimare iudicio, et sese his omnibus benignum praebere. Qua in re nemo negabit aliquando peccari. Etenim alii principes sola militaria cordi habent, alii civilia: aut artibus quaestuosis, opificiis, commerciis favent, liberalem eruditionem infructuosam esse censent nec publica dignam cura; aut nimium negligunt ea, quae ad opes parandas omnino necessaria sunt: quin ex his ipsis modo agricultura modo mercatura est principibus praestantior visa. Sunt qui faveant artibus, litteras parum curent; et ex litteris modo vidimus mathemata et disciplinas naturales esse ab illis neglecta, modo haec illis placuisse sola, quidquid autem ad generis humani cultum et rerum gestarum memoriam pertinet, displicuisse magnopere, philosophiamque fuisse imprimis invisam: rursum alii sacris et caerimoniis dediti et mancipati, profanarum rerum vel gravissimarum incuriosi; alii a sacris alieni aut iisdem adeo infensi. Fridericus Guilelmus quod temperamentum, quam sapiens, quam iustum, in his rebus omnibus tenuerit ac teneat, nemo est nostrum quin intelligat: perfectum fere, quantum natura hominum patitur, refert principem, nulli vitae vel negotiorum generi gravis, omnibus propitius, omnibus suum tribuens honorem. Iam ad alterum locum ut accedam, ubi magna ex commotione animorum civitati periculum instat, princeps temperans est quidem in vigilia et excubat pro salute universorum, ne quid res publica detrimenti capiat; exitiosis nefariisque conatibus obviam it mature, ne sero paretur medicina: nec tamen ullius partis servit studiis consiliisque, sive haec ex praeceptis doctrinae alicuius civilis nata sunt, quod nostra aetate subinde accidere videmus, sive ordinis alicuius vel classis civium commodis attemperata; non popularem captat auram, non gratiam optimatium. Facit quod sese fecisse praedicat Solo, sapientissimus et aequissimus legislatorum ac moderationis et continentiae exemplum praestantissimum: „Plebi tantum concessi potestatis“, inquit ille, „quantum satis

est, nec de honore ei detrahens quidquam neque addens nimium; qui vero potentia erant praediti et opibus valebant, his quoque providi, ne quid paterentur indignum: steti autem utrisque firmum circumdans clypeum, nec sivi alterutros vincere inique.“ Hac ratione fieri non potest quin princeps omnium sibi conciliet animos, etiam eorum, qui forte, quod nuper eius accesserint regno, cum novo domino nondum eo, quo ceteri subiecti, mutuo coaluerint caritatis vinculo. Ceterum quod neminem scit secum de summo loco certare, haud invitus aliquando descendet de fastigio, ut civium desiderata audiat et expertorum auscultet consiliis. Is demum vere supra omnes est, qui sese uniuscuiusque monitis salva auctoritate obtemperare posse intelligat, is vere legibus solutus, qui sese legi sponte obstrinxerit, nec putet ullam se lege observanda voluntati suae vim inferre. Etiam siqui deliquerint, licet punienda audacia et impia facinora sint, lenitatem ille et clementiam praeferet animadversioni severissimae et in partem humaniorem inclinabit, quantum patitur morum custodia et securitas imperii: quippe temperantia mater est clementiae, superbia parit atrocitatem. Quis neget hoc in bonis huius aevi potissimis censendum esse, quod desiimus in delictis vindicandis gaudere saevitia, et intelligimus plerique omnes, acerbissimas, quibus maiores nostri usi sunt frequentissime, poenas non convenire nisi rudibus saeculis moribusque et ingeniis incultis, quae sibi persuaserint immanitatem sceleris vel aequandam vel superandam esse immanitate supplicii, ut truces ferocesque homines deterrerentur crudelitate vindictae? Sunt iamdudum, qui putent ne fas quidem esse capitis damnare quemquam. Qua de re utut iudicabitur (ego enim quid censeam quum nihil referat, meum iudicium non interpono), in eo consentiunt humaniores omnes, indignum esse civitate exemplo suo praecipere atrocitatem idque nullo publico commodo. Tantum enim abest, ut hac re caveantur delicta, quae dum committit, nemo fere legum et animadversionum memor est, sed ira et odio et vesanis ducitur cupiditatibus, vel sperat se effugere poenam et latere vindicem posse, ut etiam provocari maleficia animadversione saeva videantur, quod improbi et audaces homines exemplo civitatis instituuntur ad crudelitatem. Lex ipsa monstravit haud raro et peperit scelus: ut Seneca, qui ea vixit aetate, qua quem fructum ferre acerrimae animadversiones possent, crebritas suppliciorum docere attentos poterat, de parri-

cidio dicens, „Summa prudentia", inquit, „altissimi viri et rerum naturae peritissimi maluerunt incredibile scelus et ultra audaciam positum praeterire, quam dum vindicant, ostendere posse fieri: itaque parricidae cum lege coeperunt, et illis facinus poena monstravit." At ubi civitas ipsa mitioribus utitur legibus, civium universorum animi imbuuntur paullatim sensu mansuetudinis, quem etiam religio nostra Christiana flagitat, moresque emolliuntur; ac ne de solis dicam legibus et institutis sive scriptis seu inscriptis, princeps potissimum, qui ut supra diximus lex est viva atque animans, prout mansuetus aut ferox fuerit, exemplo suo aut ad humanitatem formabit imperitiorum multitudinem, quae magis exemplis quam praeceptis regitur, aut ad barbaram saevitiam. Quando vero communis motus acriores animis addit stimulos et tranquillitatem turbat, plerosque videas errore magis quam mala mente peccare: quibus si non ignoscendum, certe levior infligenda castigatio est, nec nisi deplorata et insanabilia ingenia, ne nocere denuo possint, acerbioribus poenis cohibenda. Quippe quo plures puniuntur, eo plures resurgunt hostes, ut Hydra singulis capitibus abscissis regeneravit bina. Ac si timore opus est (est autem sine dubio in eo quem dixi rerum statu, ne impunitas augeat audaciam), certe modicus adhibendus est, quod nimius homines reddit contumaciores. „Temperatus enim timor", ut ait idem ille sapiens scriptor, quem modo produxi, „cohibet animos, assiduus vero et acer et extrema admovens in audaciam iacentes excitat et omnia experiri suadet." Nunc, ne diutius haeream in his, ad quae me series rerum et cursus orationis detulit, non huius regni indoles et ratio: haec enim, etiamsi Fridericus Guilelmus non esset natura mansuetissimus et lenissimus, patremque potius subiectorum referret quam dominum, tamen vix quemquam ad haec proponenda invitare posset, quod ex nostra civitate pridem exsulat fere omnis atrocitas: transeo ad tertium eorum, quae proposui, argumentorum. Nam quemadmodum in una eademque civitate et diversorum ordinum, ut ipsi quidem putant, diversae sunt utilitates ac proinde studia diversa, et praeterea pro suo quisque sensu vel placitis, quibus imbutus est, ac secundum praeceptas opiniones vel suas vel patronorum aliam rei publicae formam aliaque instituta arbitratur conducere: sic populi differunt moribus et ingeniis; alii civitati alia videntur aequa, iusta, utilia esse; aliae aliis utuntur legibus, quae confirmant eam discre-

pantiam, quam natura ipsa instituit. Ita fit, ut altera natio abalienetur ab altera: finitimae potissimum solent exercere offensiones, quod altera alterius commodis obstare videtur: et magnae praesertim civitates insita cupidine acquirendi student fines imperii proferre et vicinis potiri agris. Quodsi crebris bellis multisque invicem cladibus aucta invidia fuerit, acrius incenduntur odia, vix ut unquam videantur exstingui posse, atque intimis condita pectoribus oblata quaque occasione facile promuntur. Neminem arbitror esse apud nos seniorum, quin hoc odio arserit ipse, qua tempestate hostis superbus, postquam continuo lacessivit regem iustissimum et continentissimum ac postremo bellum gerere coegit, victo proeliis exercitu et discerpsit hoc regnum et Borussicas terras vexavit iniquissime; atque ultro fateor me in his ipsis orationibus, quibus Friderici Guilelmi laudes celebrabam, haud raro indulsisse animo irritatiori et obsecutum esse odiis, quae temporum iubebat ratio. Sed sublatis causis moderandum effectibus est; ut hominis est nimium iracundi odia usque ad finem vitae extendere, ita civitas, quam decet singulis temperantiorem esse, deponere inimicitias debet, quum primum fuerit reconciliationis copia facta. Igitur quoniam nulla aetate atque apud nullum populum desunt qui sibi in eo placeant, ut alant discordias et instigent ad simultates exercendas, ille princeps imprimis laudandus est, qui privatos superet moderatione, et munus sibi a Deo commissum esse hoc sentiat, non ut certaminum strage suos exterosque affligat, quod faciunt qui nulla alia causa nisi ambitionis et cupiditatis explendae suscipiunt bella, sed ut pace adiuvet genus humanum, cui merito exprobratum est, quod homini plurima ex homine sint mala, quum ne beluae quidem nisi in diversa genera saeviant ac ne leonum quidem feritas inter se dimicet. Certe magis magisque in dies intelligitur ad eum finem tendere genus humanum, ut communibus bonis securi fruantur populi, non solum qui eiusdem stirpis sint, ut Germani nunc nobiscum prope omnes coniunctissimi, sed etiam qui diversae, omnesque nationes in magnam generis universi coeant societatem. Atque ita comparatam esse Friderici Guilelmi mentem serenissimam, ut ad meliorem hunc statum adducendum nemo illo sit aptior, quum priora monstrarunt tempora tum haec novissima; itaque conditi et constricti gladii sunt, qui modo minitabantur pugnas, et profligati metus, quibus per aliquot annos suspensi tenebamur;

denique Fridericus Guilelmus non solum rei publicae, sed etiam pacis stator et conservator certissimus est. Ex qua illius moderatione possunt sibi exemplum sumere et populus et eruditi, ne domesticis nimium tribuentes iniquiores exteris sint. Tametsi enim decorum et pium est, patriam omnibus rebus cariorem habere et hanc ipsam eiusque instituta praeferre peregrinis, nisi haec sint manifesto meliora; unde quantum virium accedat civitati, egregie docent Lacedaemonii et Romani: tamen ut parentes stulto prolis vel potius sui amore etiam vitia liberorum diligunt et probant, ita saepe populi suis gaudent naevis atque adeo gloriantur, nec cupiunt corrigi, sed aspernantur atque oderunt medicum, qui latentem nuntiet morbum et curationem necessariam iudicet, assentatoribus autem plaudunt, qui non modo sanum corpus, sed perfectissimum esse, et ceteris mortalibus omnibus praestare hanc nationem dictitant: quo fieri non potest quin ad socordiam et languorem detur paullatim populus. Simul hic, quod sibi solus placet, ut sibi placent Sinenses, superbia effertur super reliquas nationes, easque prae se contemnit ac spernit, et earum detrectat virtutes: quod quum olim insigniter facere Iudaei visi sint, odium iis generis humani exprobratum est, et ipsi in universorum incurrerunt odium. Quid quod invidia haec popularis aemulatione pravissima grassatur etiam in litteris? Quae quum omnibus nationibus sint communes, a nulla re quam ab illis debet remotior haberi iniquitas ista, quae non tam quid praestetur, quam a cuiate spectat, et angitur artibus bonis peregrinorum eorumque obtrectat meritis.

Longius discessisse a Friderici Guilelmi laudibus videbor fortasse, auditores, et magis generatim de principis temperantia dixisse, admistis insuper aliis sententiis, quae ne ad principalem virtutem quidem pertinerent: sed nolui repetere, quae haud semel de Friderici Guilelmi generosa mente a me exposita sunt, et potissimas tamen argumenti partes ad Regis dilectissimi personam revocavi. Iam si vellem, addere plura possem: nam in privata quoque vita, maxime in coniugio, et in universa re domestica et familiari, in deligendis et colendis amicis, in iusto liberalitatis et parsimoniae modo et in aliis rebus prope innumerabilibus Principis continentia et moderatio ita cernitur, ut nimium expeditum sit ex his quoque ut ex iis, quae publice gerit, Friderici Guilelmi demonstrare indolem temperantissimam. At omnino me finibus contineo angustioribus, quod moderato

principi ne placere quidem explicatiorem laudationem consentaneum est, et satis habeo unum et alterum significasse et ad praeclara illius instituta et consilia intendisse digitum. Verum si temperandum praeconio videtur, non tamen temperandum est caritatis, pietatis, gratae mentis sensibus, quibus Principem benignissimum huius universitatis litterariae cives universi prosequi debemus et prosequimur. Quamquam non multis opus est verbis: pressiore oratione verus affectus gratiarum absolvit actionem. Igitur quum, quae Fridericus Guilelmus per tot regni annos, quamvis bellorum tumultibus turbidos, litteris et artibus bene fecisset, quanta cura et quantis impensis omni generi scholarum providisset, non quod principes ambitiosi facere solent, tantum iis, ex quarum dignitate splendori imperii aliquid accedere videatur, imprimis vero quo studio, qua liberalitate, quam aequis legibus nostram hanc litterarum sedem condidisset, ornasset, fovisset, saepe ego disseruerim data opera: nunc vestro nomine Regi clementissimo gratias agam pro duabus rebus, quarum altera est moderationis, altera munificentiae. Postquam enim illa pestis prope insanabilis clandestinarum societatum, quam usque ad coniurationem et arma ingravescentem vidimus, foederi Germanico extorsit commune decretum, quo disciplina academica prudentiore constitueretur ratione; quod apud nos pleraque omnia recte et ad normam iuxta severam ac iustam ordinata erant, nihil detractum nostrae dignitati et auctoritati est, novaque accesserunt instituta paucissima, quae lubentissimo accepimus animo. Quod debet vobis quoque incitamento esse, commilitones, ut quam morum honestatem innocentiamque hucusque comprobastis prope omnes, eadem in posterum servanda Principis dilectissimi satisfaciatis voluntati. Qui gratissimo munere universitatem a se conditam nuperrime affecit hoc, quod quum aedes, quas nobis ante plus quam viginti quinque annos simul cum scholae huius institutione donavit liberalissime, etsi sunt amplissimae et magnificae, iam non sint sartae tectae, viri summi, qui regiae minister sapientiae et benignitatis universitatum et scholarum res eximie gubernat, obsecutus precibus sufficientem largitus est pecuniam, ex qua eae non modo instaurarentur, sed iis quae interim, aucto potissimum et docentium et audientium numero, accesserunt necessitatibus accommodarentur melius: quod opus aliquot successu annorum efficietur ita, ut ex eo nullum lectionibus habendis oboriatur impedimen-

tum. Et his quidem post tot alia beneficiis nos cumulavit Fridericus Guilelmus; nulli vero rei publicae parti non est aeque benignus. Quapropter utcunque priores reges de hoc imperio bene meruerunt, sicut potentia rex, ita felicitate populus videtur laetius quam unquam florere, quum praesertim pace diuturna aeque ac prudentibus et salubribus institutis publicae privataeque opes magis magisque recreentur et tranquillitas successerit turbis; spesque est fore, ut Fridericus Guilelmus, vegeta gaudens senectute, ut annis non fatigatus est, ita ne defatigetur benefaciendo, et simul cum vita civibus carissima producat civium felicitatem. Utinam igitur Deus Optimus Maximus annuat iis votis, quae semper quidem, sed natali hoc eius die sanctioribus caerimoniis omnes regni provinciae, civitates, collegia pro Friderici Guilelmi suscipiunt salute. Quodsi vota illa fuerint haud irrita, communis rata erit salus Borussorum.

XXV.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXVII. habita.

Quod munus mihi demandatum est, auditores, hoc die faustissimo, quem Friderici Guilelmi nomini colendo civium pietas dedicavit publice et consecravit, ex loco hoc amplissimo dicendi, quamquam cum plerisque intelligo, ut honorificum illustrissimo cuique et mihi iucundum, ita propter rei dignitatem esse imprimis grave, argumentique gravitati magis responsuram orationem, ubi non ego solus hac splendida augear praerogativa, sed per vices alius quotannis alii orator succedat: tamen tantum abest, ut me defectum crebra repetitione confitear ac Friderici Guilelmi laudes pridem a me exhaustas censeam, ut etiam negem ullo anno verendum esse oratori, ne quae prius dixit iteret insciens et invitus, atque ita eos, qui forte priorum meminerint, aliquo afficiat taedio. Quod ubi pronuntio, nolim ita intelligi, ut novissimum quemque annum putem materiam pror-

sus novam afferre dicenti, qua sola uberius exponenda possis Principem dilectissimum celebrare sufficienter: potius ego hoc in bonis huius regni praecipuis numerem, quod non accidunt quotannis tot novae res. Rei publicae Romanae et Imperatoribus Romanis prope sine intermissione bella gerentibus raroque clausum habentibus Ianum singulis fere annis insignem aliquem successum gratulari orator potuerit; atque etiam in pace haud bene composita, quando huc illuc fluctuant res novisque in dies artibus et consultis opus est, ut contineatur imperium ruinam minitans identidem, quotannis novae leges et instituta conduntur, quae ad principis rettuleris laudem: at hoc regnum Friderici Guilelmi auspicia non solum pacatum ab exteris bellis longo ex tempore praestiterunt, sed etiam ad aequabilem quendam rerum deduxerunt statum, motu quidem haud carentem, sed motu gaudentem quieto, in quo, nisi quid acciderit singulare, nihil unum ita emineat, ut in maximis his et sanctissimis sollemnibus ad illud unice dirigi orationem, ex illo omnem peti laudis materiam fas esse videatur. Nec quae a Principe nostro insigniter geruntur, ipse videtur velle singillatim et impensius extolli; et quae arcano acta sunt, quamvis sint eximia nec plane incognita, non decet pertractari publice. Verum nova argumenta haud desidero: ita comparatus animus humanus est, vix ut quisquam in iis rebus illustrandis, quae libero cogitationis et verborum cursu explicantur, longiori aliquo intervallo in easdem plane sententias eadem serie inter se connexas eademque verba incidat: hoc interest inter liberam mentem et necessitatem naturae, quod rerum natura eadem quotannis tempestate easdem herbas et flores et fructus regenerat, humana mens quoque tempore aliis impellitur momentis, alias rationes et cogitationes extundit et in medium confert. Nec tamen fortuito impetu movetur animus: alia tempora aliarum rerum admonent. Me vero hic pacatissimus et felicissimus imperii Borussici status ad nullam nunc aliam cogitationem magis detulit quam ad contemplandam Friderici Guilelmi benevolentiam, quam communem praestat universis. Nobis enim bene est, quod ille nobis bene facit: bene facit autem, quod bene vult ex animo.

Benevolo Friderici Guilelmi animo potissimum hanc rei publicae felicitatem, hunc in re publica litterarum florem deberi affirmo: benevola enim principis mente nihil esse civitatibus salutarius. Quam sententiam illustraturo mihi exopto ut vestrae

quoque aura benevolentiae adsit, auditores, veniamque ultro a vobis peto, ut quoniam non in foro, non in curia, non apud populum loquor, sed pro corona eruditorum et eruditionis studiosorum, liceat hinc inde aliquid admiscere, quod scholae potius umbram redolere videatur quam contionis accommodatum luci esse. Quodsi quid sit benevolentia, quaerimus: ut constat alios natura ad tristitiam, severitatem, saevitiam propensos esse, ita benevolentiae affectus, quamquam ratione et usu excolitur, non comparatur arte, sed dono contingit naturae, et habitus est quidam nativus et constitutio animi, qua omnibus, quibuscum verseris, bona esse quam plurima cupias, eosque amore prosequaris. Princeps vero quum unus omnium civibus beandis natus sit eorumque debeat saluti et prosperitatibus cunctis providere; haec animi indoles vere principalis est civiliumque virtutum prope omnium mater et nutrix. Hac virtute Imperator Titus, quem vetus scriptor dicit natura benevolentissimum fuisse, pulcherrimam illam meruit laudem, ut amor et deliciae generis humani vocaretur; hac virtute princeps, quantum fieri per humanam imbecillitatem potest, summum aemulatur numen, cui ut pro viribus assimilentur, et reliquos decet mortales summa ope niti et vero principes, qui deorum locum in terris obtinere antiquitus visi sunt. Nam Deus, quod nostra potissimum religio praecepit, universum genus humanum immenso complectitur amore, bonorumque omnium benignissimus auctor et dispensator est: nec movetur invidia aut odio, quae duo vitia sunt benevolentiae contraria. Invidia enim insectatur eos, qui videntur felices esse, quod bonis virtutibusque aucti et ornati sint, invadit et deprimit splendidos, obscura extollens nomina, et angitur alienis rebus secundis, etiamsi nullum ex iis sibi detrimentum sentit invidus; odiumque ea est ratio mentis, quae facultatem male faciendi speculetur et captet cum voluptate, quod osores eum, quem oderunt, vel malum esse vel ipsorum utilitatibus obstare putant. Ex quibus rebus nihil in Deum cadit. Neque enim, quod scitis Herodoto potissimum placuisse, divina invidia prosterni quidquid nimis sese efferat, nec sini quidquam magnificum esse, tenuibus autem condicionibus parcere deum iram, id potest cum divinae mentis puritate et sinceritate conciliari: quamquam isti sententiae eatenus aliquid subest veri, qua siqui superbiores sunt, sua culpa solent eo graviore ruina cadere: ed multo rectius pridem statuit Plato mundi opificem ob id

ipsum, quod bonus est, remotum esse ab invidiae affectu, ideoque voluisse omnia sibi quam simillima efficere; neque odium fas videtur divinae naturae imputare et quae ex odio manat iram et vindictam, quum ne homo quidem bonus indulgeat ultioni, ac ne maleficus quidem ideo puniendus sit, ut mala patiatur et fiat deterior, sed ut corrigatur specie mali et expietur delictum. Iam haec eadem haud vereor principi accommodare. Bonus princeps, sicut ipsi nemo invidet, quod ita supra omnes collocatus est, ut privatus nemo cum illo comparari possit, neque invidet cuiquam, nec rursum odio quemquam persequitur, ne noxium quidem: ac siqua animadversione opus est, ut publicae provideatur securitati, non animum explet supplicio, sed punit invitus et miseratur necessitatem puniendi. Enimvero istis motibus animi quod boni principes non perturbantur, sed benignitate ducuntur et benevolentia, merito sunt sereni et serenissimi vocati: atque his artibus quae regatur res publica, ea videtur ad perfectionem proxime accedere, non quae armorum vi et astutiis contineatur quamvis firmiter. Quis vero Rege nostro serenior, quis benignior in omnes? denique quis est quin intelligat, hac potissimum generosa Friderici Guilelmi indole, quam cives universi intimis sentiunt praecordiis, id esse effectum, ut regnum Borussicum post tot fortunae vicissitudines efflorverit laetissime, atque inter motus varios et acerrimos integra gavisum sit et gaudeat tranquillitate?

Haec quidem eo fine disputavi, auditores, ut quum reges divina auctoritate imperare merito videantur, ex ipsa divinae mentis indole, quantum hanc assequi mortales possumus, benevolentiam principibus iniunctam esse demonstrarem. Atqui benefacere non potest nisi qui ratione agit: igitur haec summa est benevolentiae principalis, ut qui regnet ducem sequatur rationem. Sed ratio, qua universam rerum naturam gubernat numen providens, in humanae vitae communione instituit legem, quae ut ait vetus poeta, mortalium et immortalium regina est: ex ratione igitur et quam ratio fert lege benevolus princeps administrabit rem publicam, non ex arbitrio et libidine. Is demum princeps divina auctoritate imperare vere dicetur, qui, quod Rex noster temperantissimus facit perpetuo, ratione, quae ipsum inhabitet, ac ne quid ipsi excidat inconsultius aut iniquius, custodiat, utitur in moderanda re publica: nisi forte quis haud veritus convicium dicere in Deum, etiam Neronem, Commodum,

Caracallam, similia monstra, quae natalibus vel hereditate a imperium vocata sunt, divina auctoritate vexasse et afflixiss genus humanum, et quaecunque a saevissimis principibus act sunt, recte acta esse affirmabit: quemadmodum olim Anaxarchu Abderites, qui propriam quandam philosophandi viam iniera et commune hominum aspernabatur iudicium, quum Alexandrum Magnum ob necem Clito illatam summo affectum maerore vide ret, reprehendit regem, quem universus suspiceret orbis, quo tamquam mancipium lacrimaret proiectus, hominum reverens in stituta et metuens vituperia: non illum debere vanae opinion servire; ipsum esse legem et iusti rectique normam; idcirco Iovi assidentes Iustitiam et Themin fingi, ut quidquid ab imperante gestum et factum sit, id habeatur iustum et fas. Exstinguitur potius quod in principe divinum est, quum primum is ab recto, iusto, pio penitus deflexit et contaminatur sceleribus. Ceterum princeps, qui omnia sua consilia ex ratione repetit, non ex libidine, per universam quoque civitatem rationem et intellectum diffundi ac disseminari cupiet, et quoniam ea bona, quae in hominum potestate sunt, scientia et virtus, antecellunt ceteris, nulla re potest civitati universae esse beneficentior quam litterarum studiis ita adiuvandis et regendis, ut litterae et floreant et in communem convertantur usum: convertentur autem maxime in communem utilitatem, ubi singulis rei publicae partibus praeficientur viri, qui praeter probitatem ac sollertiam ad negotia gerenda omnino necessariam accurata exculti doctrina sint, cuius fructum spargere suo quisque loco possint. Qui quum in universitatibus potissimum litterariis formentur, merito in his partim condendis partim emendandis et instaurandis summam curam collocavit Fridericus Guilelmus: neque vero, dum has ornat, reliquas neglexit scholas, sed pari benignitate adiuvat omnes, et plebeiae quoque ac paganae multitudini prospicit, haec ut eorum possit rudimentorum compos fieri, sine quibus vix queat ad humanitatem pervenire. Non tamen Rex sapientissimus litteris tantum eatenus subsidia praebuit, quoad utilitatem praestant rei publicae et usu remunerantur beneficium: quod ubi fieret, male consultum esset litteris, quae non possunt eadem qua acceperunt mensura reddere munera: sua causa Regi et dignis hoc Rege ministris adiuvandae litterae videntur. In quo perspicias germanum principalis benevolentiae affectum. Non enim benignitas est, quae velut in emptione computet quid

recipiat, minimeque regium est sed vernilis ignobilitatis, fructum beneficiorum spectare. Denique Fridericus Guilelmus non solum in litteris sed in quibuslibet civitatis partibus fovendis non sua spectat emolumenta, sed quod boni esse principis summus philosophus pridem docuit et Fridericus Magnus suo approbavit iudicio, civium suorum quaerit commodum, et ad hoc universa sua dirigit consilia: qua re ipsa efficitur, ut mutuo caritatis vinculo regia domus et populus coniuncti sint, atque ita cum hac re publica hoc coaluerit regnum, ut diduci non possint sine populi ipsius damno et pernicie.

Non una via est, auditores, qua benevolus principis animus civium adiuvet res. Primum solo affectu caritatis, sola comitate et popularitate, solo iudicio et assensu studia hominum alit, excitat, incendit. Si princeps nullum genus parentium parvi habet, si agricolam, opificem, negotiatorem, eruditum sibi caros esse ostendit, si alloquio dignatur, probat, laudat, ipso hoc benevolentiae documento sine munere est beneficus. Pericles, non ille quidem rex, sed auctoritate sua regibus par, quod Anaxagora, Damone, Phidia familiariter usus est, Scipio Aemilianus, quod Polybium et Panaetium in consortio habuit, idem ille Scipio et Laelius, quod Terentium coluerunt, iudicio suo aluerunt litteras artesque: Friderico Magno exprobratum est, quod vernaculos poetas et scriptores contemnendo et peregrinis posthabendo Germanorum obstiterit eruditioni; qui quamquam idoneam habet excusationem, quam referre nihil attinet, tamen inde intelligas, quantum nocuisse visum sit tanti principis iudicium. Sed maius et efficacius benevolentiae documentum princeps dat, qui tantam, quantam per salutem universorum licet, singulis in civitate generibus hominum in suis cuiusque negotiis exercendis libertatem concedit. Recte quidem bonum principem patrem patriae appellamus: in quo hoc inest, ut subiectis imperet non tamquam servis sed ut liberis: pater familias enim liberorum parens est, non mancipiorum; cui ut hac re similis sit princeps, ea vera videtur patriae potestatis vis esse, ex qua nonnulli regiam esse natam volunt. Enimvero ea res publica non potest libera haberi, in qua ad quodcunque te negotium contuleris, quamcunque artem exercebis, quodcunque opus suscipient cives, circumstant undique et impediunt leges, decreta, vectigalia, monopolia, vel aerarii causa vel prava ad rem publicam cuncta trahendi cupiditate nimiaque an-

xietate constituta: id quod in nonnullis rebus publicis, quae videntur liberrimae, haud raro constat accidere. Qua in re quam sapiens temperamentum tenuerit Fridericus Guilelmus, quantumque agrorum cultum, opificia, commercia prudentioribus legibus ac reddenda iusta libertate sublevaverit sine ullius detrimento, non est quod exponam scientibus. Iam vero litteris quid magis opus est quam libertas? Quarum quum aliae in naturalibus rebus scrutandis, aliae in rerum gestarum memoria, aliae in mathematis, aliae in philosophia vel naturali vel morali versentur et in politicis, quae morali philosophia comprehenduntur, aliae denique ex philosopho et historico vel physico genere mixtae sint, quo refero theologiam, iuris peritiam, medicinam; quamquam ex his nonnullae videntur etiam sine libertate florere posse, quod eas ne suspicacissimus quidem suspectas habet: quis enim ex arithmetica geometricaque disciplina, ex historia plantarum, ex grammatica et metrica doctrina vel archaeologia artium similibusque litteris metuet ne quid detrimenti capiat res publica? tamen nulla ex potissimis litterarum partibus, ne poesis quidem, quam quod ab universitatum studiis remotior est, prius non nominavi, potest ad florem pervenire, si iis aliae sequendae leges sunt atque eae, quae in artis ipsius natura et ingenio fundatae sunt: potissimisque illis corruptis, reliquae non multum conferent ad animi cultum. Nam ut paucis exemplis defungar, si philosopho non licet, quo eum altissima ferat meditatio, eo regere cursum mentis, sed certus aliquis philosophandi finis praescriptus est, quem aliorum constituerit praecepta opinio; si historico et politico non licet res gestas ut gestae sunt referre, sed cogitur alia reticere, alia fucare, et probare quae recta ratio non probet, vel quae haec probet non probare; si theologus et iuris peritus prohibentur in rerum divinarum et humanarum iustique et recti causas ultra inquirere quam hoc conducere potentibus videatur; si physico verendum est, ne quae naturam rerum perscrutando invenerit, quod contraria dogmatis quibusdam videantur, quae pro divinis posuerunt homines, tamquam impia damnentur publice: scientia, quae sua natura ad perfectionem nititur, quantum penes civitatem est sistet gradum, et cum scientia genus humanum, cuius progressum movet et metitur scientia et intellectus. Vituperantur discipuli, qui in verba magistri iurant; praeceptoresne volemus in placita iurare orum, qui ne magistrorum quidem loco haberi queant? Ita

fiet, ut docenti faucibus haereat vox: obmutescent cordati homines: veritas cedet simulationi. Ipsa scientia, quod rectum, bonum, pulchrum est, docet, atque eatenus est imperii impatiens, quatenus quod imperatur rationi non sit consentaneum. Et multis saepe saeculis anticipat scientia verum a multitudine non perspectum. Quid quod placita doctorum, quae ante aliquot saecula multitudini impia visa sunt, nunc ipsum vulgus probat, ridetque maiorum superstitionem, qui ea damnarint; et quae pia habuit prior aetas, intelligimus impia, saeva, scelesta esse? Ea est enim scientiae virtus, ut quidquid obiicitur impedimentorum, ut ferrum etiam et ignem superet. Est sane, est humanae menti cursus a providentia destinatus et divinitus praefinitus, quem ea, etiamsi aliquando paullulum intermittat, persequitur viribus integris: ipsa intervalla, ipsa obstacula novas addunt vires, ipsorumque errorum ambages et deverticula solent ad rectum stadium reducere decurrentem. Itaque nihil a litteris rei publicae timendum videtur; erroresque hominum litteratorum, quibus non nego etiam civitates aliquando perturbatas esse, quamquam illos nego vere eruditos esse, qui turbent res humanas, isti igitur errores convincentur argumentis: immodestia vero et procacitas, nisi praestet contemptus, castigandae, ferocesque animi coercendi sunt. Nos quidem ab his vitiis alienos Friderici Guilelmi benignitas et sapientia non sepsit acriore custodia: perfecta gaudemus libertate docendi et discendi; quae non ultima causa est, quare Friderico Guilelmo toto debeamus animo obstricti esse: et sentimus hoc omnes gratiamque habemus maximam. Sed praeter metum invidia quoque incessi litterae possunt, si quando foventur intentius et amplioribus splendidioribusque instruuntur copiis, doctique honoribus opibusque augentur, quum tamen invidis istis videantur inutiles esse et immerito praeferri hominibus utilioribus; prorsus ut saltatrici vel cantrici mimaeve invideri lautiora sua salaria saepe audivimus, ne hoc quidem recte, quod etiam delicatis artibus, quae movent et delectant cum oculis et auribus animos elegantiorum sensumque pulchri formant, aliquid tribuendum est apud cultiores populos, et quod, quae exsequi nemo alius potest, quia vocis et gestuum gratiae naturae bono obtingunt, si tamen ea audire et spectare operae pretium est, tanto sunt largius remuneranda, quanto plures reppereris viliore mercede, qui vulgaribus negotiis obeundis pares sint. Apud nos, opinor, obsolevit universum hoc genus

invidiae, quod doctos invasit hinc inde: immo id quum privatorum sit, nunc omnino non videtur commemorandum fuisse. Verum possunt etiam principes invidere eruditis: quo pertinet, quod aegre ferunt dissensum doctiorum et sapientiorum ac nolunt ab his vinci. Rarum sane huius rei exemplum tantoque illustrius est Imperator Hadrianus, ambiguae princeps famae, sed ingenii facultate immensa, et qui virtutibus et benefaciendo superasse vitia naturae haud exigua videtur, nec saepe oblitus esse quod pollicitus erat, ita se rem publicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non suam: ille igitur quum inde a pueritia Graecis Latinisque litteris esset egregie imbutus, nec contemnendam operam in musica et pictura affinibusque artibus posuisset, in summa familiaritate quidem habuit grammaticos, rhetores, philosophos, geometras, musicos, pictores, architectos, et professores omnis generis honoravit opibusque ditavit, sed nimia ambitione, quod doctior videri omnibus volebat, irrisit, illusit, invidia pressit eruditissimum quemque, Apollodorum vero architectum, qui eius diagrammata liberius taxaverat, non solum in exsilium eiecit, sed postremo, qua erat saevitia, etiam occidit. Sub tali quoque principe, litterarum quamvis amantissimo, libertatem retinere litterae haud facile possunt; lepideque Favorinus Arelatensis, quum ab Hadriano reprehensus male cessisset Imperatori ideoque a familiaribus vituperaretur, respondit sibi patiendum esse, ut ille videretur doctior, qui haberet triginta legiones.

Diutius commoratus sum, auditores, in iis rebus illustrandis, in quibus etsi haud exigua principalis benevolentiae pars cernitur, tamen ea possit minus manifesta videri: nunc paucis absolvam ea, quae in promptu posita sunt. Benevolentiae est praemia conferre, quae potissimum honoraria sunt. Ambitione quidem, quae honorum est cupiditas, pariter fere ad prava atque ad recta compelluntur homines; et quae res publica nimium colat ambitionem civium, hos magis corrumpere quam ad virtutem erigere videtur, ultroque efficit, ut honores, quibus uti ad excitandos animos voluerat, evilescant paullatim neque amplius suum usum praestent: quod liquido perspicias in veteribus rebus publicis, ex quo, labente simul morum severitate et imminuta caritate patriae, honores illae et ornamenta non tam largiri quam profundere solebant. Attamen bonus princeps communem omnibus ordinibus benevolentiam suam demonstrabit, ubi nullum

em ab iis excludet ornamentis, quae moris est tribuere bene

merentibus. Pervenio ad ea, quibus solis plerique beneficia metienda censent, ad pecuniaria subsidia. His nullo non tempore indigent plurimi, et quoniam privatorum opes non sufficiunt, ut horum collatione consulatur necessitatibus egentium, confugitur ad rem publicam et rei publicae caput principem. Succurrendum est aegrotis, invalidis, viduis orbisque: modo urget sterilitas frugum, penuria alimentorum, quaestus inopia; modo vilitas annonae affligit aratores, ingruit pestis, subita inundatione merguntur praedia et campi, rapiuntur homines pecudesque; modo deficit res nummaria, auro argentoque signato in varios usus quasi absorpto et attento, et aere alieno premitur populus. Harum calamitatum nullam non experta nostra aetas; omnibusque in suo regno providentissimam et benignissimam medelam attulit Fridericus Guilelmus vel remittendis aut sublevandis oneribus, vel pecunia credenda et donanda, vel bonis quibuslibet consultis et institutis. Verum etiam in summa rerum omnium integritate multa et praestantissima perfici nequeunt, nisi ex publico praebeantur sumptus; maxime vero artium liberalium et litterarum condicio nunc quidem ea est, ut magna ex parte publice alendae sint, propterea quod opera, quam praestant, maior est quam pro quaestu ex mercede, quae solvatur a privato, et quod apparatus multiplices atque amplissimos noster hic eruditionis status postulat, postremo quod otio opus est et artificibus et doctis, ut bona proferant opera, quae vix videntur absolvi posse, ubi quotidie instet et urgeat exactor. En pulcherrima materia regiae munificentiae proposita, quam ullumne regem dicemus perfectius complexum esse Friderico Guilelmo? Tantum de largitionibus: unum mihi superesse video, in quo benevolus regis animus maxime spectetur. Bonum quippe principem dixi poenas repetere invitum et miserari necessitatem puniendi: itaque, quantum patitur salus publica, unice propensus est ad ignoscendum. Titus patricios duos viros, qui in ipsa affectatione imperii convicti erant, non modo non punivit, sed monitos, ne quid ultra auderent, coenae familiari adhibuit, iisque promisit, siquid desiderarent, se tributurum: eosdem postridie, quum gladiatores spectaret, circa se collocavit, et oblata sibi pugnantium ferramenta iis porrexit inspicienda. Similiter olim Octavianus Augustus, postquam intellexit severitate se vix dum quidquam profecisse, cum L. Cinna, Gnaei Pompeii nepote, insidiatore suo egerat: verum Octaviano hoc vel sua vel quod memoriae

proditum est, Liviae uxoris prudentia ministravit; Tito certe non prudentia, ut illud faceret, persuasit, sed magnitudo animi et innata clementia: quamquam utiles rebus humanis et publicis ignoscentias esse ne severissimi quidem negabunt, ne acerrimus quidem ille Cato Censorius negavit, sed etiam oratione, quam in Senatu habuit pro Rhodiensibus, professus est publice. Non laudo impunitatem delictorum, nec spoponderim ignoscendo scelera prorsus caveri: sed magis tamen clementia exarmari ferocissimi animi quam animadversione videntur atroci.

Adumbravi, quantum brevi oratione potui, imaginem benevoli principis, auditores, plurimisque locis simul, quantum huic respondeat Fridericus Guilelmus, significavi: neque tamen vel illis locis vel in reliquis partibus quemquam arbitror hanc desiderasse significationem, quum universa Friderici Guilelmi vita omnibus testetur id, cuius causa hoc delegi argumentum, serenitatem et benevolentiam Regis, odii ignaram et invidiae. Ex qua animi indole generosissima quaecunque nascuntur bene facta, ea non solum nos, qui in litteris docendis et discendis versamur, experti sumus et experimur quotidie, sed res publica universa et permulti singillatim subiectorum, quos vel praemiis vel opibus vel ignoscendo et omnis generis gratia adiuvit et beavit; nec solum res publica et cives, sed etiam exteri, quod moderatus, mansuetus, immemor irarum et offensae, noluit simultates propagari et perpetuari, sed pacis extitit stator, conciliationis sincerae dux et auctor. Paucis dixi rem maximam. At quae in nos contulit et confert Rex clementissimus, nunquam excident nostris mentibus: haec vos imprimis, commilitones carissimi, qui ad litteras tractandas et munia rei publicae obeunda praeparamini in hac schola artium a Friderico Guilelmo condita, animo retinete diligenter, et date operam, ut probitate morum, studiorum alacritate, optimis quibusque consiliis iam nunc capessendis, denique egregii Principis amore, qui solus obsequii liberalis est parens, dignos vos praestetis ea benignitate, qua digni iudicati a Patre patriae estis. Postremo precor Deum Optimum Maximum, ut eius principis, cuius auspiciis Borussia per extrema olim discrimina traducta integra est, recreata atque aucta nunc floret, firma et immota stabit posthac, ut Friderici Guilelmi porro provideat saluti, faveatque et perpetuitatem addat beneficiis per illius manus in rem publicam collatis, atque una cum Rege dilectissimo omnium Augustam servet incolumem.

XXVI.

Oratio natalicüs Friderici Guilelmi III. celebrandis d. III. m. Aug. a. MDCCCXXXIX. habita.

Quum in anniversariis his sollemnibus sanctissimis, quae Regi optimo civium dedicavit pietas, tantum non ab incunabulis scholae nostrae quotannis verba facere solitus, auditores, superiorem annum, quod publicis districtus muneribus eram, intermisissem invitus, et successisset in locum meum collega carissimus, quem tum summa cum voluptate audivimus Friderici Guilelmi laudes eleganter, copiose, graviter disserentem: sperabam fore, ut si forte me insciente vel affectae vel fatigatae crebra repetitione meae vires essent, hac recrearer quiete, et eximii oratoris exemplum incenderet non voluntatem meam, cuius totiens dedi documenta, sed ingenii aemulationem et ardorem. Verum praeter exspectationem cecidit res. Hucusque mecum me comparaveram; licebat mihi blandae acquiescere spei, non me infra me descensurum: nunc me in beatissima et affluentissima rerum copia frangit et affligit illud ipsum, quo mihi visus eram erigi posse, qui appropinquante iam senio et exhaustis eloquentiae telis, nec pondere sententiarum neque ubertate dicendi nec lateribus ita valeam, ut contendere possim cum fortioribus et integris, quibus cedere malim quam comparari. Quodsi mihi obrepserit languor, neque exaequavero priorum annorum alacritatem, transferatis rogo in hoc tempus aliquid eius studii, quo me olim videmini prosecuti esse dicentem, et patiamini pristinae facilitatis vestrae memoria refici meam mentem, quae non refecta sit quiescendo. Quid quod meo iure mihi videor indulgentiam vestram non modo precari sed postulare, quod quo vos prudentiores estis, auditores, eo magis intelligitis, in quantum discrimen committatur is, qui quod Regis laudibus saepissime et per omnes partes perfunctus est, cogatur aut iterandis iis, quae prius dixit, sibi non satisfacere, aut longius discedendo a proposito minus respondere huius diei dignitati et tantae vestrae exspectationi. Itaque vobis fretus aggredior ad dicendum, hoc usurus temperamento, ut nec mea in Rege venerando deside-

retur pietas, nec verear aliquantum discedere a Principis dilectissimi praeconio. Nam ut hodie in litteris immorer, a nullo eorum qui nunc sunt principum, a nullo eorum qui antea hoc regnum tenuerunt, ne a Friderico Magno quidem, qui tamen optimis imbutus artibus atque ipse doctus et poeta et philosophus fuit, tanta et cura et munificentia adiutas litteras esse quanta a Friderico Guilelmo, non solum nos Borussi praedicamus, qui possimus rerum nostrarum venditatores haberi, sed etiam exteri omnes miro profitentur consensu. Idem nostram imprimis bonarum artium sedem florentissimam condidit, conservat, amplificat, ornat; nullis parcit impensis, ut nostris provideat necessitatibus; non desinit damna reparare, nova decora addere, eximios huc vocare professores, supellectilem et apparatum doctrinarum augere: id ipsum, quod insolito hodie loco convenire coacti sumus, testatur non fatigari Principis largitionem, qui aedes nostras prorsus regias, quas nobis ante hos triginta fere annos donavit, magnifice instauret sumptu aeque regio. Nec minora aliis universitatibus praestitit et praestat; denique per regnum universum omnis generis scholas et rem publicam litterariam admirabili tuetur benignitate. Ita Fridericus Guilelmus hanc meruit laudem, qua nulla potest principem magis ornare, ut litterarum in regno suo censeatur stator, altor, conservator promptissimus et felicissimus. At mihi consideranti, quantum Friderico Guilelmo debeant litterae, oblata est haec cogitatio, quid sit quod quoque tempore et in quoque rei publicae statu princeps conferre ad litterarum florem possit, quid ne summa quidem diligentia adhibita possit. Has igitur iustae rerum rationis expendendae potius quam vagae laudationis et huc illuc discurrentis partes nunc suscipiam: quo spero me id effecturum, ut pateat Fridericum Guilelmum, quae sint in principis potestate, perfecisse omnia.

Itaque ut ab iis exordiar, quae princeps efficere non potest, sunt haec ex duplici genere: alia enim effici omnino non possunt subveniendo et adiuvando, alia certis condicionibus non possunt. Quid enim quod dubitatum est, num litterae ullis praemiis, ullis subsidiis et adiumentis extrinsecus ministrandis provehi queant? quid quod summis studiis et munificentia parum effecisse Medicei visi sunt, Ludovicus Quartus decimus autem Galliarum rex aliquid etiam nocuisse? Quod iudicium ne quis imperitius esse putet, iuvat eius si non auctorem, certe adsti-

pulatorem dare Lessingium, earum rerum, quae ad litteras pertinent, omnium aestimatorem longe prudentissimum. Nimirum magna ingenia sponte nascuntur, non seminantur cultura: illa vero aperiunt litterarum vias nullius ante pedibus tritas, illi duces et antesignani reliquae manipulari doctorum multitudini sunt, suisque potius viribus quam alienis adminiculis moventur moventque alios. Nam ingenium ipsis impedimentis incitatur, et quo maiores vincendae difficultates sunt, eo magis confirmatur et eminet: id quod in poetis potissimum cernas, in nullo vero apertius quam in principe Britannorum poeta Shakespeario, qui humili loco natus et perexiguis instructus eruditionis instrumentis praemiisque vel nullis vel tenuissimis allectus ingenita virtute pervenit ad summum. Illius demum saeculi praedicaverim felicitatem, quod non solum principem tulerit litteras et artes foventem, sed etiam ea ingenia, quae talis principis sufficiant desideriis: ut et horum splendore illustretur illius regnum, et dignorum summis beneficiis ingeniorum portus sinusque sit princeps. Sed quaedam genera litterarum eaque nobilissima, poesis maxime et quae sunt poesi proxime cognata, quando virorum clarissimorum studiis ad perfectionem adducta sunt, solent fere gradum sistere et quasi super partis quiescere laureis; sicut apud Graecos post Aeschylum, Sophoclem, Euripidem non extitit, qui in tragoedia posset cum illis componi, et apud Germanos Schillerum et Goethium nondum quisquam superat aut aequat. Iniuriam faceres aequalibus, si per universam gentem diceres exolevisse indolis praestantiam: sed exemplis priorum premuntur qui succedunt, et lege ut videtur naturali summum in quoque genere quaeque natio non potest nisi semel consequi, donec singulari munere providentiae plane nova nascatur aetas redeatque quasi annus magnus gentium, quo aliud afferatur genitale ver, novus ingeniorum proventus surgat, denique novum cursum conficere recuperatis atque auctis insuper viribus properet humanum genus; quemadmodum arbor eodem anno semel tantum flores et fructus profert, sed eos vertente anno regenerat laetissime. Quod vero de poesi diximus, idem videre licet in philosophia, cuius historia universas fere mentis humanae vicissitudines continet. Quippe haec apud Graecos a Thalete inde usque ad Aristotelem continuo quodam gravissimarum cogitationum flumine effusa est, mox in rivos diducta, quorum unus et alter Stoam hortosque Epicuri irrigavit; tum quo diutius superfuit, eo magis, si divina quaedam

ingenia exceperis, consenuit: eadem medio aevo reducta est atque iterum defluxit; postremo interiectis multis magnorum virorum conaminibus a Kantio novis fundamentis firmata est, ac deinceps a Fichtio, Schellingio, Hegelio, ex quibus triumviris duo nostri et inter primos nostrorum fuerunt, tantis incrementis aucta atque eo usque evecta, ut exhausta haec quoque successio esse videatur et iam subsisti aliquantulum. Atque huc quum perventum est, simul eum studiorum fructum haud exiguum percipere gens solet, ut non pauci aliqui et insigniores viri litterarum custodes et dispensatores sint, sed auctis comparandae eruditionis subsidiis facilique ad eam aditu dato et vulgata per omnes artis cum aliquo successu tractandae via et ratione, quam invenerant et praeceperant ii, qui familiam duxerunt, eruditio latius sparsa et disseminata sit, multosque nec contemnendos auctores habeat, quorum nullus ita emineat, ut longiori reliquos intervallo superet. Ita fit, ut doctrinarum opibus, quae olim a paucis divitibus possidebantur, divisis inter multos, res publica litteraria, quam prius quodammodo tenuerant optimates, in popularem quasi statum mutetur. Quarum rerum omnium summa, siquid video, non pendet ex arbitrio principis: sed adducit eas mentis humanae cursus fatalis suis parens legibus et ordini sempiterno, qui ad finem destinatum rapit mortales invitos et obnitentes; praesidet iis numen, quod ingenia mittit et revocat, ac quum universo generi humano tum singulis populis sua cuique statuit et descripsit saecula certis quibusdam notis signata.

Dixi principem certis praeterea condicionibus non posse quaedam, quae ad litterarum florem pertinent, efficere. Ita sunt, ut his utar exemplis, aliquot litterarum genera, quae nequeant nisi in certo quodam statu rei publicae absolvi. Inter haec primum locum obtinet eloquentia, civilem dico, non sacram, non umbratilem scholarum, quae ut retineat colorem et speciem disertae orationis, perdiderit tamen succum et sanguinem. Veteris quidem Graecorum et Romanorum eruditionis nemo negat hanc eloquentiam fuisse partem non ultimam: haec vero ut vigeat, duabus opus est civitatis virtutibus. Nam debent cives et ita propensi ad artium elegantiorum et omnis humanitatis cultum esse, ut non solum patriam linguam summo studio excolant, sed etiam in eas res omnes, quae ad societatem hominum tuendam, ad iura legesque constituendas, conservandas, corrigendas referuntur, alacri inquirant animo, et ea frui libertate, quae copiam

faciat dicentibus ostendendi, quantum in re publica valeat eloquentia: quae duae res quum eximie convenissent in Atheniensium civitate, in ceteris civitatibus, quamquam haud plane rudibus artium, minus convenissent, illi inter Graecos fere propria extitit ars dicendi, pluribusque oratoribus una urbs Attica floruit quam reliqua Graecia universa. Quae ars quamquam dici vix potest quantum in rebus publicis momentum habeat, quod libertati parenti suae reddit nutricia, quod latentem civitatium labem aperit publicamque simulationem, quod de imminentibus monet periculis, quod providet, hortatur, incusat, ignaviam pellit, inertes rebusque gerendis impares deprimit et rei publicae gubernaculis admovet prudentissimos, fortissimos, promptissimos: tamen etiam in litteras magnam exercet vim. Nam dictionem una cum philosophis et poetis formant et fingunt oratores, eriguntque animos sententiarum gravitate, acuuntque sensum elegantiae, et erudiunt aures, et quod potissimum esse iudico, vim et robur linguae augent mirifice. Tolle oratores: multum linguae praecideris nervorum, multum ipsi poetae, philosopho, rerum scriptori eripueris alimenti salubri succo plenissimi; qui omnes quantum nutriantur eloquentia, potest ex Graecis litteris coniectura fieri. Sed eloquentia locum non habet in omni re publica: itaque ne Ptolemaei quidem, litterarum quamvis studiosi, potuerunt eloquentiam instaurare. Non contendo summam istam libertatem, quae artem oratoriam genuit et nutrivit, praeferendam esse stabili huic rerum condicioni et publicae securitati: immo si recte vetus sapientia praecepit dimidium plus toto esse, praestiterit forsitan semiliberum esse: illud interioribus rerum causis adductus affirmo, hoc litterarum genus excoli non posse in iis imperii formis, in quibus non aliter constet ratio quam si uni reddatur. Nec vereor idem aliqua ex parte transferre ad historiam, quae primum bene scribi nequit nisi ab eloquente et facundo, quae praeterea eandem fere quam eloquentia libertatem dicendi postulat, quod prima haec historiae lex est, ut non modo nihil falsi dicere audeas, sed quidquid verum est dicere, denique quam refugient et aggredi reformidabunt praeclara ingenia, quum primum perviderint reticenda et premenda esse non quae sibi ipsis, sed quae aliis quibuslibet displiceant iudicibus, et nullo fructu publico conflare sibi invidiam et offensiones, qui nolit vel simulare vel dissimulare. Quae incommoda etsi boni principis indulgentia tantum levabit, quantum impe-

rii patietur ratio, tamen haec gravioribus praesertim rei publicae temporibus et in magno motu quantum patiatur, nec constat omnibus nec facile est intellectu. De quo utut statuetur, qui quod me instituisse professus sum libere, iustam rerum expendat rationem, in eo de quo disserimus argumento tractando intelliget et tempora spectanda esse et eum, qui quaque tempestate obtineat, rei publicae statum et condicionem.

Convertor nunc ad laetiorem et iucundiorem earum rerum explicationem, quae, qualiscunque est civitatis status, pendeant ex principe. Qui etsi ingeniorum sator non est, tamen nata quaerere, agnoscere, fovere, in lucem producere, denique iis uti vario modo potest; rectus vero usus erit is, ut nolit eorum studia ipse regere iisque leges dare, sed ut eorum obtemperet cursui, qui sponte fertur ad id, quod praestantissimum est. Et quum rudiori cuiusque populi saeculo princeps potissimum cultioris vitae et omnis eruditionis fundamenta iacere possit scholis condendis atque instruendis, quod scimus olim fecisse Carolum Magnum, et nunc videmus in Graecia, quo inveterata pellatur barbaries, faciendum esse ac fieri: tum qui eruditionem per regnum suum iam disseminatam acceperit, ut accepit Fridericus Guilelmus, quod nova quaeque aetas nova sibi adminicula deposcit, nec quae prioris aetatis necessitatibus sufficere videbantur, sufficiunt praesenti, immensam habet litteris benefaciendi materiam, quae in eo posita est, ut suppleat quae maiores imperfecta reliquerunt, ut si praesertim prolati fines imperii fuerint, novas bonarum artium addat sedes, ut scholas quaslibet et cetera litterarum instituta ad eum, qui adductus sit, meliorem eruditionis et scientiae statum et ad communem utilitatem accommodet, denique ut nihil omittat, quo et conservari parta et ad bonam frugem praesentia converti, et nova artium incrementa parari, nova lumina elici latiusque spargi possint. Nunquam enim quiescit humana mens: quodsi, ut diximus, remittunt aliquando certa quaedam studia, tanto acrius incenduntur alia. Nae iste postulet ut operam ludamus, qui cupiat a me demonstrari, cunctis his litterarum desideriis neminem eorum qui nunc sunt et olim fuerunt principum Friderico Guilelmo satisfecisse et satisfacere prudentius, efficacius, munificentius, neminem tanta tam sincera animi benevolentia, sua sola voluntate benefaciendi adductum, nullo ambitionis stimulo, tam procul ab ostentatione ac profusione quam a parcitate et tenacitate intempestiva. Sed

liceat mihi paullo propius inspicere eas artes, quibus princeps principisque ministri in ea potissimum, quae nunc est, rei publicae litterariae condicione de litteris universis videantur optime merere.. Nam quum ita iam creverit eruditio, ut in quovis fere genere uberrimus suppetat numerus eorum, qui probabili sint scientiae colore imbuti, nec tantum hoc imbuti colore, sed etiam iis instructi doctrinae praesidiis, quae ad instituendam iuventutem videantur aptos reddere; quo amplior est copia competitorum, tanto est facilior delectus, et rursum difficilior: facilior, si satis habetur haud indignum in cathedra collocasse; difficilior, si quaeritur dignissimus. Est vero dignissimus quaerendus: quae res per se ardua saepe ultro turbatur ambitu et gratia, aliquando etiam invidia, quae invadit summos, minorum incuriosa. Laudo auream mediocritatem, modo ne in fastigio collocetur: evilescunt praemia, honores, magistratus, officia, munera quaelibet, nisi conferuntur dignissimis. Atqui inter tantas imperii curas quotus quisque est principum, qui possit huc descendere, ut ipse deligat professores et omnis generis magistros? Itaque ad quamcunque perfectionem litterae pervenire sua virtute sine perito moderatore poterunt, plurimum interest litterarum, qualibus viris publicae institutionis curam et regimen tradat rex. Haec enim provincia siqua alia virum postulat ut reliquis virtutibus instructum, ita liberali potissimum praeditum animo, ac litterarum universarum et eruditorum et studiosorum amantem, atque orbe quodam doctrinarum omnium ita institutum, ut norit harum singulas partes quasque, et quid in quoque genere sit praestabile, acri dignoscat iudicio; virum ingenio non mediocri sed eximio, ne, quod pares fere paribus delectantur, mediocribus magis quam excellentibus faveat doctis; callidum ingeniorum existimatorem et opportunitatum observantissimum, ut quos probaverit conciliet; postremo magnorum capacem consiliorum, ne contentus sit tenuibus et maxime necessariis eruditionis copiis comparandis, neve tuendis rebus praesentibus acquiescat, sed ut aliquid moliatur magnificentius, aliquid tanto dignum imperio, tanto principe. Non ab re fuerit nec vobis opinor molestum, auditores, si quemadmodum Graecorum lyrici tragicique poetae priscorum heroum personis ita usi sunt, ut eorum describendis moribus, rebus gestis, fortuna prospera vel adversa, clarorum qui tum florebant hominum virtutes exprimerent vel rerum praesentium significarent condicionem, non quae res, qui viri essent,

ad quos haec referri vellent, pronuntiantes, quod modo poesis ratio non patiebatur modo alia causa dissuadebat, sed relicta audientibus interpretatione, quibus tamquam in speculum inspicientibus ultro offerretur vel viri descripti vel rei significatae imago: haud inquam vos pigebit, si ego nunc prope ad eundem modum huc advocavero memoriam immortalis viri, qui non in hac nobis propria, sed in communi tamen patria Germania superiori saeculo de litteris egregie meruit. Münchhusium dico, qui Georgii Secundi regis Britanniarum auspiciis universitatem Georgiam Augustam condidit et per annos amplius triginta diligentia indefessa rexit atque amore paterno amplexus est: quem defunctum fleverunt Gottingenses, ut patrem lugent liberi, quod ei omnia sua bona et tantum quantum suis quisque parentibus debere intelligebant; quem, ut Heynii verbis utar, auctoris locupletissimi, non dominum quamvis mansuetum ac bene merentem verebantur, sed patronum, adiutorem, amicum optimum, rerum suarum studiosissimum compellabant et diligebant omnes; ad quem curas suas, optata, desideria deferebant libere; qui consilio, auctoritate, re difficultates eorum expediebat vel levabat, aut si, quod petebatur, negandum erat, fronte placida, blandis verbis, benigna appellatione ut pater indulgens liberis negabat. Quae quum ego nunc repeto apud vos, collegae carissimi, eadem expertos et experientes quotidie, numquid, obsecro, desideratis interpretem? Et inerant in Münchhusio pleraque omnia, quae ad regendas litteras redderent etiam in ampliori regno aptissimum: informatam animo habebat universarum disciplinarum adumbrationem, norat singularum dignitatem, necessitatem, usum, incrementa, detrimenta, omnium inter se coniunctionem; saeculi callebat ingenium; neque erat impar animus novo incepto quamvis arduo. Enimvero nulli defuit litterarum generi, nisi quod a philosophia, cuius tum facies haud laetissima erat, paullo fuit alienior; et primus fere omnia studiorum genera, quorum magna pars prius extra universitatum fines colebatur, in hoc amplissimum disciplinae academicae corpus coegit: in qua re quanto tamen intervallo nostra aetate et in nostra re publica Friderico Guilelmo auspice relictus sit, non est quod exponam. In doctorum vero hominum delectu, quam alteram rei publicae academicae ancoram rectissime appellat Heynius, mirum quam felicem sese praestitit ingeniorum xploratorem, nullamque refugit curae molestiam: mitto quantos

conquisiverit apparatus, quantum in bibliothecam universitatis potissimum, copiosissimam illam lectissimamque, instruendam laboris et assiduitatis ipse impenderit. Sed nulli parti laudum Heynius, imprimis ille gnarus regiminis academici, in quo ipse posthac magna auctoritate fuit, ea oratione, qua ante hos prope septuaginta annos iusta persolvit Münchhusio, immoratur longius, in nullam incumbit contentius, quam quod Münchhusius, quum litteras quasi ex cellis monasteriorum in campum et pulverem vitae civilis educeret, simul sciverit libertatem cogitandi, sentiendi, scribendi: hanc aegidem, hoc Palladium universitatis esse: quod siqua mala fraus hominis eripuerit, tum tandem se habiturum arbitratur, quare de fortuna universitatis metueret: hac re Münchhusium praedicat in quaslibet fere disciplinas, in historicas imprimis et iuris publici disciplinam, quam principum et civitatium permagni refert integram et intemeratam tradi, lucem intulisse novam lateque omnia collustrasse. Talis igitur fuit ille Münchhusius: in quem ego intuens commoveor animo quum sua ipsius causa, tum propter Regis nostri sapientissimi, benignissimi, iustissimi in deligendo suo magnificorum consiliorum administro iudicium admirabile rebusque nostris utilissimum.

Dum haec expono, auditores, magnam implicite occupavi materiam, qua pandenda et explicanda poteram Friderici Guilelmi laudes prosequi disertius. Sed quid exponam, quae nemo non quotidiano regiae beneficentiae usu videt, sentit, intelligit? Ne quis tamen in deteriorem partem dicta accipiat, quae de iis litteris disputavi, quas princeps non possit in quovis rei publicae statu adiuvare: quamquam et a vobis omnem malignitatem abesse scio, et confirmat me voluntatis meae conscientia Regi optimo devotissimae: libertatem illam, sine qua universitatum vita non vitalis est, qua summum litterarum decus et ornamentum continetur, ultro affirmo apud nos sartam tectamque superesse. Recordamini maiores natu, quotquot inde ab initio huius scholae a Friderico Guilelmo magnam tum partem ex aliis artium sedibus huc convocati mecum hic affuistis, recordamini eius quae tum in aliis universitatibus et in nostra potissimum fuit condicionis, cuius neminem nostrum tum paenitebat, et cum illa comparate hanc, qua nunc fruimur. Quid, vestram fidem, nos perdidimus? quantillum sex his lustris, gravissimis his universitatum temporibus, apud nos mutatum est? Non enim Fridericus Guilelmus istos probat, qui mentis luminibus obstruere conantur:

haec arx, hoc praesidium libertatis nostrae, quamdiu nobis non deerimus ipsi. Quod ne ipsi nobis desimus, tum scientiae facit dignitas, tum quaedam perpetuitas disciplinae ac propositorum pridem confirmata. Hoc enim sapientissime maiores nostri instituerunt, quod haec eruditorum condiderunt collegia, quae non quod universum litterarum orbem complectuntur, sed quod suis iuribus praedita et in speciem rei publicae composita corpora sunt, universitatum nomine vocantur: in quibus, nisi malis artibus hominum ambitiosorum corrumpuntur, egregia consilia a maioribus ad posteros constanti propagatione traduntur. In hanc collegii formam quod nostra quoque schola ea aetate redacta est, qua ruinosas scilicet has barbari aevi reliquias prorsus amovendas esse permulti censebant, id inter Friderici Guilelmi beneficia in nos collata mirumne videbitur commemorari? Est profecto, est permagna vis in hac studiorum, institutorum, necessitatum, utilitatum communione ac societate: qui singuli fuerant invalidi, iis robur addit coniunctio; placitorum dissensiones, fortuitae discordiae, privatae simultates cedunt publico bono, et sumus quasi unius familiae liberi sub Rege patrono. Documento est ille maeror et luctus pariter domesticus ac publicus, siquis nostrum morte nobis et litteris ereptus est. O utinam ne nuperrime deplorandus fuisset collega praestantissimis quibusque praeditus animi ingeniique dotibus, quo nemo omnia universitatis commoda et incommoda magis ad sese pertinere arbitratus est, nemo amicus certior et sincerior, nemo commilitonibus benevolentior fuit: quem ego religioni habeo in his sollemnibus non commemorare, quibus sollemnibus nunquam non affuit ad Regem venerandum; quem ratio ipsa huius meae orationis flagitat ut non magis sua quam civitatis laudandae causa commemorem, quod in illo patefactum est, quantum ferre libertatis hoc imperium possit. Huic viro ut desperamus suffici parem posse, ita optamus ne succedat plane dispar. Haec ut ego nunc tribus verbis profiterer, movit me pietas, quae virtutum omnium mater est, non illa formulis et caerimoniis constans, sed pectora hominum inhabitans, non illa odiorum et discordiarum foeda nutrix, quibus tranquillissimae huius civitatis securitatem turbavit seditio sacerdotalis et curiae Romanae pervicacia, sed magistra caritatis et amoris, quo Fridericus Guilelmus populum suum amplectitur. Quid vero pietas est sine gratia beneficiorum memori? Quis non eos, qui bene de se meritos malefactis remune-

rantur, non modo inhumanos sed immanes et feros appellet, quum ne beluae quidem mansuetiores omni sensu gratiae careant? Quod nisi nos reliqua Friderici Guilelmi virtus universis benefica et sacramenti sanctitas obstringeret, ut nos ei devoveremus, tamen beneficiorum, quibus hanc universitatem cumulavit, recordatio efficere deberet, ut quidquid ille a nobis exspectat (neque enim quidquam exspectat, quod salva religione praestari non liceat), id studeremus diligenter ac strenue praestare. Quo loco vos mihi cohortandi estis, commilitones, ut vos quoque Regi clementissimo, qui vestris prosperitatibus eximie consulit, iis artibus, quibus potestis, referatis gratiam: dico amorem Principis et caritatem patriae, studiorum industriam, reverentiam legum, morum modestiam et severitatem. Quamquam quod ego gratiam optimo Principi habendam esse moneo, non quo mihi necessaria nunc haec admonitio esse videatur facio, sed ut animo meo indulgeam. Nam quo ingratiores adversus Regem istos vidimus, quorum ipse solus potestatem, dignitatem, facultates restituit, eo impensius Fridericum Guilelmum diligunt omnes boni, et gratulantur illi constantiam propositorum, et sperant illum populo suo vindicem et conservatorem summorum animi bonorum fore, nec cessurum superstitioni, quae passim ingravescit, clanculumque et palam, fallaciis et auctoritate alitur, tristissimamque minitatur servitutem. Hoc malum precor te, Deus Optime Maxime, ut defendas averruncesque a nostra civitate; precor, ut Friderico Guilelmo senectam praestes validam et ab omni aerumna liberam, ut consilia eius ad firmandam suorum dirigas salutem, ut familiae regnatricis et populi concordiam caritatemque mutuam conserves, postremo ut Principem regni heredem magnanimum, in quo proxima spes patriae reposita est, cum coniuge augusta tuo favore nobis restituta, et universam domum regiam praestes incolumem.

XXVII.

Friderici Guilelmi III. laudatio d. XXVII. m. Iunii a. MDCCCXL. dicta.

Qui inde ab adolescentia, multorum successu annorum continuo, laetissimam eius diei sollemnitatem, quo patriae beandae natus Fridericus Guilelmus est, oratione mea celebravi, viri illustrissimi, doctissimi, commilitones ornatissimi, nunc ultimo officio Patris patriae manibus iusta persoluturum quo me sensu affectum, qua fiducia instructum aggredi putatis ad tantam rem, tam gravem et arduam, tam tristem et lugubrem? Sensum quidem animi mei ex vestro quisque, quotquot adestis, animo, ex communi universorum maerore et desiderio comparare potestis, quum de Regis obitu doleamus tam dilecti, ut vitam illius optimus quisque, si fieri potuisset, sua morte redempturus fuerit; fiducia quantum me deficiat et merito deficiat, vereor ne pauci satis existiment. Nam quum multa sint, quae superstitis domini laudationem reddant difficilem et ancipitem, tamen in eo munere fungendo haud paucis rebus erigitur animus et confirmatur: obversatur dicenti serena principis florentis imago, quae hilaritate perfundat oratorem; gratissimis et dulcissimis affectibus movetur animus dicentis, quum bono regi secundas congratulatur res et pro illius salute vota facit; laeti audientium vultus tenuitati virium addunt nervos atque etiam tardo calcaria. Verum in his funestissimis sollemnibus ad perturbandum et confundendum animum comparata omnia sunt, maesta loci facies, vestra tristitia, rei publicae luctus, denique meus ipsius maeror et aegritudo, quae frangat etiam validiorem, os occludat disertis. Ne multa: siquam ex frequentibus Regis superstitis laudationibus meis bonam de me existimationem vestra concepit facilitas, ea mihi cum optimi Regis obitu videtur exstincta esse ipsa. Nimirum qui me abdere potius in solitudinem et tacitus mecum reputare Principis defuncti virtutes, tacitus dolere acerbum casum cupiveram, aliquo quidem ad colligendum animum tempore concesso protrahor in lucem, quam ferre non possim, tamquam aegrotum, cui tenebrae lenimentum afferant, fulgori

solis tolerando exposueris. Abiectus igitur animus est; despero de tanto munere explendo, quantum mihi a vobis, collegae carissimi, mea non tam sollertia quam voluntate nimium fretis hodie mandatum est. Dicam tamen ut potero, quando non possum ut volo. Denique ut tantum me confirmem quantum fieri potest, non indulgebo lacrimis, sed temperabo lamentationi vocibusque flebilibus, quae ne decere quidem viri fortis parentalia videntur: revocare aliquatenus a luctus acerbitate et memet ipsum et vos conabor et erigere mentes Regis dilectissimi non tam morte, qua perculsi sumus, quam vita, quae civibus, regno Borussico, Europae universae salutaris fuit et est, quoad vires meae sufficiunt, contemplanda.

Vitam ubi dico, magnum dico et maius quiddam fortasse quam videor. Non enim haec sola vita est, quam vivunt corpora nostra et in corpore anima, sed futura vita sequitur hanc in terris actam, constans illa et perpetua hanc fluxam et fragilem. Profecto siquid est, quod nobis meliorem spem moriendi offerat, quod consolari eos, qui lugentes relinquuntur, de obitu cari hominis possit, quodnam solatium est efficacius, quod et philosopho et homine Christiano dignius, quam quod non modo speramus et credimus, sed scimus corporis his vinculis solutis et effracto carcere animam, divinae particulam aurae, liberatam redire ad cognatos unde profecta est superos: quam nunc agimus vitam esse peregrinationem, gratam rerum variarum adspectu et perlustratione, iucundam secundarum affluentia rerum, dulcem voluptatibus; eandem curis turbisque molestam, salebris periculisque impeditam, miseriis malisque refertam, quae ne ille quidem effugere possit, qui in summo sit fastigio collocatus, tanto ille gravioribus obnoxius casibus maioribusque detrimentis, quanto ampliora bona sunt locusque excelsior. Emenso hoc itinere terrestri quae supervenit mors, sublimioris vitae initium est, egregieque veteres sapientes, divinis nostrae fidei praeludentes praeceptis, quam nos vitam appellamus, eam mortem esse augurati sunt, quam mortem dicimus, esse vitam. Itaque mors quum veram vitam exordiri videatur, haec quam nunc agimus vita commentatio mortis est: quam vitam qui iuste sancteque peregerit, qui in summa fortuna nunquam oblitus mortalem se esse ita vixerit, ut sciret animas humanas omni aliquando pompa et apparatu exutas et nudatas supremo iudici rationem reddituras earum rerum omnium, quas in terrestri hac

provincia administrassent, iis divinamus et credimus beatiorem futuram illam vitam fore ad summum numen reducibus: prorsus ut nescias, sitne probis gratulanda potius mors, quam ipsi quidem praeter communem hominum imbecillitatem nullius sibi delicti conscii cum bona obeunt spe, dum eadem terret improbos et scelestos. Non igitur occidit Pater patriae, sed est in beatiorem sedem evectus, quae ipso quod obtinuerat regio solio firmior est ac sublimior; non igitur ille deplorandus est: at nos qui relicti sumus, ex desiderio nostro, non ex beatissima caelestis animae condicione metientes luctum iure tamen maesti adstamus funeri. Hanc immortalitatem, quae divinae hominis parti reapse contingit, non errare mihi videor si divinam nomino; sed est etiam alia immortalitas humana, quae non ultimo loco censenda est, eaque non simplex sed per duas divisa partes. Etenim proxima illi divinae et secunda est immortalitas nominis, quae memoria rerum gestarum continetur et monimentis ingenii, virtutis, benignitatis, quae quisque post se reliquerit: in quo magna principibus praerogativa data est. Nascimur enim et morimur promiscue omnes, et aequo pede mors, ut verbo utar pervulgato, regum turres pulsat et pauperum tabernas; neque extremo spiritu diversus a mendico opulentissimus, a privato aut servo rex: sed vitae commodis et incommodis, rerum suarum subsidiis et eventu distant. Principi quippe natalibus ipsis immensa obtingit magnorum facinorum et generi humano benefaciendi copia et facultas, ac rursum ignaviae, luxuriae, saevitiae, malarum artium quarumlibet licentia, quas plerumque videmus impune ferri. Sane tam vitii insignis quam virtutis memoria propagatur ad posteros: sed immortalitatem nominis non tribuimus nisi virtuti. Haec est altera Friderici Guilelmi immortalitas, quod eius virtutem non modo nos admirati sumus et admiramur, sed futura praedicabunt saecula; quod quae domi militiaeque egregie gessit, haud minus quam Friderici Magni ingentia facinora vigebunt in memoria hominum et ab rerum auctoribus summa cum laude tradentur perpetuo, donec bonae artes, quas tanto fovit studio, non obsolescent; quod mansura reliquit populo suo, Germaniae, Europae universae optimorum consiliorum documenta et urgentibus quamvis praesentis temporis necessitatibus beneficia eiusmodi, quibus non solum aequalibus prodesset, sed etiam posteris, qui requiescent ub umbra arborum, quas sevit, colligentque messem, quam

seminavit. Tertio immortalitatis gradu quidni aestimemus aeternitatem stirpis et generis, quo ipsum quod mortale est propagatur? Vivit et viget Friderici Guilelmi progenies florentissima, filii et nepotes, illi iam nunc subsidia imperii, hi olim patrum secuturi vestigia; regnum suscepit par patri filius, quem nunc dominum nostrum serenissimum haud minore quam patrem beatissimum pietate veneramur: qui virtute insita tutabitur rem publicam, comitate iam ante principatum universorum sibi animos conciliavit, prudentia et benignitate omnibus populi sui prosperitatibus strenue providebit. Sane quam magnum hoc tantae iacturae solatium et levamen doloris est, quod Principi unice dilecto successit Rex aetate firmissima, pulcherrimis animi ingeniique dotibus insignis, optimis instructus artibus, cuius publicas privatasque virtutes usu et experientia et beneficiis in nos collatis habemus cognitas, cuius praeclaram indolem non vererer iam nunc uberius celebrare, nisi intempestivum Principis incipientis praeconium in hac communi et summa tristitia esse videretur. Sed quam alteram dixi immortalitatem nominis, eam quum non una via consequi principes viri possint, et maxime aut bellica laude aut pacis artibus, Borussiae haec longo ex tempore felicitas est, quod eius reges utraque gloria excellunt. Sed alius tamen aliam iniit viam rerum praeclare gerendarum; beatissimus Pater patriae quibus moribus, quibus rebus gestis, quibus institutis, quibus fortunae vicissitudinibus, denique quo successu hanc aeternitatem nominis meruerit, nemo vestrum est, auditores, quin nunc devitatis quibuslibet orationis deverticulis unice mihi disserendum esse intelligat, unice audire cupiat. Quas res quum singillatim et disperse integrae prope aetatis decursu summo studio et regiae virtutis admiratione exposuerim, nunc earum rerum brevissimam quasi summam faciam. Simplicia verba loquar; verus affectus non excurrit in luxuriantem exsultantemque orationem. Quid quod etiam qui uberrimam dicendi copiam panderet, non posset non longe infra rerum dignitatem et magnitudinem consistere?

Friderici Guilelmi indolem considerans non dubito multarum seriem virtutum deducere, quod et ipse scio has in eo fuisse omnes, et male iudicarem de pietate vestra, si quemquam vestrum putarem aliter statuere. Cur enim ille tam carus omnibus fuit, cur omnibus obiit flebilis, cur tam desideratus est, nisi ob virtutes quae in eo eminebant plurimas? Fuit profecto ad-

mirabilis in illo bonarum artium coniunctio et concordia: hanc vero, ut acuti gravesque soni temperantur in concentum, ita in hominis animo efficit moderatio et temperantia, quae mihi videtur ea Patris patriae beatissimi virtus fuisse, ex qua manarunt reliquae prope omnes, qua veluti vinculo firmissimo continebantur. Hanc publice privatimque nunquam non retinuit. Non enim Fridericus Guilelmus bonus quidem princeps fuit, sed privatim famae ambiguae; non domi bonus, sed rei publicae gerendae impar: quae in tanta fortuna nec coniungi facile posse videntur nec dissociari, privatae publicaeque virtutes pariter in illo fuerunt conspicuae. Maritus fidissimus et amantissimus, optimus pater familias, lenis comisque erga domestica ministeria, ab aulae luxu ita alienus, ut victu cultuque quotidiano vix privati paullo opulentioris splendorem aequaret, priscam rettulit morum simplicitatem severitatemque utilissimo civibus exemplo. Iam quum perfectus princeps et fortitudine praestare debeat et clementia sapientiaque, Fridericus Guilelmus sese non solum exercitu ducendo et militari gloria et laboribus tolerandis fortem comprobavit, sed etiam constantia animi in calamitatibus quibuslibet perferendis: idem haud minus quam Fridericus Magnus cum illa fortitudine animi coniunxit sapientiam et lenitatem, germanam dico mentis sapientiam, quae nec doctrinae multiplicis laudem affectaret, et multum distaret ab astutiis et fraudibus, quibus ut multi regendos populos arbitrantur, ita Fridericus Guilelmus, vir integerrimus et probissimus, nihil per istas artes gerendum censuit, sed per fidem et sinceritatem; et severus ubi res exigebat, quotiens fieri sine publico detrimento posset, nunquam non locum dedit mollioribus consultis, prudentis humanique medici instar mitiora remedia igni et ferro praeferens. Aequus iustusque omnibus non solum cavit religiosissime, ne cui fieret iniuria, sed reparare iniuriam quamlibet studuit. Ipse quo animo in eos fuerit, a quibus esset iniuria affectus, quis non in voluntate illius ante hos tredecim annos condita, qua promulganda Fridericus Guilelmus Quartus acta imperii egregie auspicatus est, cum summa commotione, obortis ultro lacrimis legit? Nae istius cor ne minimo quidem humanitatis sensu imbutum siliceque et adamante durius fuerit, cuius cor illa regia voluntas non tetigerit! Quid dicam de Regis beatissimi pietate et sanctitate, qua divinum numen coluit et reveritus est, quae nunquam passa est, ut a recta conscientia trans-

versum unguem discederet? Quam egregio autem temperamento cum parsimonia sociavit liberalitatem et munificentiam, nec tenax opum nec profusus, multis sumptibus in litterarum artiumque florem et in ecclesiae necessitates erogatis, multis impensis ut succurreret provinciis vel fame vel pestilentia vel annonae vilitate vel fluminum exundatione afflictis, haud exiguas insuper pecunias ex privato fisco largitus, ut singulorum, qui ad ipsum confugissent, levaret inopiam et angustiam rerum! Non ille unquam obduruit ad cuiusquam miseriam, sed inter ipsas imperii curas, quae triplici aere condi pectus iubeant, humanam retinuit misericordiam. Nec quidquam fecit in iactationem et ostentationem Princeps omnium quos novimus modestissimus, famaeque si non incuriosus, at certe non appetens cupide aut ambitiose. Immo quas dixi in eo conspicuas virtutes fuisse, noluit ipse esse conspicuas. Nullo ille partium studio tractus, nulli civium ordini prae ceteris favens, nullis nec famulorum, ut Romani olim Imperatores libertorum, nec familiarium, si tamen familiares princeps habet, nec delatorum aut exploratorum vocibus et insusurrationi et stimulis obnoxius, ut ille M. Antoninus suos semper mores tenuit constantissime. Haec fere omnia coniunctissima sunt cum continentia et moderatione, quam Regi beatissimo quasi propriam fuisse significavi: qui summum tantae civitatis imperium teneret, nihil prius neque antiquius habuit, quam ut mente composita sibi imperaret ipse, procul habens odia, iras, cupiditates motusque animi quoslibet nimium perturbantes. Quid mirum igitur, si quo ipse temperamento in universa vita usus est, idem communicavit cum re publica? Per omnes enim rei publicae partes, per Regis amicorum et ministrorum, magistratuum, militum, civium mentes propagata ex summo loco haec moderatio est, quae sola mansuram populo felicitatem pollicetur; hinc nata tranquillitas publica, aequabilis quidam regni status, quietus rerum cursus et progressus, nec praeceps et sine ignavia. Quo quum accederet singularis illa erga omnes subiectos voluntas intimusque sensus benevolentiae comitasque et cum maiestate popularitas, quum in imperio administrando non suum commodum sed populi salutem quaereret, quam sibi divinitus commissam arbitrabatur, quum praeterea non suo solius iudicio gerere omnia vellet, sed haud invitus eos audiret, qui in quoque genere essent spectati, eorumque obtemperaret desideriis: id quod in tanta potentia aegre a sese

impetrat princeps nisi qui uni rationi obsequi constituerit apud se firmissime: effecit, ut non modo facile ferretur dominatio nullis fere pactis, nullis nisi quas ipse solus Rex dedisset legibus circumscripta, sed ut summa exsisteret rei publicae universae concordia, non unquam nisi fortuitis et quasi ludicris urbanae multitudinis concursibus turbata, et mutua Regis populique caritas, qua regnum multo firmius continetur quam viribus exercituum; ut sentiret atque intelligeret populus suam salutem a Regis salute dividi non posse; ut Rex tam securus inter populum iusta libertate fruentem degeret quam pater familias inter bonos liberos, denique ut ipsas eas provincias, quae eventu bellorum recens accesserant, in eundem illum traheret voluntatum consensum regiaeque virtutis amorem, reverentiam, admirationem. His artibus gestum est quidquid per tres et quadraginta regni annos gessit Pater patriae gloriosissimus.

Fridericus Guilelmus Tertius quo statu paternum regnum acceperit, nemini nec seniorum nec iuniorum ignotum est. Postquam summae rerum potitus est Rex, cuius praeclaram indolem Fridericum Magnum esse auguratum constat, mores correxit, vires aerarii bello, cuius ipse adolescens testis fuerat, et largitionibus exhaustas restituit, vim legum, libertatem sentiendi et dicendi, a Friderico Magno sancitam, vel reduxit vel confirmavit, operamque enixe dedit, ut sustentaret pacem. Primi imperii anni placido defluxerunt cursu; quamquam fuerunt, quibus pax, quae tum habebatur, paullo videretur languidior et remissior fuisse. Interim pactione Lunaevillensi fines regni sine sanguine promoti sunt, ampliore terra recepta quam quae amissa erat. Mox tristis successit rerum omnium conversio. Mortales namque oportet secunda et adversa experiri, laetari et dolere; regesque ut deorum in terris locum obtineant, eatenus tamen non exempti sunt sorte hominum, ut fortunae circumveniantur vicissitudine et iniquitate. Nimirum Rex optimus incidit nobiscum in eam aetatem, qua immensa unius viri potentia orbem terrarum continuis quassavit motibus: hac communi generis humani strage tractus Fridericus Guilelmus malaque tanta perpessus est, quanta ferre non posset nisi vir constantissimus et fortissimus. Voluerat Deus pium suum cultorem quasi aurum igni probari, ut tanto exsplendesceret clarius: et Dei fretus auxilio superavit mala, quantacunque fuerunt. Princeps iustissimus et religiosissimus non dicam quibus tum difficultatibus implicatus,

quibus insidiis petitus, quibus iniuriis et contumeliis lacessitus et provocatus ad bellum sit, quod declinare unice studuerat: haud iuvat veteres renovare iras et perpetuare simultates vix dum aliquatenus exstinctas. Quid multa? Unus dies funestissimus delevit exercitum validissimum et instructissimum, prostravit regnum universum, populum Borussicum extremis afflixit calamitatibus amplius sex annos tolerandis. Victus Rex est, sed victus a quo? Nempe ab illo, qui omnes vicit, donec omnium vinceretur viribus coniunctis non sine adiutore Deo. Bellum finitum est pace, quae bello ipso esset damnosior: regnum maiore parte finium multatum; invitae ab Rege invito dimissae sunt tot fidissimae gentes; terris, quas Fridericus Guilelmus retinebat, durissimae impositae condiciones sunt. Accessit Regi cumulus doloris acerbissimus, abrepta morte immatura coniux carissima, tot liberorum mater, tantorum socia malorum, et quum florebat et postquam obiit populi deliciae. Nec tamen undis tantae tempestatis haustus Fridericus Guilelmus est, sed emersit generosior et confirmatior et ipse sese maior. Nam quo maius finium damnum fuit, tanto impensiore cura aluit vires regni, quod relictum erat. Ut hoc loco cetera praeteream, etsi Fridericus Guilelmus etiam florente regno Borussico litteris faverat eximie, multaque beneficia imprimis in universitates litterarias contulerat, in Halensem potissimum et Erlangensem, tamen fracto robore armorum acrius intellexit excitandas et confirmandas vires animorum esse, quae ipsis armis validiores sunt; id vero sapientissime vidit litteris potissimum adiuvandis effici. Itaque in has alendas ampliores tum in summis aerarii augustiis impensae factae sunt quam unquam antea. Sed revoco me ab hac uberrima laudis materie, ad quam mihi posthac redeundum video. Properandum est enim ad laetissimam illius temporis memoriam, quo Fridericus Guilelmus consiliis magnanimis et facinoribus maximis Borussiam suam et Germaniam universam una cum sociis in libertatem vindicavit, quantae molis capax esset, quantis par inceptis, Europae tum universae et futuris saeculis documentis immortalibus testatus. Tum quid mutua illa caritas et concordia posset, exemplo clarissimo demonstratum est, quum Fridericus Guilelmus populum suum ad supremum vocaret certamen, quo Rex cum populo, populus cum Rege una aut vincerent aut perirent; quum eius voce excitati per medios hostes in eius castra convolarent non modo qui viribus corporis vale-

bant sed vel infirmiores ac tolerandae militiae vix dum pares; quum pecunias, arma, supellectilem militarem quamlibet conferrent non modo qui opibus pollebant, sed vel inopes, quantulumcumque quisque habebat, afferrent Regi patriaeque. Commoveor animo, ubi illorum recordor temporum; sed enim horae brevitas, quae mihi dicenti concessa est, cogit praecidere non solum verba mea sed etiam ipsos sensus. Nec praedicabo tot victorias nobilissimas: unam non omitto Culmensem victoriam, cuius magnam partem ipsius Regis consilio et fortitudini debitam esse constat. Par illius in Gallia virtus extitit, nec minor moderatio victoris. Victoriarum utriusque belli partarum hoc est praemium, quod nunc Friderico Guilelmo Quarto, Domino nostro serenissimo, amplius reliquit imperium quam quod acceperat: quod vero non solum amplius reliquit, sed etiam firmius florentiusque, id sapientiae illius debemus, qua post superata pericula et toleratos labores pacis artibus restituit rem publicam, quae ne tum quidem perturbata est, quum novo motu Europa universa contremisceret. Quum enim ante hos decem annos tot novae res, discordiae, seditiones, civilia arma finitimas infestarent nationes, pacata et immota stetit civitas Borussica, non tam quod arte et armis contineretur, quam quod Friderici Guilelmi beneficiis obstricti et obligati animi erant, et quamvis essent quae desiderarentur, mutua imperantis et parentium caritas compensabat ea pacta et iura, quae tum extorquere populi cupiebant. Quid quod Rex beatissimus et in illo metu ac discrimine et posthac sua moderatione composuit simultates et odia, atque effecit, ut minitantes conderentur gladii, reconciliarentur inter sese principes et una cum principibus nationes?

Dies me deficeret, auditores, si quae Pater patriae beatissimus per tot regni annos in re publica ordinanda egregie instituit, ea vellem omnia vel magna ex parte quamvis breviter enumerare: tamen postulat pietas, ut strictim percurram eas rei publicae partes, quas ille potissimum ad meliorem statum adduxit. Dixi eum omnibus ordinibus aequum fuisse; idem omnes fere rei publicae partes aequa amplexus cura est. Mutata universi regni partitio, universa provinciarum administrandarum ratio et forma; urbes et oppida novis constitutionibus aucta, ut res suas commodius, utilius, liberius cives gererent per suos magistratus et decuriones; opificum collegia non plane quidem sublata, sed ita laxata, ut aditus ad opus faciendum ne nimis prae-

cluderetur; agricolae ex servis liberi, agri ipsi divisione instituta fertiliores; ubi olim sabula immensa, nunc viae egregie stratae; vectigalia novo modo ita constituta, non ut quam plurima exigantur sed ut aequissima sint; oppida publicanorum olim custodiis clausa, nunc noctu diuque pervia; commercia olim multis modis impedita, nunc promptissima ac liberrima, postquam cum plurimis Germaniae civitatibus, non lucri causa sed ut civium opes crescerent quaerendique copia esset amplior et facilior, de vectigalium communione foedus convenit saluberrimum exterisque aeque ac nostratibus acceptissimum. Iam vero rem militarem, quae tamen videbatur sub prioribus regibus optime instructa esse, novo instituto ita ordinavit Fridericus Guilelmus, ut quum prius milites magna ex parte mercenarii essent, aegre isti poenis suppliciisque atrocissimis cohibiti, ceteri vero ex inferioribus subiectorum classibus conscriberentur, et per multos annos continuos retinerentur in manipulis, nunc stipendia honestissima facili obsequio mereantur cives universi, seu sponte sumpta militia sive iusto delectu, et illi post annum, hi post triennii spatium exauctorentur, temporaria posthac militia non nimium molesta quotannis exercitandi, civesque et milites non ut antea alteri ab alteris alienati sint, sed in unum quasi coaluerint corpus. Fuit, quum Borussiae vitio daretur, quod nimium militaris esset: sed ultimi beatissimi Regis anni in parte rei publicae valde diversa variis obnoxii iudiciis fuerunt. Quippe pridem illi cordi fuerat certum quendam ordinem sacrorum constituere, non quo deditus caerimoniis esset aut superstitione alenda vellet imperium confirmare: vera enim pietate quin imbutus fuerit eamque in civium animos exemplo suo propagarit, nemo est qui dubitet: sed, ni fallor, quod iudicabat his in rebus non nimium relinquendum arbitrio singulorum esse. Mihi quidem, etsi de rebus divinis suum cuique constare iudicium debere censeo (neque aliter censuit Fridericus Guilelmus), hoc egregie fecisse Rex beatissimus videtur, quod Protestantium confessionem utramque conciliare studuit et conciliavit. Quod siquid in hac re acrius actum esse clamant, quorum haec culpa fuerit, sit penes alios iudicium. Fridericum Guilelmum quidem uno ore Germani evangelicae fidei ducem et defensorem pridem praedicaverunt; meruitque eam, quae contigit, huius studii sui remunerationem, ut bina illi celebrare liceret sacrorum emendationis sollemnia saecularia, altera ecclesiae a Luthero restitu-

tae, altera receptae a maioribus in terra Brandenburgica doctrinae evangelicae. Idem tamen pro aequitate sua catholicam in regno suo ecclesiam strenue tutatus est. Pontifex Romanus ipse quis nescit quantum illi debuerit, quum in dicionem suam restitueretur? quis nescit regia munificentia redditam in hoc regno ecclesiae catholicae dignitatem et splendorem esse? Quo magis dolendum est, quod quum regia mens sacerdotalem pervicaciam ferre non sustineret, difficultatibus turbisque, quae inde natae sunt, Regis pientissimi senectus si non afflicta, at certe contristata est. Transeo ad alia Friderici Guilelmi studia, pro quibus illi maior gratia habita est et habetur. Nam litteris et artibus tam munificus fuit, ut et maiores universos et reges plurimos numero et magnitudine beneficiorum superaret; nec tantum largiendo adiuvit litteras, sed etiam, licet hac aetate aliqua pars studiorum et doctorum et eruditionis studiosorum magnopere suspecta esset, tamen nos liberalissime ac lenissime habuit. Libertatem dicendi et docendi retinuimus; scribendi sive libertas sive licentiam potius dixeritis quod imminuenda visa est, non tam regiae voluntati quam communi huius saeculi tribuendum labi. Non paenitet hoc loco referre, quanta comitate cum eruditis egerit vir ille magnanimus, cui postremo summam institutionis publicae curam demandaverat Rex sapientissimus; ex quo intelligi potest, qualibus viris, quo ingenio, qua rei litterariae peritia, quo candore animi praeditis, denique quam civilibus indulgentibusque hanc provinciam tradendam esse Rex beatissimus censuerit. Sed huius quoque viri praestantissimi funus nuperrime duximus non sine lacrimis. Friderici Guilelmi autem auspiciis academia utraque, et doctrinarum et artium, melius constituta est; apparatus omnis generis, disciplinis tractandis necessarii, lectissimi copiosissimique comparati; universitates litterariae et veteres restitutae meliusque instructae, et novae ac celeberrimae magno sumptu conditae; novo fere ac saluberrimo instituto Rex in ipsa regni sede nostram collocavit universitatem, nec loco minus conspicuo, sed in vico urbis celeberrimo et ornatissimo, sed in proxima domus suae vicinia et in suo ipsius prospectu, sed in aedibus his regiis, quas splendide instaurare proximis superioribus annis inchoavit: atque ut summae, qua litteras amplexus est, caritatis documenta essent, et nostram universitatem et almam Rhenanam sui voluit esse cognoines. Itaque ut Graecae olim civitates conditores suos heroicis

coluerunt honoribus, quae religio, quae pietas, quae veneratio nostra potest tanta esse, quin parum respondeat Friderici Guilelmi, herois nostri, animae beatissimae gratibus persolvendis? Gymnasia quoque et scholas his inferiores subsidiis auxit haud exiguis, et populares paganosque ludos condi iussit plurimos, in quibus plebeia et rustica multitudo Christianae fidei praeceptis primisque litterarum rudimentis institueretur, non ille homines quo imperitiores essent, sed quo cultiores, facilius regi arbitratus. Artium autem cultus quantopere hoc Rege creverit et profecerit, in promptu est; Pericleo prorsus studio excitavit sculptores, pictores, architectos, musicos, scenicos, thymelicos, Octaviani Augusti exemplo civile ratus populi voluptates participare: magnificum illum artibus thesaurum condidit, et operibus elegantissimis implevit, et aditu liberrimo omnibus aperuit, ut artifices exempla haberent quae sequerentur, et mentes oculique universorum delectarentur atque erudirentur; urbis faciem ita immutavit, ut prope quocunque oculos coniiciamus, regiae magnificentiae documenta conspiciamus. Quod unum deesse videbatur, Friderici Magni monimentum, iamiam prope moribundus fundari iussit. O laetum illud ac simul triste spectaculum, quum heres regni patris iussu summisque populi studiis sua manu illud auspicaretur opus, nihil in optimis his auspiciis desiderante cum proceribus magistratibusque immensa quae aderat multitudine nisi praesentiam Patris patriae, de quo iam tum anxie solliciti eramus! O felicem Borussiam, cuius decus et gloriam Fridericus Guilelmus ad extremum usque spiritum cordi habuerit! Felicem praedico Regis beatissimi principatum, qui principatus, quum non liber a gravissimis malis esset, ex ipsis malis elicuerit prosperitatem, tam salubrem illis medelam afferens, ut Fridericus Guilelmus visus sit divinitus missus esse, qui populi sui nixus caritate rei publicae Borussicae bello et pace evaderet restitutor et instaurator. Felix ipse etiam obiit. Nam quum illo imperante universus prope orbis terrarum mutatus sit, mutua apud nos Regis et populi caritas mutata non est: testis hic universorum maeror, lugubris ille velut urbis captae adspectus: non enim, licet mutatio principis inter spem metumque suspensos tenere animos soleat, ulli apud nos metui locus est, quum Fridericus Guilelmus Quartus summa populi spe et fiducia rerum potitus sit, sed quae proruperunt lacrimae, eas non elicuit nisi illa caritas

Decessit Rex circumfuso non custodibus sed maestis civium catervis palatio, adstante ipsi universa familia Augusta: advolaverat ex Orientis solio Imperatrix filia dilectissima; moriens Rex valedixit genero Imperatori. Reliquit regnum filio augustissimo, quem sciebat sua secuturum vestigia. Gratias igitur agimus tibi, Deus Optime Maxime, quod postquam noluisti Patrem patriae diutius inter nos vivere, sed virum sanctissimum die sanctissimo, quo spiritus tui effusionem celebramus, sinu tuo recepisti, Fridericum Guilelmum Quartum, Dominum nostrum clementissimum, dedisti successorem regni, quem confidimus rata habiturum, quaecunque de eo optimus quisque exspectat, cumulumque additurum summis, quae pater beatissimus in patriam contulit, beneficiis, egregie illum perspicientem, quid novus principatus, nova tempora exigant. Serva, precor, et salvum fac Regem augustissimum cum coniuge Regina augustissima et universa domo Augusta, optimorumque illius mentem generosissimam imple consiliorum, quibus concordiam rei publicae a patre traditam confirmet, populo fidissimo commoda et utilitates quasvis comparet, Borussici nominis decus et gloriam regnique salutem, incolumitatem, maiestatem tueatur et augeat. Ita nos adiuvet Deus, ut haec a nobis vota religiose nuncupata sunt. Dixi.

XXVIII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi IV. celebrandis d. xv. m. Octobris a. MDCCCXXXXI. habita.

In conventu hoc laetissimo, quem primum hodie agimus, auditores, ut Regis dilectissimi natalicia rite pieque celebremus, non mihi videtur fas esse aliud dicendi exordium sumere nisi ex gratibus Deo Optimo Maximo agendis meo nomine vestroque et rei publicae universae, quod postquam non licet superstitem colere eum principem, ad cuius venerationem totiens nos in hanc curiam convocaverat communis gratulatio et veluti patris caritas, sanctissimo legitimae successionis iure voluerit imperium transferri in Dominum hunc clementissimum, quem difficilius sit non diligere, non laudare, quam intimo affectu diligere, verissima oratione laudare. Nam quum et fragile sit, quidquid humanum est, plurimisque obnoxium vicissitudinibus, et regnis sollicitudinem afferat principis mutatio, post longam imprimis dominationem, cuius tantam experti benignitatem cives sint, ut meliora sperari vix posse videantur, sed quia nihil solet diu eodem statu permanere, metui posse detrimenta: quid a Deo donatum animis accipi devotioribus potest, quam quod maxime expetitum votis universorum erat, ut manerent bona praestantissima, quae beatissimus Pater patriae largitus rei publicae erat, ut semina ab illo iacta aleret heres imperii et nova spargeret uberrimam laetissimamque iamiam datura messem? Adhuc resonant et resonabunt perpetuo non tam auribus nostris quam mentibus illae Regis voces gravissimae, ex commoto effusae pectore egregiorumque testes consiliorum, illae legatorum et populi acclamationes nulla simulationis aut assentationis suspicione notatae, quibus mutua illa caritas, quae patrem beatissimum cum populo suo coniunxerat, confirmata inter successorem atque universas regni provincias omnesque ordines rei publicae, et documentis certissimis ita declarata est, ut orbem terrarum pervagaretur fama praeclarae huius et quae fere sine exemplo est concordiae, ut ad novi sideris ortum omnes gentes

converterent oculos, Borussiaeque fidem, felicitatem, robur perspecta haberent etiam increduli, metuerent etiam audaciores: nec si subitus ille calor vel potius ardor et impetus amoris continuari palam non potuit, quidquam remisit amor ipse, sed veluti amnis, qui exundaverat, alveo redditus ripisque inclusus et cohibitus, temperatum ille tenet cursum et aequabili temperamento pollicetur perpetuitatem. Insistit Rex paternis vestigiis, paternis monitis, nec novarum rerum nimis cupidus, nec prioris status nimium tenax: itaque leni nec praecipiti gradu ad meliora adducitur res publica, ac licet nondum praeterierit biennium, ex quo Fridericus Guilelmus Quartus summae rerum potitus est, multas res vidimus et audivimus, quae antea inauditae fuerunt; incitati, erecti, incensi sunt civium animi, non turbido motu, sed interiore impulsu et instinctu, qui ab Rege proficiscitur, cui Rex moderatur. Sed quod ego dixi promptissimas huius Regis laudes esse, nolo ita dictum accipi, ut digne a me putem laudari Regem posse. Ut verum fatear, quod in funebri oratione, qua Regis beatissimi manes veneratus sum, una cum huius obitu dixi exstinctum mihi videri siquid in me esset facundiae, quae quam exigua fuerit probe intelligo, id iam sentio plane evenisse. Nimirum qui me per triginta prope annos Friderici Guilelmi Tertii vita, moribus, institutis, rebus gestis identidem considerandis et explicandis quasi assuefeceram illius indoli et meum ad illius ingenium conformaveram: non enim, nisi te in eius, quem laudare cupias, indolem prorsus insinuaveris, incepto respondebit successus: nunc quod Dominus noster clementissimus, etsi patrem regeneravit proxime, tamen propria et peculiari indole mirum quam egregia praeditus est, aliud dicenti ingenium inducendum, aliam quasi personam sustinendam video, neque hanc animi excelsitatem a me confido exaequari dictis posse, nec deflorescentem iam et senescentem orationem meam ad novi huius imperii vim, vigorem, fervorem comparatam esse: quod imperium sunt praeterea qui ut vere Germanicum et populare non hac censeant sive docta sive emortua et peregrina lingua, quam ultro fastidiunt, esse praedicandum, sed patria et communi intellectui patente, qua et ipsum me fateor uti alias libenter. Attamen viribus me quamvis defectum erigit et confirmat haec cogitatio, quod quemadmodum in Patris patriae beatissimi nataliciis de magnitudine muneris mei id remitti et concedi solebat, ut a is laudibus paullulum digrederer ad alia, quae cum rebus

nostris coniuncta essent, sic etiam hodie suffecisse aliquatenus videbor vel certe veniam impetrabo, si tantum de Rege dilectissimo dixero, ut nemo pietatem nostram desideret, nemo non quantopere Domino clementissimo obstricti et devoti simus, intelligat, sed simul id mihi sumpsero, ut dum de regia virtute expono, haud verear aliquid de litterarum ratione admiscere, de quibus coram vobis, qui in his occupati estis, et in sollemnibus Principi litterarum amantissimo dicatis disputantem quis est paullo cultior qui arbitraturus sit· in re versari ab instituto aliena aut longe repetita?

Humanarum rerum omnium regia potestas maxima est et gravissima, plurimisque circumdata curis et immensam requirens perspicacitatem ingenii, bonitatem, industriam, diligentiam, ut rei publicae provideatur commodis et prospiciatur saluti populi ad summam perventuri prosperitatem, ubi rex, cuius ex nutu pendent omnia, sapienter, benigne, strenue, prompte geret res, perituri vel certe magnis laboraturi calamitatibus, si imprudenti, atroci, ignavo, negligenti parebit domino. Quae generatim dicta vix quidem audeo ad Regis nostri laudem diserte accommodare et explicare; tamen quae et verissima sunt et manifesta, non videntur hoc loco plane reticenda esse. Itaque non reticebo, nullum facile principem inveniri posse, qui rerum quae ad rem publicam gerendam pertinent omnium, patriorum peregrinorumque institutorum, necessitatum populi et consiliorum, quibus civitas regenda sit, peritior, litterisque et bonis artibus instructior, et dicendo promptior, pulchrique et boni et veri sensu acriore praeditus, et sacrorum reverentior sit sine superstitione: quibus rebus summam sapientiae partem contineri arbitror: rursus nullum, qui mitiore et clementiore mente sit, qui ad auxilium ferendum et beneficia conferenda proclivior: quam vero tolerans negotiorum sit ac prope supra vires impiger et laboriosus, non sine aliqua sollicitudine comperimus qui eum impense amamus. Iam in regia vita hoc difficillimum, quod quum eos, quibus rex administris et consiliariis utitur, plerosque omnes non oporteat nisi in singulis generibus excellere et exercitatos esse, rex, qui velit oneri humeris imposito prorsus sufficere, omnes debet rei publicae partes ingenti animo complecti, diversissimarum rerum si non minutissima quaeque, at certe summam tenere, denique haec diversa mente sua ita coniungere et miscere, inde ut veluti ex sonorum varietatibus unus efficiatur concentus. Et diversis-

sima quidem sunt pax et bellum: utriusque artibus saltem in hac, qua utimur Borussi, rei publicae forma et condicione rex praestare debet. Hae igitur ut non modo in re publica sed in ipso regis animo iusta temperentur ratione, eximia opus est animi magnitudine, quae raro obtingit mortali: qui obtigerat superiori saeculo Borussiae et Germaniae, quin Europae universae lumini et principi viro, Friderico Magno. Fridericus Guilelmus Quartus, quam viam secuturus esset, ipso imperii initio voce gravissima edixit: pronuntiavit sese pacem servaturum sua aetate esse, nisi provocaretur ad bellum; bellum vero gesturum confidere populi sui amori et virtuti et illi communi omnium ardori, quo pater vicerat. Non minitatus bellum est, ut pacem retineret; retinuit pacem, quod se hanc malle declaravit nec tamen reformidare bellum, cui Borussia in ipsa pace nunquam non parata est. Ita neque arroganter nec summisse agendo profligata discrimina sunt, quae ante annum metuebantur, et restituta securitas est. Interim licet nolit omnes rei publicae vires ad militiam converti, rei militari providet egregie, ac siquid emendationem desiderare videtur in eximio hoc et tantum non omnibus numeris absoluto militiae apparatu, quem pater instituit, id corrigere studet sedulo. Sed in domesticis rei publicae rebus quae nostra aetate et in hoc quidem regno agenda sint, et arduum est perspicere, nec mei muneris aut facultatis exponere; nisi quod nonnulla, quae non ex interiore ac negotiali rerum civilium cognitione petita sed communis et popularis iudicii sunt, fundere quasi per saturam licebit. Nam quum nationes pleraeque omnes ad id evectae sint fastigium, ut non gregum instar ratione destitutorum, sicuti ex Platonis sententia Saturnio aevo a diis, ab rectoribus civitatium velut pastoribus ducantur, sed populus cum iis, qui gubernacula imperii tenent, per legatos suos de rebus gravissimis vel deliberet vel constituat: ne regnum hoc ab aliis vinceretur institutorum praestantia populique vigore et civili sollertia, neve civium animi languescerent et hebetarentur, somnoque et inertia pressi in periculis destituerent civitatem, intellectum est in hac quoque re publica, quae robur armorum viribus ingenii et alacritate animorum augeat, commovendos cives esse, ut ad publicas res appellant animos; simul tamen retinendam esse vim imperii integram et indivisam, retinendam tranquillitatem, quam facile turbant commotiores animi.

'ae quam aegre inter se concilientur, non opus est explicare:

qui conciliaverit, praeclaram illam, quae Imperatori Nervae a Tacito tribuitur, iure merebitur laudem, quod res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem. Hoc ipsum vero propositum Regi sapientissimo esse, satis erit verbo significasse. In qua re difficillima plurimum proficiet princeps, quem natura ita finxerit, ut studia hominum alliciat humanitate et comitate, nec vereatur sese submittere et cum populo versari; quod nullo dignitatis dispendio facere ille potest, qui tam longe supra omnes positus sit, ut nemo sese cum illo comparare audeat: placebit etiam lepor et festivitas, modo ne ille laedat dicteriis, quae privato facile, principi nunquam condonantur. Eximet bonis metum, amotis exploratoribus delatoribusque; ne malis quidem poenas ipse irrogabit, sed crimina quaelibet integris imperterritisque iudicibus ex legibus, quae universis communes et aequae sint, iudicanda relinquet; probitate et prudentia efficiet, ut omnes persuasum habeant, et velle ipsum civium utilitatibus ac saluti consulere, et quae salutaria, quae damnosa sint, ac quibus artibus illa comparentur, haec declinentur, optime intelligere. Nolet uni alicui ordini favere, hunc unum in consilium vocare, ceteros posthabere: quod ubi fiet, invidia concitabitur ei ordini, cui data praerogativa fuerit, etiamsi haec ipsa iis, qui posthabentur, nullum onus imponat, et dissolvetur concordia rei publicae. Plebi, ut Solonis verbis utar, tantum dabit quantum sufficiet, potentesque et opulenti curabit ne quid iniqui habeant. Fisco et aerario non magis providebit quam subiectorum rei familiari, quod qui pauperibus imperat, ne ipse quidem dives est, bonusque princeps tantum ipse quantum omnes habet; agrorum cultum, opificia, commercia alet; vectigalia et tributa, quantum licet per necessitates rei publicae, minuet atque ita ordinabit, ut minime molesta ipsa sint et exactio. Munificentiam exhibebit non in rebus cito perituris, sed in iis, quae perpetuo civitati ornamento sint et mansura afferant commoda. Non eos solos sibi fidos esse arbitrabitur, qui laudent quidquid ipse dixerit et fecerit, sed fiduciam addet iis, qui integro constantique animo fretique conscientia optimae mentis et officii, quae ipsis recta visa sint, profiteantur candide et modeste. Maiestatis iudicia quantum fieri sine publico detrimento potest coercebit, maior obtrectatione et levis iniuriae contemptor potius quam ultor, nec suppliciis laetus sed amore civium. Sibi imperabit aeque ac civibus, nec dum illos non

vult cupiditatibus regi, his regetur ipse. Ita verus et sincerus erit, ut verbum eius sit certius quam aliorum iusiurandum. His universe propositis, numquis vestrum postulabit, auditores, ut quomodo Regis nostri clementissimi ingenium respondeat, dedita opera explicem? Nimirum si apud eos verba facerem, qui illum non nossent, dicat aliquis recensendas mihi et describendas singulas eius virtutes esse; sed vos, sicut in tabula picta Regis vultum agnoscitis, licet nomen non subscriptum sit, ita iis, quae proposui, non quidem omnes Friderici Guilelmi dotes eximias, quas persequi longum est, nec perfectam eius imaginem, sed tamen lineamenta quaedam recognoscetis quasi adumbrata.

Nondum attigi ea, collegae et commilitones, quae ad nos potissimum pertinent. Nam quum ex Friderici Guilelmi Quarti ingenio pridem pulcherrimum augurium captum esset futuri artium et litterarum floris viridissimi, quae tamen a Friderico Guilelmo Tertio ita alitae erant, ut satis habendum esse videretur, si nihil damni facerent; Rex clementissimus iam nunc vel summam superasse spem videtur: qui non modo in ipso principio imperii, acceptis gratiosissime quae a primis litterarum et artium collegiis mittebantur legationibus, quam propitius bonis studiis esset, ostendit, et quod longe gratissimum beneficia accipientibus est, ne exspectans quidem donec rogaretur, huius potissimum universitatis reditus lautissime auxit, sed illustrissima Germaniae decora, salariis annuis liberaliter constitutis, huc vocavit, non solum ut suam quisque artem apud nos faceret et doceret, sed etiam ut ipse eorum uteretur praesentia. Diligit enim litteratos litterarum causa, litteras vero et artes non quod commodum usumve, qualiscunque est, imperanti praebeant, sed ut earum existimator peritissimus et elegantissimus ob insitam ipsis praestantiam, hoc est ob verum et pulchrum. Ab his autem non seiunctum bonum est, quod cum vero et pulchro ex communi fonte divino manat, tria haec optima continente indiscreta; sed in humanis tamen rebus, non plane quidem sed aliquatenus, ita separata cernuntur, ut verum inquirat scientia, pulchrum efficere conetur ars, bonum propositum sit civitati institutisque vitae publicae et privatae divinitus conditis. Verum scientia, in qua nunc sola consistam, versatur partim in notionum purarum cognitione, quam vocamus philosophiam, partim in mathematis quantitatem demonstrantibus, partim in natura-

lium rerum legumque observatione ac descriptione, partim in generis humani earumque rerum omnium, quas ratio humana excogitavit et condidit, civitatium, morum atque institutorum tam sacrorum quam profanorum, linguarum, litterarum et artium historia explicanda. Atque ex his scientiae partibus eae quoque disciplinae vel pendent vel mixtae sunt, quae in peculiaria tria universitatum litterariarum corpora more antiquo coniunctae reperiuntur; et quum scientia, quae quidem vere scientia sit, non possit scientiae contraria esse, quia verum non potest vero, hoc est sibi, contrarium et falsum esse, omnes illae partes cognitionis necesse est inter se consentiant. Sunt sane diversae: sed veluti in naturali rerum universitate sidera suum quodque locum occupant, omniumque concentu continetur et movetur mundus; ita omnes disciplinae quasi totidem mentis humanae lumina et sidera in hac hominum rationali et litteraria universitate coniunctae inter se et congruae sunt. Communis omnium finis est veritas, quod omnes in scientia occupatae sunt, non utilitas, non voluptas; habent tamen etiam utilitatem, ut habent voluptatem. At nostro saeculo multi vim finemque scientiae sordide ac verniliter ita pervertunt, ut quod cum illa connexum est utile, ad id unice dirigendam ipsam esse censeant; quibus si obsequemur, verendum est ne summa intercidat scientiae et litterarum utilitas, quod qui omnium rerum dignitatem ex utilitate aestimant, non solent quae maximae et purissimae utilitates sint perspicere, pingui iudicio utile in pane potissimum et nummis et vitae commoditatibus ac deliciis ponentes, quemadmodum qui voluptarii sunt, non purissimas animi voluptates sectantur, sed luxuriosas et libidinosas. Summam vero utilitatem eam dico, quae coniunctissima sit cum fine, qui generi humano propositus est. Quum autem cuiusque rei finis in eius notione positus sit, humanitatem arbitror generis humani finem esse: non quo negem mortales debere operam dare, ut Deo assimilentur, nec quo negem unumquemque patriae et civitati, non sibi soli et parentibus natum esse; sed utrumque ipsa humanitate comprehendi censeo, siquidem verum est hominem ad imaginem Dei creatum esse hominisque rationem a divina profectam, ac sua natura, quod praecipit Aristoteles, hominem esse animal civile. Ad humanitatem igitur educandi et instituendi homines sunt; quae sola liberalis et perfecta educatio est. Quodsi ad aliud quidvis homines formantur, institutio aut ad necessitates

vitae, hoc est corporis restringitur, aut neglecto summo fine dirigitur ad aliquid fortuitum. Fac, quod fuit qui diceret, ita instituendos homines esse, ut quisque eius, in qua natus sit, civitatis formae maxime respondeat; instabilis norma erit et humanitati perniciosa, quod apud easdem nationes alias aliae rei publicae formae obtinent, et genus humanum ad meliorem frugem adduci nequit, nisi instituta publica, prout magis excultae civium mentes fuerint, ratione duce corrigentur: excolit autem mentes et rationem institutio. Nonne vero mirum praeciperet, qui scientiam (hac enim continetur fere universa institutio, et huius causa haec incepi disputare), qui scientiam inquam, et quod consequens est, verum aliud vellet esse in populari, aliud in optimatium imperio, aliud apud gentes quae regnantur? Immo civitati, quaecunque eius forma est, recte sese attemperabit et accommodabit is, cuius animus probe ad humanitatem excultus sit. Quid dicam de institutione pro diversis civium ordinibus aliter ordinanda? Quippe rustica et urbana plebs primis tantum litterarum elementis et praeceptis morum et doctrinae sacrae rudimentis imbuitur, ut eatenus compos humanitatis fiat, quatenus licet iis, quibus inopia et labor non relinquit otium: ex quo intelligitur hos quoque eodem quo ceteros fine quamvis imperfecte erudiri: nobilibus vero tantum abest ut divisa ab reliquis hominibus et ab humanitate institutio conveniat, ut si peculiari disciplina formentur, magis ad superbiam et vanam quandam elegantiam et ad perpetuanda quaedam commenta opinionum, quam ad virtutem et sapientiam institui videantur; quos potius decet bonis artibus quibuslibet corpus et animum diligentissime omnium exercere ac fingere, ne verbo tenus nobiles sint. Postremo prout quisque certo negotio tractando destinatur, alia sane aliis discenda sunt; sed communiter omnes sunt, quantum fieri potest, ad humanitatem formandi, et quo quisque maiore loco natus sit atque altiora appetat, eo debet impensiorem operam dare, ut cum negotiali peritia sollertiaque, qua omnino opus est, humanam coniungat eruditionem. Sunt certe, sunt praeclara animi bona, ab omni negotiorum usu remota, quae si partim retineantur partim augeantur, proficit humanum genus, si aboleantur vel minuantur, ruit in deterius: in his praeter pietatem et bonos mores numero poesim et reliquas artes elegantes, ac liberalem ingenii cultum cum libertate animi coniunctum. Hic nulli parti scientiae mancipatus est, sed com-

munis omnibus litteris; sed aliquot disciplinae simul magis quam ceterae ad vulgarem usum referuntur. Itaque qui ex hoc solo scientiae dignitatem aestimant, calumniantur unam et alteram disciplinam, cuius ut Strepsiades ille Aristophaneus, rusticus sane homo et rudis bonarum artium, nullum in vulgus aut victui parando usum videant. Et nostro quidem saeculo duae imprimis disciplinae, quae multum conferre ad humanitatem videntur, acerrimos obtrectatores et adversarios habent, philosophia et studia antiquitatis. Matri doctrinarum omnium obstrepunt redivivi quidam Anyti et Meleti, infestam religioni, infestam civitati esse clamantes; mihi mentis humanae ratio, quam philosophia explicat, non videtur pugnare posse nec cum religione nec cum civitate, sed illam purgare a superstitione, hanc ab institutorum perversitate. Aliquid errent licet philosophi: nihilne errarunt legum latores et disciplinae sacrae magistri? Scio, quod nuper audivimus, non ut Platoni ethnico scilicet et impio homini visum, ex philosophiae praeceptis instrui has nostras civitates posse: at philosophia sensim erudit et illustrat mentes, atque has dum illustrat, corrigit paullatim leges et instituta, non quae ad agros et flumina et saltus pertinent, sed quibus summae generis humani rationes continentur. Adhuc cremaremus aniculas innocentissimas, nisi philosophia monente abrogatae leges immanissimae et stolidissimae essent. Quanto igitur humanius Cicero, rerum experientia multo magis quam scholarum subtilitate formatus et in maximae omnium civitatis pulvere et palaestra exercitatus, philosophiam illam generi humano innatam, quam perficere sapientiae studiosi conantur, vitae ducem vocat, virtutis indagatricem expultricemque vitiorum, eamque dicit urbes peperisse et inventricem legum, magistram morum et disciplinae fuisse. Itaque recte Borussia nostra summos philosophos inde a Leibnitio usque ad hos, quos praesens tulit aetas, allexit ac fovit. Iam de litteris antiquitatis nolo uberius disserere, ne me iactare in meis studiis videar: tantum meminerint velim, qui aliis rebus et technicis potissimum teneras puerorum et adolescentulorum mentes nutriri in scholis cupiunt, non id solum agi, ut ex Graecis Latinisque litteris futuri theologi et iurisconsulti tantum delibent, quantum ad disciplinae suae fontes mediocriter cognoscendos maxime necessarium sit, neque ut medici futuri artis suae vocabula discant, sed ut omnes, qui ad scientiam quamlibet accessuri sunt, opulentissima, quam priores gentes

cultissimae succedentibus reliquerunt saeculis, perfruantur hereditate, atque ut optimis formentur exemplaribus, quibus plerique omnes, qui litteris inclaruerunt, formati sunt, quibus ipse Fridericus Magnus, qui tamen Gallicis potissimum litteris instructus erat, gymnasiorum alumnos institui voluit, non ille ratus aliis artibus aut noviciarum linguarum et librorum usu compensari illa studia posse; meminerint velim, qui Christianae fidei ex antiquis litteris detrimentum metuunt, Imperatorem Iulianum interdixisse Christianis, ne rhetorices et litterarum scholas aperirent, quo fierent incultiores, atque illum hoc nomine reprehensum a Gregorio, viro sanctissimo esse, quod Christianis invidisset ea bona, quae omnibus hominibus communia essent. Quodsi litterae tantum eatenus videbuntur magni habendae esse, quatenus vulgaribus vitae utilitatibus et commodis inservire videntur, non mentis luminibus alendis, spernenda sane et philosophia et studia antiquitatis atque una cum his magna reliquae historiae pars ac nescio an aliqua etiam physicarum et mathematicarum disciplinarum erunt: ita vero summa, quam dixi, scientiae peribit utilitas ac simul libertas animi, quam retinere non possunt, qui omnia ad quaestum lucrumque referunt. Quin verendum est, ne rei publicae quoque libertas periclitetur, si unice istud, quod dixi, utile cives appetent ac sectabuntur: quippe tum, quo quis eos pinguiore nutriet sagina, eo libentius quemque accipient dominum, et in placida acquiescent servitute. Sed generosi cives et maius quiddam quam lucrum et vitae delicias spectare edocti pro patria et libertate et principe legitimo devovent non modo bona sua omnia sed vitam ipsam. Hac arte crevit Borussia; haec consilia placuerunt prioribus regibus. Quid vero Fridericus Guilelmus Quartus? Providet opibus civium; saluberrimis institutis, adhibitis in consilium legatis populi, quidquid prosperitatibus non singulorum sed universorum conducere videtur, studet efficere; sed alta mente perspicit non in solis vitae commoditatibus rei publicae salutem positam esse, sed summis illis animi bonis eos beandos, quos ipsius curae mandavit providentia. Nimirum ut redeam tandem eo, unde videbor digressus esse, Dominus noster clementissimus suopte ingenio ita comparatus est, ut veri pulchrique amore quasi divino afflatu repletus sit, litterasque et artes non sordidi alicuius commodi sed ipsarum causa diligat, ac siquam ab illis utilitatem requirat, spectet potissimum illam liberalem et praestantissimam, quam studui explicare.

Absolvi quod mihi dicendum proposueram, auditores, liberalissimum descripturus Friderici Guilelmi ingenium. Atqui quum principis animo assimilari subiectorum animi soleant, non timeo ne unquam in hoc regno florentissimo ea vincant consilia et voluntates, quae dedeceant ingenuos; operamque dabitis vos potissimum, commilitones carissimi, quos Patre patriae beatissimo superstite parentes educarunt in spem libertatis et securitatis iucundissimam, quam Fridericus Guilelmus Quartus ratam facit, vos inquam dabitis operam, ut liberale Regis sapientissimi ingenium, quantum potest privatus principem, aemulemini studiose. Quo comprehenditur etiam hoc, ut Regi, qui imperio liberali gubernat suos, nobiscum et nunc et posthac in officiis liberale praestetis obsequium: non enim ille postulat servile. Praeteriit tempus, quo monendi et dehortandi eratis, ne traheremini ea audacia, cuius veniam Friderici Guilelmi Quarti clementia nuper impertivit damnatis; cohortandi estis ad id, quod facillimum esse in exordio meae orationis dixi, ad amandum illum, a quo amamur. Qua cohortatione etsi non opus est, tamen eam addidi, ut animo meo indulgerem meoque amori. Intelligimus omnes bona nostra; annitendum est, ut digni eorum usu videamur. Novum hoc, quod surgit Borussiae, saeculum intremus seniores laeti, quod nobis id contigerit videre, quo nullum condi potuerit felicius maturandis fructibus, quos prior sevit aetas; vos iuniores et viribus pollentes recentioribus accingimini, ut Friderici Guilelmi Quarti sequamini ardorem eiusque respondeatis exspectationi. Denique quidquid hic molitur magni et egregii, adiuvet Deus, sine quo nihil perfici mansurum potest, servetque ei animum, quem dedit, atque in cuius salutem collata omnium vota sunt, eum in salutem publicam cum coniuge Regina augustissima per longissimum temporis spatium tueatur integrum atque incolumem. Dixi.

XXIX.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi IV. celebrandis d. XV. m. Octobris a. MDCCCXXXXII. habita.

Etsi munus hoc, quod ego pro vobis omnibus quotannis sustineo, auditores, in sollemnibus sanctissimis Principi longe optimo dedicatis verba faciendi, esse difficillimum persentio, tamen id mihi ut honorificum, ita gratum et iucundum est. Quum enim possit videri molestum eodem die singulis annis in eodem argumento versari, videri adulatorium eundem principem impensa laude quamvis dignum vel iisdem identidem praeconiis vel nove excogitatis stato die quasi ex imperato praedicare: eximit hos scrupulos ea cogitatio, quod nemo fere vel exspectat vel postulat, hodie ut nihil praeter Regis laudes disseramus, sed oratori, dummodo et suae et vestrae pietati satisfacere conetur, remittitur aliquid de oneris magnitudine, et permittitur tractare singularem aliquam materiam, talem certe, quae non ita aliena ab huius diei sanctitate et celebritate sit, ea ut neque ad Principis personam, ad Principis amorem et laudationem referri possit, neque animis vestris, qui ad Regem venerandum conveneritis, accommodata aliquatenus haberi. Itaque quum apud me reputarem, postquam superiore anno de Regis dilectissimi virtutibus dedita opera uberius dixi, neminem hoc mihi vitio daturum, si, quod in beati Patris patriae nataliciis saepe vobis haud invitis feci, varietatis causa deligerem illiusmodi rem, non quam philosophorum subtilitate explicarem atque absolverem et perficerem, sed in qua oratoria potius ratione vagarer paullo liberius: proposui mihi quaestionem instituere de ipso amore patriae ac principis, qua concedetis nullam his sollemnibus magis esse congruam et convenientem. Namque ut ab hoc exordiar, in quo consentiunt universi, Regem benignissimum amamus omnes, atque huius amoris publice testandi causa hoc loco convenimus: etiam magni facimus Regem ob virtutes, et reveremur ob maiestatem, sed potior est amor et caritas iudicio ac reverentia. Neque vero hoc Regem amore prosequuntur tantum [illegible], quos ille beneficio affecit, sed civibus carus est universis,

etiam qui eum non viderint, qui de eo tantum fando audiverint: denique principis amor, ut patriae, est maius quiddam, quod privati modum commodi gratique sensum animi longe excedat; est pietas quaedam, quam, si fas Christianis hominibus esset mortalem ullum Deo Optimo Maximo comparare, conferendam diceres cum pietate, quae huius debetur numini. Sed pietas, qua rex amatur, ut mihi non ex divina regni auctoritate manare videtur, quod etsi imperium quodvis a Deo profectum haberi potest, tamen ingenti intervallo distant Deus et princeps: ita non dubito illam proxime cognatam ei pietati dicere, qua suos quisque parentes colunt. Quod quum intelligerent Romani, bonos principes, vilique assentatione aliquando etiam malos, publice et ex decreto decorarunt titulo patris patriae, qui maiorem habet affectum caritatis, quam vocabulum parentis; Germani principibus suis non sollemne quidem hoc nomen conferunt, sed ex animi sententia et voluntate sponte tribuunt: ac rursum qui regi parent, ii liberi civitatis ac proinde principis esse censentur. Quamobrem Fridericus Magnus, quem haud vereor publicae domesticaeque regum nostrorum disciplinae auctorem potissimum nominare, regnum bene gubernatum dicit debere tamquam familiam esse, cuius pater sit princeps, cives vero liberi: cives enim dicit, non quod multi reges libentius audiunt, subiectos: bonaque et mala inter eos communia esse; neque enim principem posse felicitate gaudere, ubi populus laboret miseria. Atque hinc meo quidem iudicio colligitur non posse principis amorem a patriae caritate seiungi: quod enim ille pater patriae est, ideo illum diligunt, qui recte diligunt. Quid vero potest iucundius esse quam dicere simul de patria et de principe, et de amoris, quo et illam et hunc colamus, coniunctione artissima? Quod argumentum quum ad huius diei celebritatem unice comparatum sit, intelligi iam potest haud immerito me hoc, quod hodie sustineo, munus iucundum dixisse. Nec tamen mihi licebit integram hanc iucunditatem percipere, nisi vela orationis meae aura vestrae benignitatis implebit, viriumque mearum tenuitati, cuius mihi probe conscius sum, audientium respondebit indulgentia, quam exorarem a vobis instantius, nisi eam pridem saepe essem expertus. Hac igitur fretus etiamnunc, qualiacunque dicturus sum, dicam cum fiducia.

Sed de patria aliquid praefaturo mihi vix monendum videtur, licet quisque loco, ubi natus et educatus sit, imprimis as-

suescat et in memoria earum rerum, quae ibi eius infantiam et pueritiam circumdederint, libentissime acquiescat, tamen loci illius finibus angustis non posse patriam contineri; immo, etsi patria cuiusque cum certa quadam regione coniuncta sit, tamen non hac superficie, his arvis, his montibus silvisque, fluminibus lacubusque, his domibus et tignis atque hoc congestu lapidum, mutis istis et inanimis, quae, ut ait Tacitus, intercidere et reparari promiscua sunt, constitui patriam, sed potius hac societate hominum, in qua nati sumus, individua et quodammodo aeterna, sive eam nationem seu rem publicam vocare placet. Quam societatem non quasi glebae adscriptam esse, sed transferri ex alio loco in alium et proferri atque amplificari posse, Graeci potissimum, summo patriae amore flagrantes, et statuerunt et comprobarunt exemplis: ac nostra quoque aetate quis neget veram Germaniam non certam quandam terram esse, quam hoc nomine vocent geographi, sed eam, in qua Germanorum nationis societas constituta sit et floreat, Borussiam et Borussorum patriam non has solas provincias, quae vel superiori saeculo vel prius hoc comprehensae nomine sint, sed universam hanc communionem gentium, quae regum nostrorum virtute et auspiciis in unum coaluerunt corpus validissimum; denique quis non dixerit, siquis populus sedibus suis pulsus in aliena terra instauraverit rem publicam suam, ab eo solum quidem esse mutatum, sed patriam translatam potius quam amissam? Itaque patriae fines populi metimur finibus; lingua populi litteraeque, mores et consuetudines, communia instituta et privata et publica, quae confirmantur educatione ac legibus, postremo memoria maiorum et gloria egregiorum facinorum, quae ab illis ad posteros propagatur, haec mihi videntur firmissima patriae quasi vincula esse. Quibus rebus omnibus quidem laetamur etiam Borussiae terras certe plurimas contineri; nullum vero universi orbis terrarum regnum nec civitas ulla clariora maiorum exempla habet: et haec quidem ipsa quum regia potissimum stirps exhibuerit, non possum quin verbo moneam, hoc, quod in memoria priorum temporum positum est, vinculo efficacissimo neutiquam gavisuram fuisse Borussiam, nisi tanta principum nostrorum eminuisset magnitudo. Vna huic rei publicae non obtigit felicitas, quae in communione religionum collocata est: religio enim, et Christiana praesertim, qua mortales debent in fraternum conngi amorem, quo maiora magisque perniciosa discidia olim

excitavit et excitare nostra quoque aetate poterit, si fanaticus furor, ad quem nonnulli proclives sunt, aletur studiose ac sollerter; tanto mihi beatior ea videtur civitas esse, in qua aut plerique omnes eandem profiteantur fidem, aut siqua obtineat sectarum diversitas, alteri alteros mitibus ferant animis, nulla vero secta peregrino pareat domino. Sed si patriae fines, ut dixi, ex populi finibus comparandi sunt, ac non tam solo quam societate hominum et civitate constat patria, concedendum est multos duplicem habere patriam, alteram artiorem, alteram latiorem, quia unus ille populus in plures gentes, et quod maius esse videtur, in plures civitates divisus est, sive eas prorsus disiunctas seu foedere coniunctas, atque aut rei publicae forma diversas aut, quod longe praestat, iisdem instructas institutis et legibus: non enim unquam bene coalescent civitates, quae utantur legibus valde disparibus, sed suspectae alterae alteris erunt, tum quod eius, quae liberius constituta sit, cives diffident iis, quibus minus libera paret, et ab his libertati suae periculum imminere haud immerito iudicabunt, tum quod minus liberae huius rei publicae domini metuent, ne ex illa liberiore amor libertatis disseminetur ac propagetur in ipsorum subiectos atque hos reddat impatientiores imperii. Nobis autem Borussis quod ut reliquis Germanis duplex est patria quasi divinitus data, morosus fuerit qui putet dolendum esse; praedicanda potius regum nostrorum et maxime Friderici Guilelmi Quarti magnanimitas est, qui licet nostrae rei publicae instituta differant aliquantum a plurimis Germanis ac videantur minus popularia esse, noluerint ipsi non Germani, noluerint Borussos suos non Germanos esse. Itaque Fridericus Guilelmus Tertius non satis habens accessisse foederi, quo nomen Germanicum universum continetur, utili illi quidem ut videtur maxime adversus exteros, utiliorem instituit hanc, qua certe maxima Germanorum pars nunc coniuncta est, societatem commercii ac vectigaliorum; Fridericus Guilelmus Quartus vero, Rex noster dilectissimus, et in tristibus rebus et in laetis declarat et hoc ipso anno declaravit communem nostram patriam esse Germaniam: qui, quum miseranda illa calamitate afflicti Hamburgenses essent, primus omnium principum edixit commune hoc Germanis accidisse malum, a nobis pro virili parte sarciendum; et paullo post quum vellet litteris, quibus Germani maxime inter se conciliantur, et artibus honorem habere, hac in re a Borussia distinctam esse reliquam Germaniam noluit;

nuperrimeque, quum sollemnia illa Agrippinensia sane magnifica celebraret, concordiam Germanorum quanti faceret, solita sua facundia significavit luculenter: denique nulla est Germaniae terra, quae Germanos alienigenas facilius libentiusque quam Borussia nostra recipiat ut suos, non ut peregrinos. Iam vero hanc patriam, et latiorem et strictiorem, ut diligamus, non pacto, quod fuerunt qui dicerent, obligamur: ex pacto enim nemo amat: sed ut amoris cuiuslibet fons est animorum interior concentus, ita patriam diligimus, quod indoles nostra cum ingenio universi populi et civitatis congruit; augetur autem hic amor recordatione beneficiorum patriae debitorum, quae nos et educaverit et tutata sit bonisque animi et corporis omnibus instruxerit et quotidie instruat: quo fit, ut facilius et vehementius ametur patria, quae id sibi propositum habeat, quod Borussiae principes sibi proposuerunt, ut bonis quibuslibet et externis et internis mactent, quantum fieri potest, suos cives. Quibus vero rebus demonstramus patriae nos amore teneri? Virtute civili opinor. Sed virtus civilis qua in re sita est? In hoc opinor, ut bonus sis civis. Sed bonus civis quis est? Respondet Fridericus Magnus: „Bonus civis", inquit, „est is, qui hanc legem sequitur immutabilem, ut tantum, quantum penes ipsum est, utilis sit ei societati, cui adscriptus sit." Quapropter a quo volumus amari patriam, is debet civis ac proinde liber esse. Nam qui supra civem est, dominationis amans erit, non patriae; qui infra civem, non habet patriam. Ita inter veteres nationes in orientalibus regnis tyrannice regnatis nullam deprehendas caritatem patriae, quod nulli in iis cives fuerunt, sed tantum domini ac servi; medioque quod vocant aevo, si liberas civitates exceperis, non caritas patriae ad magnas res gerendas impulit, sed instinctus religionum et quae tum pro amore patriae fuisse videtur fidelitas erga dominos. Quid vero dicam de libertate? Qui enim liber non est, ne populi quidem pars est, ne persona quidem, sed res possessa; faceteque vetus auctor dixit: „Quindecim liberi homines populus est, totidem servi familia, totidem vincti ergastulum." Quid mirum igitur, quod qui genuino patriae amore perfusi sunt, libertatis sunt studiosissimi, et quod virtus civilis et amor libertatis fere idem esse censetur? Documento est, quod de Atheniensibus dicit Demosthenes. „Quis enim nescit Graecorum, quis barbarorum", inquit, „et a Thebanis et ab iis, qui prius potentia valuerant,

Lacedaemoniis et a rege Persarum Athenienses facillime et multa cum gratia impetraturos fuisse, ut accepto quidquid vellent rebusque suis retentis imperata facerent et alium paterentur Graecis praeesse? Enimvero istud illis non erat patrium, non tolerabile, non natura insitum: non enim quaerebant tum oratorem vel praetorem, cuius opera feliciter servirent, sed ne vivendum quidem sibi, nisi liceret cum libertate, censebant: quippe putabat sese eorum unusquisque non patri solum ac matri natum esse, sed etiam patriae: qui vero se parentibus solis natum putat, is mortem fato destinatam et sponte venientem exspectabit; qui patriae quoque, mori volet, ne hanc servientem videat, et magis quam mortem reformidabit ignominiam et contumelias, quas in oppressa patria necesse est perferri." Haec ille. Optimo igitur libertatis usu, non optime serviendo, patriae continetur caritas: servitii vero pars haud exigua quum sit adulatio et assentatio, pessima ista generis humani pestis, non qui probet, laudet, praedicet quidquid in sua civitate agitur, diligere patriam censendus est, sed qui latentia civitatis mala aperiat, aperta castiget, imprudentia et prava consilia impugnet, si sufficiat, modeste ac summisse, sin opus fuerit, etiam acriter et severe. Hac arte Demosthenes et Cicero patriam demeriti sunt; hac arte apud veteres ipsa comoedia utilis rei publicae fuit, quae, quod multi nostra aetate ferre non possunt, ridendo verum dicebat liberrime. Profecto aliqua acerbitas, quamvis molesta iis, qui libertati dicendi nondum assueverint, praestat ignavae patientiae, qua qui consenuerit, is non multum differt ab eo, quem Solon ille legum lator sapientissimus acri dignum animadversione iudicavit, eum dico, qui in discordia et seditione populi noluerit alteriusutrius partis esse, sed solitarius ac separatus a communi malo civitatis secesserit. Hic enim fieri non potest ut patriae amore teneatur, quippe sibi vivens, non civitati, neque huius motus commodis aut incommodis, sed privata ductus utilitate et fere secundum Epicuri disciplinam segni indulgens otio publicaeque incuriosus salutis, ac si non proditor patriae, certe proximus proditori.

Dum de patria dico, non de principe, auditores, nihilo minus et ipsa res et hoc tempus et mea me pietas impulerunt, simul ut quum de prioribus Borussorum regibus tum de Friderici Guilelmi Quarti consiliis magnanimis facerem mentionem: nunc ad id pervenio, ad quod me fortasse etiam prius exspectavera-

tis transiturum esse, ut quaenam inter patriam et principem, inter patriae caritatem et amorem principis ratio intercedat, considerem. Quam rem ante hos duos annos, paullo post quam Fridericus Guilelmus Quartus imperium adeptus est, memini me in alio sollemni conventu attingere; sed quemadmodum Thebanus poeta copiosissimus in carminibus, quibus victores ludorum celebravit, haud devitavit Herculis et Achillis atque Aeacidarum res diversis disserere vicibus, ita tamen ut alibi aliter de iis exponeret, sic me nunc de eadem re non plane idem dicturum spero. Videmus quaesitum esse, patriae amor liberis civitatibus esset proprius, in quibus, apud veteres certe, imprimis eminuit, an locum haberet etiam in regnis. Sane quod diximus paullo ante, qui supra civem sit, dominationis amantem esse, non patriae, id aliquis eo detorserit, ut ipsi principi patria non possit cara esse, sed solus ipse sibi carus, quippe qui ut Ludovicus Quartus decimus Galliarum rex ipse solus sibi videatur civitas esse. Quo magis pretium est afferre, Athenienses, qui tamen libertati ac populari imperio unice studebant, clarissima amoris patriae exempla a priscis suis regibus edita statuisse, ab Erechtheo, qui filiam pro patria immolasset, a Codro, qui ne Athenae hosti succumberent, certae sese caedi obtulisset. Et profecto, dum princeps ne ignoret, quod constat non ignorasse Fridericum Magnum, non ignorare Dominum nostrum clementissimum, se quoque civem esse, quis maiore poterit amore patriae incensus esse quam caput rei publicae, ex quo potissimum patriae pendeat salus? At quid de iis dicemus, qui subiecti regibus sunt? Iuvat referre, quid de hac re statuerit idem ille Fridericus Magnus. Qui ubi de patriae amore disputat, postquam negavit non esse in regnis cives, regna bene constituta, utpote quorum administratio sapiens sit ac plena benignitatis, sua aetate dicit ad paucorum imperium propius accedere quam ad tyrannidem, solasque in iis leges regnare: quas quum Graeci etiam in populari imperio regnare dicant, intelligi licet, si tamen utrumque verum est, bene institutas civitates, qualiscunque earum forma sit, pariter aequas iustasque esse. Ad singula vero descendens Fridericus omnes ait, qui in consilia adhibeantur, qui in iure dicundo occupati sint, qui reditus ac vectigalia et commercia curent, qui legationes obeant, qui exercitibus praesint, qui domi securitati publicae provideant, praeea qui in singularum rebus provinciarum suffragia ferant, hos

omnes, quotquot sunt, supremae potestatis esse in regnis participes: proinde principem non tyrannum esse, qui nullam nisi voluntatem suam (ne dicam libidinem) legem habeat, sed esse eum quasi centrum orbis, in quo omnes de circumferentia lineae concurrant: siquod in Europa regnum sit, in quod haec non apte quadrent, esse id imperium Turcicum unumque et alterum, quod verae suae utilitatis nescium privatorum commoda cum commodis dominantium perfecte consociare nondum didicerit. Addit, quod ex eo paullo ante attuli, regnum bene gubernatum familiae simile esse, bonaque regnantibus et parentibus communia: quae communitas et concordia ubi bene conglutinata sit, grati animi affectum efficere, ut boni exsistant cives ita cum re publica coniuncti, ut ab ea sese nequeant separare; si enim separentur, perdituros eos omnia nec lucraturos quidquam. His a magno viro disputatis egregie conveniunt ea, quae de patriae amore generatim dixi: nempe in regnis quoque patriae amor locum habebit, si regnum simul erit civitas et in hac civitate libertas. Sed alia tamen in populari et optimatium imperio, alia in regno patriae caritas est, quatenus regni gentisque regnatae salus aegre dividi a principis incolumitate potest, eversaque principali domo rei publicae status raro intactus manet, atque in regno ipsius patriae caritas una transfertur in personam principis utpote patris liberorum. Tantum enim abest, ut libertas amorem principis imminuat et frangat, ut non possit diligi princeps nisi a liberis, a servis vero potius metui videatur, atque ut, quo liberius constitutum regnum sit, eo sincerius et vehementius amari princeps soleat, praesertim ubi, ut nostra aetate in Britannia, confirmata longinquitate temporis potentia, non nuper demum, neque invita magna civium multitudine, parta sit, et maxime ubi princeps ipse instituerit libertatem sua sponte, neque exspectaverit, donec ea vel vi vel rerum adversarum opportunitate importuna extorqueretur. Proinde quum patriae caritas principisque amor egregie conspirent, hic fere iisdem quibus illa artibus comprobabitur, hoc est non servitio illiberali, sed boni civis virtute, qualem supra significavimus, rectoque usu libertatis, quem nobis non invidet Fridericus Guilelmus Quartus, sed adiuvat atque auget. Verum hac de re longum est dicere; exponam nunc aliud, quod supra, ubi de patria et caritate patriae dixi, omisi de industria. Etenim quum regna haud pauca ex pluribus composita nationibus sint, iisque diversis

lingua et moribus, quum praeterea eiusdem regni provinciae, etsi habitatorum ingenia non tantum differant, ut ii videantur diversarum esse stirpium, tamen quod ex longo tempore plane separatae fuerant, soleant alia ab aliis plus minusve alienatae esse, earumque incolae degeneri cuidam patriae caritati, qui amor provinciae est, indulgere; qui talibus rebus publicis praesunt, aut operam dant, ut illa nationum provinciarumque diversitas tollatur: id quod tum potissimum effectum dabitur, ubi universa imperii vis in urbe regni sede collocabitur, tantum non sicuti veteres una urbe universam comprehenderunt civitatem, Atticam Athenis, Laconicam Sparta, Megalopoli Arcadicam, Roma orbis domina immensam illam Romanam: aut nationes illas uni principi subiectas in diversa distrahunt regna, atque istis provinciarum discriminibus mirifice delectati haec ipsa conservare et augere student. Vtraque ratio quibus difficultatibus impedita sit, quibus laboret incommodis, non meum est nunc explicare: illud manifestum videtur, diversas nationes, atque etiam quae provinciae nimium a sese invicem alienatae sint, firmiter coniungi in unam rem publicam non posse, nisi intelligant hac coniunctione communes ipsarum utilitates contineri, et quum primum haec societas dissoluta fuerit, singularum periclitaturam salutem, partesque iam invalidas hosti potentiori cessuras in praedam. Atqui hanc societatem, quae sola nitatur utilitate, magnopere confirmabit amor principis, qui sibi omnes regni ex his quasi elementis conflati partes beneficiorum magnitudine obligarit ac devinxerit. Quae quis est vestrum, auditores, quin videat ne monitus quidem, quamobrem nunc a me commemorentur? quis non perspicit, ut olim Friderici Guilelmi Tertii, ita nunc Friderici Guilelmi Quarti benignitate et clementia discretas non solum lingua et moribus sed etiam casibus fortunae et desideriis atque exspectationibus nationes, quae imperio Borussico parent, in unum corpus quantum fieri potest copulari, atque illas si non in rebus omnibus, at certe in Regis optimi amore, unanimo conspirare affectu?

Huius igitur concordiae munere, auditores, in amore Principis carissimi positae, validam ac felicem esse Borussiam iudico: validam non solum secundis rebus, verum etiam adversis, si quando acciderint, nec tantum contra exteros hostes, sed etiam adversus intestinas dissensiones; felicem non opum ·entia et luxu, sed civium virtute, qui patriae Principique de-

voti quidvis prius perpessuri sint quam fidem violaturi, agnoscantque omnes praeclaram Regis voluntatem cum sapientia coniunctam. Nemini enim Rex vult auctor mali, omnibus auctor omnium bonorum esse; nec vereor ne me quis gratiam aucupari assentatiuncula censeat, si illius ingenium mitissimum, lenitatem, comitatem cum Tito comparavero. Et nulli quidem deest parti rei publicae, sed aequa omnes cura complectitur, quemadmodum decet eum, qui clavum universi imperii teneat; attamen litteris et artibus rebusque omnibus, quae ad animorum cultum pertinent, ita favet, ut nisi scires, quantam operam navet rei militari instruendae, iuri condendo et emendando, agriculturae, opificiis, commerciis adiuvandis, crediturus fueris totum illum in liberalibus studiis habitare. Nec vero recte litteris favere potest, qui eas ita regendas censeat, ut dominationi firmandae aut certis quibusdam opinionibus tuendis inserviant: non possunt litterae vigere nisi liberae. Igitur princeps, qui earum florem augeri cupiat, nihil prius neque antiquius habebit, quam ut concedat sentire quae velis et fari quae sentias: quod Dominum nostrum clementissimum velle in universum documentis constat certissimis: eos autem, qui torqueant os ad ipsius nutum, contemnet potius quam diliget. Nam quum servitio evilescant omnia, tum litteris servientibus nihil abiectius est; genuina vero scientia, quae notiones universas, necessarias, immutabiles quaerit, quae ex se ipsa, non ex rebus, consiliis, eventibus fortuitis pendet, quae finem suum in semet positum habet, denique quae impatiens auctoritatis cuiuslibet, sive pontificiae sive principalis sive academicae est, recta via persequitur cursum, quem demonstrat et praescribit ratio, nec circumspectat sollicite, quid cuique placeat adstantium. Hanc esse scientiae naturam et indolem, nostra interest vel maxime ut rectores civitatium persuasum habeant: habet autem persuasum Fridericus Guilelmus Quartus, liberalissimi rex ingenii. Numquis igitur putabit, auditores, qua in re publica litterae et maxime hae litterariae universitates libertatem suam retinuissent ea aetate, qua aetate viri praepotentis ac tantum non omnipotentis iniquissima tyrannis, quod sibi a libero animorum motu periculum metuebat, infensissima litteris et huic potissimum universitatum disciplinae erat; ea deinceps aetate, qua propter temeraria adolescentium aliquot incepta universitates Germanicae in tantam essent suspicionem adductae, ut videremur novis le-

gibus et institutis publice coercendi et custodiendi esse: in ea igitur re publica nunc, Friderico Guilelmo Quarto gubernacula imperii tractante, ullum libertatis detrimentum capturas esse litteras et litterarum scholas, donec ipsae res suas tueantur strenue? Non hercle hoc putabit quisquam. Potius gratiam habeamus Patri patriae benignissimo, quod litteras non modo salariis pendendis, apparatu ministrando, sumptu omnis generis praebendo aliisque conferendis beneficiis adiuvat, sed eam docentibus discentibusque impertit libertatem, quam litterarum esse animam ac vim vitalem consentiunt prudentissimi et nulla non aetate consenserunt; gratiam habeamus Patri patriae, quod universam rem publicam ad eundem modum temperat institutis liberalibus, bonis, sapientibus: gratiam habeamus Deo Optimo Maximo, quod ita finxerit Friderici Guilelmi animum, ut nemo sit quin intelligat, neque exoptari a civibus nec dari a summo numine meliorem regem potuisse. Denique ad summum numen preces mittimus sanctissimas, ut Friderici Guilelmi saluti prospiciat et consilia adiuvet, ipsumque cum coniuge Regina augustissima et domo Augusta universa conservet rei publicae, cuius flos ac felicitas ab regiae familiae incolumitate disiungi non potest, imperiique vires ac civium virtutem et concordiam confirmet corroboretque.

XXX.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi IV. celebrandis d. XV. m. Octobris a. MDCCCXXXXIII. habita.

Quae sollemnia memoriae illius diei colendae consecrata sunt, quo die summum numen voluit Fridericum Guilelmum in spem successionis nasci, ut imperii huius incolumitati et dignitati civiumque consuleretur saluti atque opportunitatibus, iis sollemnibus neminem esse vestrum arbitror, auditores omnium ordinum illustrissimi, ornatissimi, quin iudicet nihil esse accommodatius, nihil magis proprium, quam gratiarum actionem, quas Principi clementissimo quum res publica universa, tum haec nostra, quae me oratorem destinavit, litteraria universitas una cum reliquis bonarum artium in hoc regno scholis debet maximas. Quod quum reputo ad officium hoc exsequendum duas praecipue iniri vias posse, alteram, ut quaecunque Rex vel inde a capessito imperio, vel uno hoc, qui a proximis superioribus his sollemnibus effluxit, anno egregie fecerit, enumerentur singillatim ac perpendantur, et quantum hinc bonorum in partes rei publicae quaslibet redundarit, data opera explicetur; alteram, ut in delecto aliquo argumento singulari, quod licet a Regis persona vel ab hac regia stirpe generosissima haud alienum sit, tamen ad litterarum potissimum condicionem pertineat, quasi in speculo adumbrata repraesentetur pars quaedam eius virtutis, qua eminet Rex optimus: priori quidem viae ineundae ego me vix ac ne vix quidem esse parem sentio, neque opinor vobis et maxime collegis meis doctissimis, qui et tenuitatem meam norunt et multo me prudentiores ipsi sunt, tantae ego provinciae suscipiendae satis esse aptus videbor, ego inquam, qui eam vitae sectam constanter tenuerim, quae me a re publica et rerum praesentium contemplatione procul remotum abdiderit umbra scholae et secessu litterarum; ei vero, quam secundo loco dixi, rationi ut non sufficiam, at certe illam, quod scholasticae eruditioni propior est quam rerum civilium publicarumque tractationi, aliquo forsitan iure videbor vindicare mihi posse. Quid quod, siquid aliud et maius ab hoc oratore vel postularetur vel exspe-

ctaretur, nec me neque alium quemquam ex ea, in qua ego censeor, familia umbraticorum in hoc videretis suggestu collocatum, sed potius aliquem ex iureconsultis, qui rerum publicarum, uti communis sententia fert, solent apprime periti esse, aut saltem philosophum vel politicae doctrinae professorem? Adest vir summus, huius universitatis Rector, qui proxime magistratum felicissime gestum depositurus est, et in re publica ille olim egregie versatus, et rerum inde ab ultima antiquitate hucusque gestarum cognitione, subtilitate atque aequitate iudicii, elegantia ingenii, denique facundia et libertate oris ita spectatus, ut amplius illud et gravius sustinere munus nemo quam hic maiore successu possit. Quare ego ita existimo, auditores, quod ego fere solus ex hoc amplissimo professorum collegio constitutus sum, qui verba facerem pro universis, id hanc habere vim, ut liceat hoc loco aliquid proponere eiusmodi, quale paullo ante significavi, ita tamen id explicandum, ut totum illud argumentum, qualecunque est, ad sensum gratiae Domino nostro clementissimo debitae revocetur, isque sensus, veluti anima corpus, permeet quae dicimus. In qua ratione praeter diserta praeconia locum habet quaedam etiam tacita laudatio, modestior illa quidem et interior ac sincerior, quam quae multas iactet grandiloquorum ampullas verborum. Dicam igitur hodie de litteris, nec tamen de litteris generatim, sed quatenus de iis bene mereri principes possunt, ac ne hanc quidem rem tractabo integram, sed praemissa una et altera sententia magis generali continebo me posthac in ea quaestione, quid principis de singulis litterarum partibus iudicia conferre ad doctrinarum florem vel queant vel nequeant, eamque magno Friderici Magni exemplo illustrabo, quo uti tanto mihi videtur aptius esse, quanto Fridericus Guilelmus Quartus, quod ex veteri praecepto simile non cognoscitur nisi a simili, illius herois magis agnoscit ingenium, idque etiam ab aequalibus suis posterisque vult agnosci, quippe qui digna et illius et suo nomine monimenta a patre beatissimo vix inchoata condere praeclaro consilio summisque studiis instituerit. Quodsi his rebus exponendis diffido me id effecturum, ut oratio mea placeat ac probetur, certe cupio ut voluntatem meam ne desideretis, et tam pro iis, quae dixero, quam pro iis, quae omisero, veniam a vobis petitam impetratamque volo. Quid quod etiam alia mihi hodie excusanda esse videntur? Dico Latinae linguae usum, quem iam abolitum a nostra uni-

versitate esse fama nuntiavit, et, quod maius est, infrequentiam civium academicorum. Sed illum, si tamen excusatione opus, excusat lex, qua siquis solutus est, personae hoc datum, non rei videtur: haec vero circa nos solitudo est, non quo quid remiserit pietas, sed quod legitimis feriis parum opportunis procul ab urbe detinentur illae nostrae cohortes commilitonum, quae celebrare alias hunc coetum sanctissimum solebant.

Exordium sumo ab ea partitione, quam memini me uberius explicare ultima, qua Fridericum Guilelmum Tertium, Patrem patriae beatissimum, etiamtum superstitem laudavi, oratione coram vobis habita. Distinguebam tum, quae princeps ad litterarum florem conferre posset, quae ne summa quidem cura diligentiaque adhibita posset: et quae non posset, ea esse ex duplici genere: haec enim aut omnino non esse in principis potestate sita, aut certis condicionibus non esse. Non potest princeps efficere, ut nascantur magna ingenia, quae sua sponte profert natura vel numinis beneficium; fatalique ordine quodam et saeculorum cursu divinitus descripto ut populi ipsi, ita apud quemque populum artes et disciplinae capiunt initia, incrementa, ac rursum senescunt languore. Sane Fridericus Magnus in ea commentatione, ex qua plura referam paullo post, Germanorum litteris futurum augurans decus, ubi Mediceos habituri simus, sperat fore ut efflorescant ingenia; Augustos effecturos, ut sint Virgilii; Germania quum viros ferat laboriosissimis pares disquisitionibus et philosophos et alios homines ingeniosissimos et quae requiras omnia, non desiderari nisi Prometheum, qui ignem caelestem rapiat, quo eos incendat: sed potius quandocunque litterae et artes viguerunt laetius, felicitate quadam temporum idem aevum et poetas, doctos, artifices praeclaros tulit, qui parata iam prius via progrederentur longius, et principes viros opibus atque auctoritate pollentes, qui faverent litteris artibusque; nec facile dixeris, utri ab utris provocati sint. Vtut est, nemo non concedet, nisi saeculi ipsius indoles ad perfectiorem artium ac disciplinarum inclinet statum, hunc ne principum quidem munificentia neque ullis praemiis proponendis adduci posse, neque, ut hoc exemplo utar, saeculo septimo decimo Germanicos poetas, quales postea fuerunt Goethius et Schillerus, emersuros fuisse, etiamsi tum dux aliquis Saxonicus poetas ita coluisset, uti nuper eos coluit generosa domus principum Vimariensium. Iam ut tribus verbis attingam eas litteras, quae certis rei pu-

blicae condicionibus non possint provehi, exemplo olim usus sum eloquentiae, quae nequeat excoli, nisi remota formidine libertatem dicendi dederis, nec tantum libertatem, sed etiam locos et res, in quibus ostendi eloquentia possit; nec diversa est ratio historiae scribendae, qua Germani maxime claudicamus. Quis autem non intelligit, philosophiae et iis disciplinis, quae illi proxime cognatae sunt, in sacerdotali seu pontificia dominatione, quam vulgo vocant hierarchiam, non licere ultra puerilis aetatis tirocinia sapere? Haec et talia consideranti mihi, ut Rex noster clementissimus egregius omnis elegantiae iudex et artium ac litterarum amantissimus est, novitque quidquid ingeniosum, pulchrum, magnificum est, dignoscere a promiscuo et vulgari, atque eos, qui optima praestant, requirit, invitat, ad sese perducit, imprimis optandum hoc videtur, illum ut largus ingeniorum proventus ne deficiat, quibus possit succurrere munifice, atque ut illi ipsius saeculi indoles et status civitatis copiam faciant bonas artes quaslibet adiuvandi cum fructu, magnanimisque eius consiliis et exspectationi respondeat eventus. Namque hac aetate, ni fallor, plerique omnes aut ad utilitates et commoda vitae intenti unice reperiuntur, quae duce scientia ipsa tantis nuperrime aucta inventis sunt, quanta qui futura aliquando praedixisset superioribus saeculis, visus esset insanire; aut ad publicarum condicionem rerum examinandam non sine cupiditate partiumque studio convertuntur, ad quam metam ipsa poesis fertur impetu haud mediocri; aut de iis rebus, quae ad religionem pertinere videntur, agitare controversias incipiunt atque adeo motus quosdam cum hac re coniunctos ciere vel alere, sacraque publicis miscere: ex quibus animorum inclinationibus ut providens numen elicere magna emolumenta potest, ita quantum inde artibus liberalibus vel immineat discriminis vel profect rum sit incrementi, mihi, qui augur non sim, haud placet divinare. Sed multa sine dubio atque eximia, quibus bonae artes adiuventur, in quolibet civitatis statu ex principis pendent voluntate: ut ingenia, quae nata fuerint, producat in lucem; ut tradita a maioribus eruditionis instrumenta et subsidia conservet, augeat, populo scholis omnis generis instituendis facultatem det discendi, sumptusque ministret non modo maxime necessarios sed sufficientes et largos; ut litteras sese magni habere patefaciat, et litteratos non minoribus afficiat honoribus quam eos, qui muneribus publicis funguntur; ut salubribus liberali-

busque legibus et institutis ordinet ac temperet quum universam rem litterariam, tum ludos litterarios tam inferiores quam superiores et collegia doctrinis vel tradendis vel colendis destinata. Haec ut effecta dentur, multa cura, opera, diligentia adhibenda est. Quidquid vero ad haec facto opus erat, providit atque administravit Pater patriae beatissimus: a quo acceptam bene de litteris merendi provinciam Fridericus Guilelmus Quartus tutatur ita, ut pro eximia sua bonitate prioribus nova identidem addat decora. Longum est haec persequi; neque id necessarium videtur, quum praesertim his de rebus dicere non nunc primum instituerim. Igitur pergo ad id, cui me potissimum explicando esse immoraturum professus paullo ante sum. Fridericum Magnum nemo est qui nesciat Germanorum litteras, quales ipsi sua aetate esse visae sunt, tantum non plane contempsisse, vel certe modicam admodum de iis concepisse opinionem; et ille commentariolo peculiari, quod de litteratura Germanica inscripsit, non solum causas aperire conatus est, quibus Germani, quamquam optima indole praediti, essent impediti, quo minus reliquas gentes eruditiores litterarum artiumque elegantium cultu aequarent, verum etiam exquisivit remedia et dedit consilia, quibus efficeretur, ut patria nostra lingua et litterae et doctrinae quaelibet emendarentur et horrida effricaretur robigo animorum. Non ego is sum, qui mihi videar tanto viro prudentius de rebus maximis iudicare posse; tamen ut fatear, quod sentio, quemadmodum ille ait quandoque bonum dormitare Homerum, ita non multos mihi videor esse adversarios habiturus, ubi libellum istum, quem a Friderico arbitror ex tempore fusum, non cum cura atque diligentia compositum esse, inter leviora regis philosophi opuscula rettulero, neque ordine rerum nec gravitate sententiarum admodum conspicuum. Quod ubi dico, neutiquam nego egregie dicta huic quoque commentationi inesse atque adeo fatidica verba; nec mihi pretium foret ex ea quidquam referre, si parum videretur digna esse, quam cognosceremus. Atque ut primum paucis exponam, quibus rebus Germanorum in elegantiore eruditione profectus retardati et quasi vinculis cohibiti esse Friderico Magno visi sint; dum Italia bonis artibus expolita est, Germaniam dicit a theologis agitatam esse et in duas factiones distractam, insignes fanatico instinctu et odio atque invidia alteram alterius incensas: mox quum in Gallia repetita essent consilia a Francisco Primo olim capta studiorum humanitatis instaurandi, ac

Ludovico Quarto decimo rege esset effectum, ut Parisii iam non cederent Romae Florentiaeque a Mediceis artium et doctrinarum illustratae luminibus, Germaniam afflictam confectamque esse belli tricennalis strage funestissima, viginti exercitibus, nunc victoribus nunc victis, alio post alium depopulationem, solitudinem, vastitatem tantam inferentibus, ut agros vicosque relinquerent aratores, oppida habitatores, deserta, inculta, squalida iacerent omnia: nec pace Guestphalica composita recreatam continuo Germaniam esse, sed tum a Turcis ingenti omnia terrore complentibus defendendam fuisse, tum ab armis Gallorum, qui Germanicas intraverant provincias, ut fines suos proferrent; dum obsidetur Vindobona caput imperii, dum ferro et igni delentur pagi, oppida, arces Palatinatus cum ipsis principum sepulcris, non potuisse ibi carminibus ludi. Fortunae igitur casus et continua bella, quae patriae opes virosque exhaurirent, non penuriam ingeniorum, obstitisse tum Germanis, ne idem quod aliae nationes consequerentur; ista damna prius reparanda fuisse agris colendis, aedificiis restituendis, sobole propaganda, opificum industria alenda commerciisque augendis: quibus rebus postea crevisse opulentiam non sine luxu; simul revocatum esse amorem litterarum. Superesse tamen, ut Horatiano vocabulo utar, vestigia ruris: quae ut exstinguantur atque ut omnis generis litterae emendentur et perficiantur, multa praecipit singillatim et ad gymnasiorum disciplinam regendam pertinentia et ad scholas universitatum: ex qua disputatione nonnulla delibabo, nec tamen ordine rerum nec divisionibus, quibus ipse usus est, plane servatis. Nam quod Germanorum stilus nec perspicuus neque exactus sit, bonorum studiorum tribuit neglectioni: hanc vero inde natam esse, quod quum Germanorum docti in minutiis et morosa putidaque eruditione haerere viderentur, multi, quo istius notae maculam eluerent, Graecas Latinasque litteras missas fecerint, ex quarum fontibus abundantissimis hausissent, ad quarum praeclara exempla formati essent Itali, Francogalli, Britanni. Thucydidem tractandum esse et Xenophontem, ut robur et gratia concilietur verbis; reddendam esse vehementiam Demosthenis; Sallustium, Iulium Caesarem, Tacitum, M. Antoninum legendos, ut brevis, sententiosa, gravis oratio effingatur; addit poeticen Aristotelis et Horatii epistolam ad Pisones atque unum et alterum librum Gallicum. Veterum ac recentiorum auctores classicos Germanice vertendos esse, ut et lingua nostra

procudatur, et latius spargatur rerum optimarum cognitio: vernacula lingua uti doctos oportere; quod quum apud Italos, Gallos, Anglos fecissent principes scriptores eorumque successores, horum libros a popularibus devoratos esse ac per universam gentem propagata studia. At nobis ex controversiis litibusque de religione susceptis redundasse copiam hominum contentiosorum, qui de rebus, quae intelligi nequeant, abstruse dissererent, argumenta eadem defenderent atque impugnarent, fallaciisque sophistarum miscerent convicia. Primos nostros doctos ait, ut apud omnes gentes, fuisse homines, qui aliis rebus super alias coacervatis implerent memoriam suam, umbraticos iudicio destitutos, Lipsios, Freinshemios, Gronovios, Graevios: quorum quidem nomina Germaniae vix propria Gallus aliquis, ut arbitror, ex cohorte amicorum suppeditarat patrono augustissimo hunc libellum scripturo: hos tardigrados instauratores locutionum aliquot obscurarum, quae in veteribus libris manuscriptis reperiantur, operam navasse utilem quidem aliquatenus, nec tamen omnem debuisse industriam et diligentiam consumi in istis rebus minimis ac proinde exigui momenti: sed nihilo minus, id quod dolendum maxime sit, universae illos Europae plausum tulisse, quippe qui scriberent Latine, ut iactarent Latinitatem suam atque etiam peregrinorum eiusdem farinae doctorum admirationem reportarent. Mitto quo iure vir maximus taxaverit hos doctos, quos sine dubio parum noverat: sed gratiam illi habemus, quod antiquarum litterarum dignitatem vindicavit: nisi forte haec potius accusatio quam vindicatio est, quod eas defenderit Fridericus Magnus. Verum eas obtrectent licet et illi, qui Friderico Magno obtrectant, et illi, qui hunc laudant, atque eas pellere conantur; expulsae usque redibunt, sicuti redierunt ea aetate, qua renatae litterae sunt, et immortales atque aeternae superabunt obscurorum memoriam adversariorum. Nunc ad ea convertor, quae de singulis disciplinis proponit rex litteratissimus, partim reprehendens solitam illarum tradendarum rationem, partim eam describens viam, quae ipsi esse optima videatur: omittit tamen mathematica, quod haec sola non differantur sectis, quod nihil addi eorum evidentiae possit, unaque omnibus in terris haec docendi forma obtineat; omittit verecundo silentio theologiam ob certas causas, quas referre nihil attinet. In ceteris vero disciplinis quod tantum una docendi discendique ratio possit recta esse atque haec sequenda sit,

certam vult unicuique professori normam praescribi: quapropter orationem dirigit ad singularum deinceps doctrinarum magistros, nominatim ad philosophiae, ad medicinae, ad iuris, ad historiae professores. Exempli causa ex iis, quae de philosophia tradenda disputat, refero aliquot sententias. Non exspectat a philosopho, ut ad formandam et perpoliendam linguam quidquam conferat: hoc esse poetae et oratoris; philosophi provinciam esse errorum refutationem, veri explorationem atque inventionem. Hunc non, ut vulgo fit, certae alicui placitorum compagi, quod systema vocant, debere totum addictum et emancipatum esse; ex talis enim philosophi institutione profecturos discipulos praeceptis opinionibus usquequaque repletos et qui tantum exiguam partem placitorum ab hominibus excogitatorum neque omnes errores et absurda commenta cognorint: incipiendum esse philosophiam trahituro ab exacta huius disciplinae definitione, dein varia systemata inde a remotissima aetate ex ordine temporum explicanda et diiudicanda vel refutanda. Addit exempla ex Stoicorum et Epicureorum sententiis petita; veluti, si Stoici dicunt animam humanam esse divinae particulam aurae, professoris esse ut doceat, hoc enuntiato contineri contradictionem, propterea quod, homo si esset particula Dei, necesse foret homo infinita praeditus scientia esset, et quod, si Deus inhabitaret homines, eventurum esset, ut Deus Britannicus dimicaret cum Deo Francogallico Deove Hispanico, et quod ex illo placito consectarium foret, scelera hominum quaelibet patrari a Deo. Iam posteaquam de aliis quibusdam veteribus philosophis dixit, postulat ut magister philosophiae Galilaei placita distincte exponat, et in his explicandis ne omittat cleri Romani stuporem castigare, nolentis terram moveri et in antipodes rebellantis; dicendum esse de Copernico, Tychone, quos sero nominat, de Cartesio, Neutono, Leibnitio: huius affert monades et harmoniam praestabilitam: hanc esse fabulam ab ingeniosissimo homine excogitatam; id quod a professore demonstrandum sit. Spinozam, inquit, nullo negotio refutabit professor eodem quo Stoicos modo; sin idem ille summum numen negare videbitur, nihil facilius magistro erit quam illum conterere in cinerem, praesertim ubi professor noster finem cuiusque rei, ad quem destinata sit, demonstret: universam enim naturam rerum, a minima re usque ad hominem, dicere testimonium de divinitate. Vt mittam alia, rofessorem, qui sensu communi praeditus sit, dicit non oblitu-

rum esse sapientis Lockii, unius illius inter metaphysicos, qui sanam amplexus rationem, reiecerit somnia imaginationum, qui experientiam secutus sit, quousque ea ducere possit, ac prudenter substiterit, ubi hac destitui coeperit duce itineris. Denique ubi de moribus agatur, professorem aliquot verba dicturum de Socrate, debitam laudem impertiturum M. Antonino, uberiusque exspatiaturum in proponendo Ciceronis de officiis opere, optimo omnium, quotquot de moribus scripta sint et scribi possint. Haec fere summa brevissima est regularum, ad quas dirigi philosophorum scholas vult tantus ille vir: quodnisi hora urgeret, ac ni vererer, ne, dum ipse non defetigor, vestram fatigarem patientiam, et haec rettulissem enucleatius, et addidissem ea, quae similem in modum reliquis praecipit magistris. Profecto qui ea omnia consideraverit, his quoque in rebus magni principis admirabitur ingenium, varia multiplicique eruditione instructum atque ornatum; admirabitur, quod rex inter maximas gravissimasque occupationes non modo litteras ipse tractaverit, sed partem otii posuerit in via et ratione examinanda, qua docendae litterae essent. Attamen mixta in illa disputatione eximia iudicia levioribus deprehendas: et effecit reverentia summo viro debita, ut omitterem quaedam ultro, quae illi satis superque exprobrata ab reprehensoribus sunt. Nimirum fieri non potuit, quin homo omnibus animi dotibus quamvis praeditus, quando sese nolebat in generalibus continere notionibus, sed ad singulas disciplinarum prope omnium partes descendebat, quibus non potuit nisi leviorem operam navare, minus saperet quam ii, qui in singulis his partibus habitant toti. Atque hoc arbitror pro sua sapientia tacite concessisse Fridericum Magnum. Namque etsi non dubitavit sententiam suam privatus dicere de rebus, de quibus vel homines nulla neque ingenii vi nec copia doctrinae antecellentes iudicare et olim soliti sunt et quum maxime solent, tamen, ut imprimis regium est sibi diffidere in multis et audire eos, qui in quaque arte praestent, ea, quae ipsi videbantur de tradendis litteris, nequaquam exsecutus est. Ipse quidem, ubi suadet, ut in Germanicarum vocum formatione aliquid mutetur, quo magis fiant suaves ac sonorae, facete dicit, si Imperator et octo Electores in comitiis Imperii sollemnibus de ea re leges ferrent, animosos Teutonicae barbariei sectatores risu excepturos haec decreta esse et obstrepituros illud: „Caesar non est super grammaticos.“ Atqui si Caesar non est

supra grammaticos, viderit quo iure Caesar sit supra philosophos vel supra rhetores vel supra auctores historiae. Imperator Quintilianum professorem eloquentiae constituit; praecepta eloquentiae constituit non Imperator, sed Quintilianus. Quantulum vero est, quod proficere litteras in iis regnis videmus, ubi certa quaedam placita certa quadam ratione docenda a magistris sunt, et secundum compendia quaedam publice probata erudiendi discipuli, atque ipsi adeo manuscripti docentium commentarii explorationi censorum subiiciuntur? Quid, ut exemplo luculentissimo utar, praestaturus Kantius erat, si ad Friderici Secundi, domini sui quamvis magni, praecepta ista docere philosophiam coactus esset? Vnde mihi colligere recte videor, principum de singulis litterarum partibus iudicia, praesertim quantum ea ad viam et rationem disciplinarum tradendarum pertinent, non multum conferre posse ad doctrinarum perfectionem adducendam. Non nego civitatem, quae sinu suo foveat alatque scientiam, debere leges condere, quibus regatur publica iuventutis institutio; sed hae leges qualescunque sunt: de his enim meum non est decernere: dum cautio erit, ne summa res perniciosis corrumpatur placitis, nihilo magis suum de singulis disciplinis iudicium bonarum artium magistris sapiens obtrudet princeps. Sed si princeps diligit litteras, si ita diligit, ut nulli earum parti non faveat, ut omnibus aeque benignus sit, omnes ad communem generis humani prosperitatem suapte natura tendere persuasum habeat, quid potest hoc principis iudicio cursum litterarum magis secundare? Fuit vero atque est haec rei publicae Borussicae felicitas haud exigua, quod eius principes prope omnes hanc de litteris sententiam conceperunt: Fridericus Guilelmus Quartus autem, Dominus noster clementissimus, et antequam summae rerum potiretur, et deinceps postquam imperium adeptus est, studium bonarum artium ardentissimum documentis testatus est tam manifestis, ut statim ab initio nemo dubitaret, quin ab hoc rege, quantum penes principem est, novum planeque aureum litterarum esset saeculum processurum. Quid igitur censetis, auditores? hunccine regem magis quam Fridericum Magnum velle universitatum doctoribus iniquas leges imponere, et quid et quomodo docendum sit, ex arbitrio imperare? Immo vero id ipsum, quod a me nunc expositum est, persuasum habere sapientissimum Regem, vir illustrissimus, cui ille institutionis publicae curam commisit, planissime et certissime declaravit, quum

oratione apud Bonnenses nuperrime habita exponeret, nolle Regem ad novum et meliorem, quem adducturus sit, statum adducendum suo iussu et imperio uti, neque eum de hac re mittere mandata ad ministros suos nec decreta facere, sed cupere tantum atque exoptare, ut multa ingenia et vires excitentur, quae agant sua sponte. Hoc nimirum est principis, qui litteras magni faciat, litteras diligat. Sed vetus est verbum, non diligi a quoquam posse nisi quae norit; quae quis ignoret, solere ei invisa esse. Itaque qui bonarum rudes artium sunt, ii his solent infesti esse, et quo quisque princeps ipse cultior, eo diligentius providet litteris. Hoc igitur patriae nostrae Deus beneficium largitus est, ut Fridericum Guilelmum Quartum tantis ornaret ingenii dotibus, ut alta mente comprehenderet optimarum orbem artium. Nec tamen quod modo dixi, ita dictum velim, ut scientiam diligat tantum is, qui eam norit perfecte; sed quemadmodum Plato censet neminem deorum philosophari nec cupere sapientem fieri, propterea quod iam sit sapiens, neque omnino quemquam sapientem philosophari; ac rursum qui scientia plane destituti sint, minime cupere sapientes fieri, quod hoc pessimum habeat ignorantia, ut qui non sit bonus atque intelligens, videatur sibi virtute et scientia sufficienter esse instructus: ita litteras diligere eum censemus, non qui sese refertum omni sapientia esse arbitretur, sed qui veluti ille Amor Platonicus medius inter scientiam atque inscitiam sit et esse sibi videatur, ideoque philosophetur, hoc est studeat sapientiae. Idem vero intelligit, sicuti nemo unus unquam perfecte sapiens est, et quo quisque est sapientior, eo acrius perspicit quantum sit quod nesciat, ita genus humanum nulla aetate ad id scientiae fastigium pervenisse, ut iam consisti posset nec quidquam addendum inventis esset, sed acquiescendum in tradendis iis, quae sancita prius sint. Sane praeteritis continentur futura, ut arbor continetur nucleo: sed semina mandantur terrae matri, ut ex iis herbescens eliciatur viriditas, non condiuntur instar mortuorum. Fridericum autem Magnum haud aliter ac nos iudicasse satis constat: qui ea via, quae ab ipso descripta est, non praescripta, putabat effici id ipsum posse, ut novus Germanorum litteris nasceretur ordo saeculorum. Et natus est sua sponte. Praeviderat animo rex maximus appropinquare optima patriarum litterarum tempora, quibus eruditioni nostrae per Europam prope universam constaturus honos esset, atque ut ipsius verbis utar,

veluti Moses terram promissam prospiciebat e longinquo, non tamen intraturus: nisi quod aliquatenus iamiam intraverat insciens. Horum temporum bonam fortunam adiuvit Friderici Guilelmi Tertii diligentia et benignitas, quae nunquam excidet ex memoria hominum; haec fortuna, precamur summum numen, ut ne deficiat patriam. Dedit nobis divina providentia Fridericum Guilelmum Quartum, Principem clementissimum, optimum, sapientissimum, qui non solum, quae tradita accepit, bona conservat, verum etiam novis consultis novaque liberalitate inexhausta quum reliquis partibus rei publicae, tum studiis optimis quibusque succurrit egregie. Pro quibus beneficiis gratiam habemus et agimus universi primum Deo Optimo Maximo, regi regum, domino dominorum, ex cuius nutu pendent omnia, dein Principi augustissimo, cuius ductu, imperio, auspicio regnum Borussicum augetur atque ornatur. Postremo votum facio sanctissimum, quod unum cunctas complectitur prosperitates nostras, uti Deus Optimus Maximus Friderico Guilelmo et coniugi Reginae augustissimae cum regia domo universa perpetuam duit salutem atque incolumitatem.

XXXI.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi IV. celebrandis d. XV. m. Octobris a. MDCCCXXXXV. habita.

Quum mihi nunquam non imprimis arduum visum sit, auditores omnium ordinum illustrissimi, ornatissimi, hoc die ex hoc loco pro hac vestra contione non meo unius nomine, sed magnae universitatis ex variis et amplissimis hominum doctissimorum corporibus compositae, verba facere de summo tantae rei publicae rectore, de quo ut optima et maxime praeclara praedicaveris, tamen ab illius magnificentia et bonitate factis comprobata longo intervallo distare dicta intelligas; tum praesentia tempora cum superioribus, quae adolescentiam meam nutriverunt, virilem aetatem corroboraverunt et exercuerunt, compa-

ranti mihi ipsius, quo nunc utimur, status sive felicitatem appellare oportet seu mixtam cum felicitate difficultatem, plurimum officere oratori videtur. Nam siquid est quo muneris huius magnitudinem minuere suo compendio orator possit, in ea id licentia positum esse arbitror, quae nulli non concedi solet, ut a summa rei paullulum digressus versetur in alio quopiam argumento non nimis levi, cui vires suas vel pares vel certe minus impares esse sentiat: hoc igitur compendium, quo sibi subvenire aliqua ex parte ingenium mediocre potuit, magnopere vereor ne nobis e manibus excussum sit. Nimirum quum deceat eum, qui collegii nomine atque ex publico mandato verba facturus sit, operam dare solliciteque curare, ut quasi redemptor locatori, opus suum quam plurimis approbet et communem ferat assensum; fuit quidem rerum condicio placida et tranquilla, in qua id adhibita aliqua diligentia consequereris: nunc animi commotiores sunt: in hoc autem motu ut non infructuoso ita incommodo, in hac distractione partium dissona et turbulenta quota quaeque res est, in qua consentiant plurimi? Quocunque te verteris, paratior et certior offensa quam gratia: crederes oratorem, etiam qui procul ab ira et studio, remotusque ab ea, quae multos transversos agit, ambitione in solis litteris habitet, potius militare quam pacis artem exercere: dum cupit ac studet si non placere omnibus, quod in nulla re expeditum est, at certe effugere offensionem, culpantur quae dixerit, quae non dixerit; et suspicax invidia abditos ultro solita odorari sensus tantum non eo adigit dicentem, ut quemadmodum Graeci poetae comici actores suos aliquando personis deformarunt diductum praeter naturam humanam os et portentosa supercilia habentibus, ne siqua eae fortuitam Macedonis cuiuspiam potentis similitudinem referrent, is ab ipsis consulto irrisus esse videretur, ita prorsus absona componat atque a vitae rationibus quibuslibet abhorrentia. Sed in tantis tamen discidiis una suppetit res maxima, spes et ancora salutis publicae, in qua consentiunt universi, amorem dico Principis optimi, cuius veneratio hodie huc vos advocavit, auditores illustrissimi, ornatissimi, ut quo sensu haec nostra bonarum artium schola affecta erga Patrem patriae esset, me interprete, utcunque ego comparatus sum, cognosceretis. Sextus hic annus agitur, auditores, ex quo patri suo beatissimo, qui populi quoque pater amantissimus fuit, successit Fridericus Guilelmus Quartus. Multa interim evene-

runt laeta, fausta, egregia, alia tristia, funesta; struique iam causae futuris vicissitudinibus videntur, quae dubites quo evasurae sint: sed per res tam tristes et adversas quam laetas ac secundas rata mansit caritas Principis. Qui vero huius caritatis fons est? Respondeo brevissime: ingenium Principis. Caritatem enim gignit benignitas: quae quoniam nec fingi potest neque arte comparari, sed bonum est natura insitum, nisi princeps natura propensus ad benevolentiam est, suorum sibi amorem conciliare nequit, quo fere solo vinculo gentes, quae regnantur, contineri firmiter possunt. Borussico igitur regno quid potuit felicius contingere, quam quod principem nactum est natura comem, mitem, benevolum, benignum, qui ipso suo ingenio amorem populi provocet? argumentum vero quodnam potest his sollemnibus accommodatius, quodnam iucundius, denique quodnam ad personam Regis dilectissimi magis comparatum esse quam benignitas principalis? Quodsi principis benevoli imagine adumbranda constat simul Friderici Guilelmi indolem adumbratam proponi; gratum facio mihi, qui et ipse Regis augustissimi favorem expertus atque illi toto animo devotus sim, gratum facere vobis pari illum pietate colentibus arbitror, ubi qualis sit principalis benignitas et quam vim habeat, tam probatissimorum in hoc genere auctorum sententias vel tacite usurpans quam meas ipsius explicans rationes describo primis lineis et quantum patiuntur temporis angustiae reliquis, quae hodie habendae sunt, collegarum magnificorum orationibus magis quam prius coartati. Est quidem, haud diffiteor, hoc quod nunc instituo genus dicendi morali disputationi quam sollemni orationi propius; sed quo magis sentio usu detritam senioque et valetudine exstinctam esse, siqua unquam in me fuit, facundiam vel facundiae speciem, diutiusque me quam famae meae atque huius potissimum sollemnitatis sanctissimae dignitati conducat, in hoc officio retineri, eo id videtur meae aptius condicioni.

Igitur ut ab eo incipiam, quid sit illud, de quo acturus sum, benignitatem dico inclinationem animi ad benefaciendum iis, qui egeant bono: quae non potest esse sine lenitate ac mansuetudine, coniunctamque habet misericordiam et clementiam, nisi quod misericordia ita afficimur, ut una cum miseris affligamur animo, dum purior et iucundior affectus benignitatis est, et quod clementia in remittendis peccatis vel poenis suppliciisque iniorum constat, benignitas autem innocentibus impertit com-

moda. Et superat benignitas iustitiam atque aequitatem: nam qui iustus et aequus est, tantum cuique tribuit quantum debet, soli legi ac rationi obsequens; qui benignus, etiam quae non debeat tribuit, vel plus quam debeat, ac licet rationem et iudicium in usum vocet, tamen aliquid indulget animo, ut suae ad benefaciendum propensioni satisfaciat; tum vero iustitia sese ad leges ab hominibus positas componit, benignitas obtemperat divino eidemque vere humano, quod Christus promulgavit, amoris praecepto. Iam etsi haec communis omnium hominum virtus est, quis tamen potest magis benignus esse quam princeps? Principe enim nemo ampliorem habet facultatem benefaciendi, non solum quod maximis omnium opibus pollet, verum etiam quod ipsa sola eius voluntas, etsi nihil inde ad te utilitatis redundarit, dono pretium et dignitatem addens ita est pro beneficio, ut ille iis rebus ostendere benignitatem possit, quae solent honorum vocabulo nominari: in quibus non quid detur refert, sed qua mente et consilio detur, et quas non argento aestimes nec ponderes trutina, sed metiaris animo. Et tanta illi est copia hominum, quibus benefacere possit, quanta nemini: ut taceam exteros, taceam afflictos, universus cui imperat populus singulique omnes, summi, medii, infimi civium, sese et sua omnia ipsius fidei et voluntati commiserunt, possuntque eius favorem non postulare sed experiri: privatus uni et alteri egentium succurrit; ex principis nutu urbium et populorum fortuna pendet, principis aut gratia et serenitas universos exhilarat, aut irae universos metu tristitiaque percellunt. Rursum quem magis deceat benignitas quam principem? Nam si rex, quod quibusdam placet, divina auctoritate regnat, atque in regno ipso divinum quiddam inest, id quod probo eatenus, ut bonum principem tanto ad divinitatem propius accedere arbitrer, quanto malus infra humanitatem depressus est; erit rex simulacrum aliquod et vicarius inter mortales numinis divini, et exemplo suo respondere non magis potentia debebit quam bonitate, quae in Deo tanta habetur, ut ille nobis mera gratia optima quaeque largiatur nihil meritis: sive commissam ab hominibus potestatem exercet princeps, haec illi commissa est, ut iis, qui parent, bene sit. Accedit quod regi saltem Christiano nihil carius esse potest quam felicitas populi; et quum in principe non mediocritas privati sed summa requiratur et absoluta virtus, aegre in illo desideres caritatem, ex qua manat benignitas, hoc est eam

virtutem, quae Christianis iure videtur potissima. Contrarium quidem benignitati vitium minime convenit summo rei publicae rectori, sed come et lene et mite ingenium humanaeque sibi naturae conscium, ne altissimo loco collocatus nimium insurgat; acre vero et concitatum bellis administrandis quam rei publicae regendae aptius, cupidum autem et iracundum et atrox nec domi nec foris rebus gerendis idoneum.

Nunc ut rem in clariore luce ponam, liceat paucis exponere, quae beneficia rex benignus conferat, et quibus, et quomodo. Ad primam quaestionem respondeo verbo veteri: Omnia debet patria bono principi. Itaque quot genera bonorum sunt, tot partes sunt benignitatis regiae: sunt vero alia bona animi et interna, alia fortunae et externa. Haec igitur externa licet partim natura donet, partim parent ingenium, labor, industria, tamen quantum in his rebus pendeat ex imperantium vel bonitate et sapientia vel duritie atque imprudentia, vix ullum regnum declarat luculentius quam hoc Borussicum, in tanta multorum fundorum sterilitate atque inter insolitas calamitates Friderici Guilelmi curis impensis atque indefessis florentissimum, dum aliae civitates solo fertilissimo caelique temperie saluberrima beatae languescunt per pravitatem legum et institutorum. Boni enim principis benignitas prudentibus recta consiliis quaestui omnis generis honesto vias aperit, agricolas, opifices, commercia liberat vinculis molestissimis legibusque iniquis, quibus ita constringi possunt, vix ut moveri artus queant: in vectigalium ratione, modo, exactione bonus princeps cavet, ne opes civium minuantur neve opprimantur tenuiores; non fisci lucrum quaerit, sed rei publicae necessitatibus providet: denique novit tantum habere principem quantum cives universos, et quotiens res postulaverit plus collaturos esse volentes quam extorqueri possit invitis. Et quoniam largitio in tempore honesta, necessaria, aliquando etiam ipsi civitati utilis est, damna resarcit vel fortuita vel divinitus immissa, inopiaeque et miseriae hominum sua munificentia medetur propitius. Iam vero etsi non possumus sine externorum possessione bonorum vitam bene sustentare, tantum me iudice abest, ut prava ista, quae hac aetate permultos invasit et variis de causis magnopere commendatur, opinio probanda sit, ex qua vel primus huic generi bonorum locus tribuitur, vel ea omissis reliquis prope omnibus unice spectanda sunt, nec quidquam praeter externorum

bonorum curam a principe exspectandum et exoptandum, et qui hac re satisfecerit, principalibus satisfecisse officiis videtur; ut arbitrer, si hic error mentes hominum plane occuparit atque imis medullis haeserit, civitates pessima turpissimaque ignavia corrumpi genusque humanum esse pessum iturum. Nimirum qui solo illorum fructu bonorum dignitatem vitae aestimant, fieri non potest quin quotidiana victus facilitate deliniti et huius scilicet felicitatis suae illecebris capti nihil iam pro retinendis, defendendis, recuperandis summis animi bonis audeant, satisque habeant, si ipsis liceat securis ac tutis etiam cum contumelia imperata et facere et sentire, ac servitutem servire indignissimam. Quapropter bonus princeps animi potissimum bona, quantum penes ipsum est, praestare civibus conatur: quo pertinet, ut numinis imbuantur reverentia et pietate, non ut superstitione inficiantur et obligentur, quae nutriat discordias et distrahat eos, quos coniungere caritas debebat; ut boni mores propagentur; postremo ut, qui fons est verae pietatis vitaeque honestae, excolatur ratio et intellectus, non tantum ambitiose iactetur. Huc quum artium liberalium et philosophiae et historiae et rerum naturae cognitio atque universus omnis generis disciplinarum orbis amplissimus referatur, quid scientiae ac litterarum patrocinio suscipiendo efficere benigni reges possent, Borussicum imperium, ut priores taceam, inde a Friderico Magno usque ad Fridericum Guilelmum Quartum, liberalissimum bonarum artium cultorem vindicemque, egregie commonstravit: horum enim favore ita in his terris confirmatae litterae sunt, ut nulli nationi cedamus eruditione, plurimas etiam superemus; simul his studiis propulsata aliquatenus superstitio est. Quod quum superiore anno in sollemnibus Regi dilectissimo alio loco actis monuissem magna ex parte naturali scientiae deberi, et exempli causa dixissem iam neminem solis ac lunae defectionibus terreri, quibus olim perculsae imperitae mentes essent; vir ingenio, virtute, auctoritate spectatissimus, qui Lipsiae eandem quam ego in hac urbe artem profitetur, nescio an illis verbis provocatus concessit quidem solis defectionibus, quas oculis cernimus, hodie neminem terreri, sed alias dixit easque perniciosissimas conduplicari tenebras et occaecare noctis ac nimbum nigrorem, qui eo tantum a deficiente sole differat, quod solis orbem quando relictura sit umbra sciamus, ex istis autem tenebris nec quando neque an lux ac non potius crassa caligo sit emersura, sit cui-

quam cognitum. At istae mihi tenebrae tamen minus habere discriminis videntur, quod non tam ut olim nativae sunt, quae ex saeculi indole proveniant, quam fumi in singularibus quibusdam notissimisque culinis arte facti, quos ventorum dissipant flatus. Non istis obumbrabitur hoc regnum, non Regis sapientissimi serenitas, qui pius ac religiosus, non fanaticus, ex sanctissimo rei publicae Borussicae instituto suum cuique de rebus, quas non scimus, sed credimus, permittet sensum et iudicium. Denique pretiosissimum animi bonum libertas est rationi coniunctissima, hominis inter cetera animalia praerogativa. Itaque benignus princeps, ut homo hominibus, liber liberis imperat; Christianus vero potissimum princeps novit servitium et corporis et animi Christi praeceptis abolitum esse, licet id immodica dominandi libido vel retinuerit vel reduxerit; et quod Fridericus Guilelmus Quartus in ipsis imperii initiis egregie edixit velle sese Christianum regem esse, id universa rei publicae administratio testatur ita dictum esse, ut vellet caritate regere liberos ac ratione ad obedientiam aequis legibus praestandam traducere, non vi coercere servos. Quid quod hac via plane regia ipsi imperii dignitati praeclare consulitur? Hoc est enim tanto praestantius, quanto praestantiores sunt qui parent: igitur qui civibus utitur tamquam mancipiis, deterius reddit imperium, quo deteriores servi liberis sunt, quamvis plus ei iuris in mancipia quam in liberos sit, recteque pridem dictum est servorum dominum non multo esse supra pecudum possessorem. Iusta quidem libertas, quae non nescia sit obediendi legibus, magistratibus, principi, cito auget vires, opes, famam imperii, ac rursum una cum illa intereunt reliqua bona; sed licentia comprimenda est, verissimeque hactenus Galba praecepit Pisoni: „Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem.“ Et haec quidem mihi genera beneficiorum potissima esse videntur; ea vero si quaerimus quibus det bonus princeps, expedita responsio est: dignis et indigentibus. Virtuti enim debet praemium persolvi, etiam si minus gratus sit, qui virtute excellat; ignoscit principis benignitas etiam liberioribus, quos bene animatos videat, neque apud eum illud valet: „Obsequium amicos, veritas odium parit“; assentatores autem, qui in perniciem principum ac civitatium nati sunt, procul habet. Tum sicuti ius legesque, licet pauperi et diviti, nobili ac plebeio debeant aequae esse et cavere neutris ut iniu-

ria fiat, tamen videntur ita instituendae esse, ut iis potissimum, qui ob humilitatem superbiae magis expositi et obnoxii sunt, praestetur securitas, vel eam ob causam, quod damna et mala tenuioribus et obscuris data sine vindice latent facilius, sin cui illustriori facta iniuria sit, totus reclamat orbis: ita benignitas principalis non bona universorum eo convertit, ut opulentos atque optimates et qui affatim praesidii in suis et propinquorum atque amicorum copiis habent, etiam ditiores reddat largiusque et lautius saginet; sed succurrit pagano sterilitate agrorum, exundatione fluminum afflicto, oppidis incendio vastatis, orbis, viduis, invalidis, quibus angustior res familiaris sit, providet pueris puellisque alimentariis, et quae sunt alia huiusmodi: in quo genere non est quod exponam qualis sit Rex noster clementissimus cum Regina dilectissima, qui quidem non satis habentes praefectorum de statu provinciarum et condicione hominum nuntios accepisse, relictis palatiorum splendore ac deliciis casas squalidas et tuguria obsoleta ipsi invisunt, ut cognoscant miseriam mortalium auxiliumque miseris ferant. Et in hac potissimum re videte, auditores, quanto praestabilius commendatiusque regnum sit dominatione plebis vel paucorum. Nam ubi turbida multitudo civitati praeest: quamquam ea hac aetate certe in Europa nulli fere praeest: divitum bona diripiuntur et dividuntur, quibus avida alatur plebes; optimatium vero imperio nihil plebi infensius: hi sibi solis consulunt dispendio minorum; hi leges ferunt sibi utiles, ceteris calamitosas; his nulla inferiorum cura, nulla misericordia, sed ex illorum fere incommodo sua commoda comparant; quemadmodum Aristoteles tradit in quibusdam civitatibus paucorum arbitrio gubernatis ipsos magistratus imperium capessituros tali esse formula sollemniter obstrictos: „Plebi infestus ero, et quantum potero dabo operam, ut eius misera condicio sit.“ Sed rex sapiens ac benignus tantum utrisque tribuit quantum decet: locupletibus firmam certamque bonorum possessionem praestat; plebem fovet et recreat quantum fieri potest; conciliare pacem et concordiam inter diversas rei publicae partes, genera vitae, civium ordines novit studetque. Neque vero ille ea tantum beneficentiae parte, quae in externis bonis posita est, inferiores incolarum classes impertit, sed quoniam, quo amplior divitibus facultas est liberos omni genere eruditionis et elegantioris doctrinae instruendi, eo neglectior solet rusticae et in frequentibus potissimum urbibus

operariae multitudinis educatio atque institutio esse, curabit, ut haec quoque eius disciplinae particeps fiat, sine qua hominum vita ne humana quidem esse videatur, neve litteris et artibus laetissime florentibus, ut floruerunt in Aegypto regnantibus Macedonicae stirpis regibus et in Italia Mediceis aliisque principibus munificentissimis, nihilo minus vulgus, quod iisdem temporibus factum videmus, misere ac serviliter derelinquatur incultum. Tantum de sublevandis indigentibus. Quid dicam de noxiis? quibus etsi benignus princeps clementiam in promptu habebit poenarumque ac suppliciorum moderabitur atrocitati, tamen nemo negabit exercendas leges esse, ac debere sontibus, et his quidem solis, formidabile caput rei publicae esse, nec prava indulgentia, quae longe differt a benignitate, corrumpi iura, iudicia, mores civitatis. Denique ne ex iis, quas supra proposui, quaestionibus tertiam plane omittam, ita constat principem benignum et sapientem tribuere beneficia, primum ut adhibito iudicio benignitatem suam contineat, nec beneficia magis proiiciat quam det, nec gratiam corrumpat profusione gratiae, praemiorum diminuens pretium; praeterea ut, quae ipse intellexerit salutaria civibus fore, ea certe si gentibus paullo cultioribus imperet, ne obtrudat nolentibus, sed potius studeat populares ad meliorem, qua ipse polleat, boni malique aestimationem traducere formandis eorum animis pravisque opinionibus exstirpandis. Quo quum delatus sim, facere non possum quin Fichtii sententiam quandam commemorem, quae universae huic, quam de principali benignitate instituimus, disputationi adversa fronte videatur opposita esse nostraque funditus evertere. Etenim vir magnus, sapientiae et virtutis et libertatis exemplum, huius universitatis olim decus in paucis insigne, quem maiores natu vidimus ex hoc ipso suggestu fulmina eloquentiae torquentem, in luculenta quadam commentatione hortatur omnes, qui tantae rei pares sint, „ut bellum internecivum indicant primo isti errori, omnium malorum nostrorum ac miseriae fonti venenato, principis esse felicitati nostrae providere, atque ut eum errorem per omnes latebras, per universum scientiae nostrae orbem persequantur, ubiubi delituerit, donec deletus fuerit ex orbe terrarum et in Tartarum reversus, unde emerserit.“ „Nescimus“, inquit, „quibus rebus felicitas nostra adiuvetur; sin id princeps scit principisque est ad eam nos adducere, hunc clausis oculis sequamur oportet, facitque nobis ille quidquid libet, quaerentibusque data

fide respondet, hoc ad felicitatem nostram necessarium esse; laqueo illigat collum generis humani, atque acclamat: Sile, sile; haec omnia tui commodi causa fiunt. Non tu, princeps, Deus noster es: a Deo exspectamus felicitatem, a te custodiam iurium nostrorum; nolumus te nobis benignum esse, volumus iustum esse." Haec ille, ut erat natura acer, paullo durius, praefractius, contumacius: nobis hodie dicentibus licebit retundere hos aculeos, quos priorum temporum iniuria exacuerat. Nimirum dempta acrimonia molliorem ex immortalis collegae verbis elicimus hanc sententiam: a bono principe, qualem nos describimus, non obtorto collo populum ad felicitatem rapi nec vi beatum reddi, sed ratione magistra Suadelaque dea dulciloqua adiutrice ita fingi, ut recte iudicare de felicitate sua discat.

Haec postquam exposui paullo uberius, licet, auditores, quae vis regiae huius benignitatis sit, summatim complecti. Primum enim etiamsi nulla inde ad principem redundet utilitas atque illi ne gratia quidem referatur, ipse benignitatis sensus beatum ipsum reddit, quod summa voluptas est benefaciendi, recteque factorum dulcissimus fructus est fecisse: qui sanguine multo orbem terrarum perdomuerit, magnus a plerisque habebitur, nec tamen facinoribus suis oblectare animum potest; qui innocentibus virtutibus meruerit de re publica, is demum fama sui fruetur suavissime: ac si aequalium iudicia ira et studio, calumnia et adulatione corrumpuntur, futurorum memoria saeculorum, quae sola est certissima veri testis et arbitra, neque aboleri ullis interdictis nec forficula nec tudicula neque igni potest, aequa lance pensitat voluntates, consilia, res gestas. „Non moritur", inquit poeta, „Croesi benevola virtus; sed Phalarin, aereo tauro ustorem immisericordem, infesta ubique consectatur fama." Tum qui benefaciendo monstret se amare, redamatur: mutua vero regis et civium caritas fons est felicitatis publicae limpidissimus atque unum imperii inexpugnabile munimentum. Hinc ut iucundius et principi et civibus, ita quietius, stabilius, diuturnius benigni principis imperium est: nam remissius imperanti, ut ait Seneca, melius paretur, quod natura contumax est humanus animus et in contrarium atque arduum nitens, sequiturque facilius quam ducitur: ita fit, ut minore opera potestatem exerceat et potentiam retineat, qui approbare iussa civibus norit, quam qui vi perficere omnia constituerit. Denique quum sagacissimo prudentiae civilis auctore Aristotele duae potissimum res sint, qui-

bus subvertantur regna, odium et contemptus; contemptus quidem sequitur ignaviam, levitatem, temeritatem, imperitiam, imprudentiam, ne vero, qui potestatem habent, contemnantur, efficiunt sapientia et strenuitas, quae conciliant auctoritatem: odium autem contrahitur iniquitate, iniuriis, superbia, crudelitate, et quae sunt hoc genus reliqua, ac rursum ne exosus sit vel dominus vel princeps, facit benignitas; proinde dimidiam partem imperii recte retinendi videas in benignitate positam esse, quam nisi a principe experiatur populus, verendum est ne inter se disiungantur. Quippe rex his maxime artibus longe distat a tyranno, quod ille, qualem instituerunt Isocrates, Seneca, Erasmus Roterodamus, Fridericus Magnus, utpote consensu universorum rem publicam gubernans, liberos regit caritate, beneficentia, fide, veritate, sinceritate; tyrannus, qualem instruxit Machiavellus, in promptu habens istud „Oderint dum metuant", hoc pessimo custode metu ac vi delatorumque et corycaeorum laqueis continet servos, ducitque fraudibus, mendacio, simulatione ac dissimulatione: regem et populum copulant mutua fiducia et communis utilitas; tyrannus timet ac timetur, metuique cupit et timet metui, neque ex eo, quod subiectis expediat, sed ex privata sua potentia metitur commoda. Numquis igitur reprehendet, si benignitate potissimum, sicuti supra significavi, Christiani regis dixero munus expleri? Quin Erasmus in libro bonae frugis plenissimo, quem de institutione principis Christiani scripsit ad Carolum Maximiliani nepotem, qui paullo post Imperator creatus est, haud veritus est eo progredi, ut spreto more in principum titulis prudenter ac decore ut mea opinio fert recepto dominium, imperium, regnum, maiestatem, potentiam ethnicorum esse vocabula affirmaret, Christianumque imperium profiteretur nihil aliud esse quam administrationem, quam custodiam, quam beneficentiam.

Sed video mihi ad finem properandum esse, ne tempus praecidam summis universitatis magistratibus, qui post me verba facturi sunt. Neque occupanda materia videtur, quam in peroratione semel atque iterum olim tractavi, ut vos, commilitones ornatissimi, admoneam de rebus vestris, et quid Regi carissimo debeatis, quae vos praestare, quae omittere par sit, quo Patris patriae respondeatis consiliis sapientissimis, data opera exponam: quam provinciam nunc quidem suo iure deposcent, quibus commissa disciplina morum est. Paucis absolvam quae,

mihi, postquam de regia benignitate disputavi, superesse videntur, et reflectam pedem eo, unde exorsus sum. Nam Fridericus Guilelmus sine dubio is est princeps, qui sibi diem perisse existimet, quo non aliquem beneficio affecerit; is princeps, qui non suam, sed eorum, quos Deus ipsi tutandos mandavit, utilitatem spectet; qui suam praesentiam sentiri benefaciendo, non terroribus velit, uniceque cupiat, ut optime sit universis; qui comi alloquio studia civium alliciat, neque audiat tantum serenissimus, sed serena fronte placidaque mente recreet, quibuscunque contigerit cum eo versari. Hic uti nunc votis cunctorum viget floretque, ita optamus, ut eius felicitas, quae ab imperii Borussici prosperitate seiungi non potest, firma et imperturbata permaneat, ut generosus eius animus nunquam rebus adversis contristetur, atque ut, quo candore, qua fide, qua caritate suorum ille commodis providet, eodem candore, fide, caritate illius virtutem, quoad summo rei publicae moderatori gratiam referre inferiores possunt, remuneretur populus universus. Deus Optimus Maximus servet Regem augustissimum cum coniuge Regina optima, rerum quarumlibet, quae Regis menti vel voluptatem afferant, vel afferre sollicitudinem possint, socia fidissima, atque illos in huius regni salutem salvos, securos, incolumes praestet perpetuo. Dixi.

XXXII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi IV. celebrandis d. XV. m. Octobris a. MDCCCXXXVI. habita.

Ad sollemnia haec sanctissima, quae Principi optimo dedicata sunt, rite concelebranda quotquot adestis, auditores omnium ordinum suo quisque loco honorandi, facile sentitis universi maius quiddam hoc conventu agi quam simplicem de unius hominis quamvis excellentis die natali gratulationem habendam. Nam quum princeps et patria ita quasi uno corpore coniuncti sint, ut neque ille salvus sit nisi salva re publica, nec patria prosperitate frui possit sine salute et incolumitate principis; licet rei publicae aeternitas manere posse inter regum vices quaslibet videatur, tamen cum nascente rege renasci et regenerari rem publicam iudico, adnasci principe nascente fata fortunamque civitati, prout illius geniturae Parcae propitiae aut iratae adstiterint, aut secundam aut sinistram futuram. Ita principis natalis dies patriae natalis est. Haec sententia, exceptis iis civitatibus, in quibus principatus non hereditario iure sed electione traditur, in reliquis omnibus valet ac valitura est, quaecunque regni forma principisque est potestas: sive hic solus cum ministris suis imperii habenas tenet, sive populus ac plebes legum ferendarum, vectigalium imponendorum, tributorum imperandorum per legatos particeps est; ac rursum sive civium animi torpore languentes et privatis ipsorum rebus unice intenti publica nihil curant, sive quidquid ad rem publicam pertinet, ad sese pertinere intelligunt, atque ad noscendas, iudicandas, quantumque licet tractandas civitatis res fervore summo feruntur. Quod ubi rex universa civitatis munia sui muneris facit, populusque rei publicae incuriosus principem sequitur ut grex pastorem, quod regimen quidam patrium et patriarchicum vocant; sive princeps populi necessitatibus providet suamque utilitatem civiumque commoda non dissociata esse sibi persuasit, sive opibus corporibusque suorum ad suas cupiditates explendas ex libidine vel ambitione utitur, quis non videt fata populi congenita fato principis esse, quae principi prospere evenerint, earum

rerum aliquam partem in ipsum populum cadere, imprudentium autem ducis consiliorum poenas dare Achivos, dominique malis etiam acerbius circumveniri et conflictari subiectos? Sin bruti istius stupidique servitii loco cives sese coeperint ad communium rerum curam, praesertim oppidani ad regendas in modum municipiorum exiguas suas res publicas applicare, atque in partem administrationis publicae venire; quantum interest, quale principis ingenium sit, utrum atrox an mite, triste an come, austerum et asperum an lene ac benignum, suspicax et optimo cuique diffidens an laetae plenum fiduciae, auctoritatis suae potentiaeque nimium tenax et quantulacunque praerogativa cives potiti sint eam in deminutionem sui accipiens, an pronum ad remittendum aliquid de potestate sua et quoad eius fieri sine damno publico potest collegiis ordinibusque civilibus concedendum! Quae ut in universum dico, ita haec Friderici Guilelmi Quarti, regis benignissimi, personae, moribus, consiliis, institutis accommodata imprimis sunt. Licet enim regnum Borussicum non ad liberrimam eam formam constitutum sit, qua, postquam victores fuimus, et victi et populi aliquot, qui socii bellorum et victoriarum fuerant, compositi sunt, tamen ista inertia et ignavia, quae superioribus aetatibus quum Germanos tantum non universos, tum has terras tenuerat, lentam vitam, quae mortis instar est, trahentes, propulsata est: et quum Fridericus Guilelmus Tertius, Pater patriae beatissimus, quamquam instaurandam intellexerat rem publicam novoque modo novisque consultis emendandam atque exornandam, tamen qua erat continentia et temperantia, maxime id studeret, ut aequabili tranquillitate aevum traduceret civitas, atque ut hanc magis instrueret viribus, quam post tot turbas, tot rerum conversiones, tot toleratos labores moveri has novas vires vellet; Friderici Guilelmi Quarti vigor laetissimus suscitavit atque ultro impulit mentes diuturna quiete prope consopitas, laxavitque frena imperii, et magnanimo consilio populum quasi ex carceribus in amplissimum emisit campum, in quo decurrere ad metam propositam posset. En fata rei publicae genio principis congrua et congenita! Hic rebus prope omnibus novam faciem speciemque et pulchriorem dedit, ut qui ante hos septem annos somno Epimenideo oppressus esset, hodie redux vix agniturus patriam fuerit; hic nobis multorum et magnorum auctor bonorum extitit: quibus si admixta mala videntur, non nova haec sunt, sed la-

tuere pridem sub cicatricibus obductis male operta. Enimvero nihil periculosius ulcere, quod occulte serpat et partes corporis praestantissimas arrodat; multumque profecit, qui intelligat quantum desit, quantum supersit. Sunt qui doleant, quod perfecta libertate dicendi ac scribendi nondum utamur; at optimi Regis beneficio concessum est, ut liceat conqueri propalam, quod ea non utamur: iam haec ipsa quaeso nonne egregia libertas est, et cui non multum desit ad plenam libertatem? Sane felices mortales, sua qui bona norint; sed nescio an principium felicitatis sit sua mala nosse, quae sanari nequeunt nisi cognita. Fuit quum haud sine fastu iactaretur sapientia nostra; sed intelligimus esse etiam alios qui sapiant. Nae isti male consulunt patriae, male patriae caritatem interpretantur, qui sicut olim Spartani, fortissimi quidem et cetera non imprudentes viri, sed exterarum rerum nimium ignari, nihil nisi suum collaudant atque ipsi sibi unice placent; rectissimeque Sophocleus Haemo praecipit, qui soli sibi sapere videantur linguamque vel mentem quam nemo alius habere, eos, si explicati fuerint, inanes vanosque reperiri. Quod quum in singulis hominibus manifestum sit, tum universos populos videmus, ubi primum ob nimiam, quam de sua virtute, sua prudentia conceperint, opinionem partis acquiescere bonis quam nova quaerere maluerint, brevi de comparata a magnis viris et per magna facinora dignitate deiici, et perdere ipsa quae habuerant bona, et vinci a minoribus, qui in altiora enitantur strenue. Nos vero Friderico Guilelmo Quarto non solum commoda maxima debemus sed etiam incommodorum scientiam. Quae postquam in lucem protracta sunt, sane vitam, quae antea facilis videbatur, paullo minus commodam vivimus, et impeditiori pergimus itinere et hic illic pedem offendimus; sed praeclarae meminimus tesserae: „Per aspera ad astra.“ Et hoc motu quidem animorum omnes civitatis partes corripiuntur: accedunt alia rerum momenta ex aliis causis neque iis fortuitis manantia, quibus haec rei publicae tempora insolito modo vel difficiliora reddantur vel saltem prae aliis memorabilia. Nec tamen meum est haec explicare: non ego dicam de iis, quae hoc anno fausta aut adversa evenerunt, non de tumultu Polonico mature compresso, non de mutata aliqua ex parte iudiciorum forma, non de motibus ecclesiarum multiplicibus et de binis, qui cum his coniuncti sunt, conventibus a pio Rege convocatis et in nostra urbe actis, non de subita quae

ingruerat pecuniaria calamitate, eranistarum angustiis, mensa publica ad novam rationem instituta, non de portoriorum vectigaliumque modo constituendo natisque hinc et domesticis et civitatium foederatarum contentionibus: haec omnia et quae sunt plura huiusmodi omitto utpote a mea persona atque a meis studiis aliena; nisi quod dicendum est, quantum ego perspicio, multa in his rebus a Rege optimo esse providenter, caute, leniter, benigne acta, nihil quidquam durius, nihil superbum, nihil praeceps, nihil nimium. Nobis litterae propiores et proximae sunt; quas et ipsas hoc rerum quasi turbine aut correptas esse aut posse corripi quis est vestrum, auditores, quin intelligat? In his mihi liceat paullulum immorari.

Litterarum igitur condicionem non negarim nostra memoria communium vicissitudinum fortunam esse aliquantulum expertam. Quae quo tempore haec nostra universitas litteraria condita et lautissime instructa est, et satis confirmatae priorum aetatum studiis erant, et laetius in dies in regno praesertim Borussico quantumvis afflicto efflorescebant, et videbantur tum inter praecipua subsidia esse, quibus concussae instauratio rei publicae posset perfici; magni aestimabantur litterae et diligebantur ab ipsis rei publicae instauratoribus, quorum unus et alter longe doctissimus fuit; confidebatur litteratis, acribus illis atque imperterritis adversus communem hostem propugnatoribus hostique callidissimo magnopere invisis; optime collocatum iudicabatur, quidquid sumptuum in doctrinas quaslibet stabiliendas erogatum esset: denique summa concordia erat rei publicae et litterarum. Mox harum ea potissimum pars, quae ad bellum gerendum evocata erat, visa est arma in hostem accepta vertisse in rem publicam. Nec tamen quidquam tum remisit publica litterarum adiuvandarum cura, nec consiliis de ea capiendis admixtum quidquam est, quod a litteris esset alienum. Fridericus Guilelmus Quartus autem vel antequam summam rerum capesseret, eximium bonarum artium amorem documentis illustribus patefecit, et postquam patri successit, superavit eam, quam moverat, expectationem. Interim longa pax orbem terrarum universum aperuerat, et studia eruditorum incenderat; hinc aucti eruditionis apparatus, auctae litterarum necessitates; crescente in immensum scientia crevit hominum doctorum numerus, qui honestum sibi suisque studiis locum quaererent, atque eo usque crevit, ut copia potius laboremus quam inopia, et ingrata iam

ac molesta videantur, quae aliis temporibus fuerant acceptissima futura. Sed duae mihi res nunc quum maxime videntur aliquam litteris difficultatem afferre, non eae quidem novae sed nova vi repetitae, altera quod postulant permulti, ut litterae in communem vitae usum convertantur, altera quod pii quidam viri et clerici aliquot nihil putant verum esse nec tolerandum, nisi quod suis de verbo divino sententiis vel opinionibus conveniat. Vtrumque iis maxime studiis obstat, quae solent liberalia vocari, antiquitatis et philosophiae. Antiquae quidem litterae et iis invisae sunt, qui omnem scientiam ac studia scientiae ad vulgarem utilitatem referunt, et iis, qui eruditionem finibus Christianae fidei contineri volunt: neutros tamen iudico calumniandis illis studiis suae rei, nedum probae generis humani educationi, prudenter consulere. Sed quod ego, etiamsi non tam umbratilis eruditionis opprobrio, quam immerita contrarii vitii suspicione premor, antiquitatis litteras defendendo videbor mea vel defendere vel iactare velle, hac parte orationis meae defungar quam paucissimis. Nam qui flagitant, ut litterae in communem usum promantur, noluntque eas in umbra scholae latitare, sed ad tractandas eas potissimum quaestiones accedere, quae hac aetate maxime agitentur; quod gravissimae de iusta et animorum libertate et libertate civili quaestiones nunc aguntur, suas aras, suos focos vastare videntur, ubi expelli ex iuvenili disciplina antiquas litteras volunt, iustae illius libertatis altrices fidelissimas, quod humanitatis altrices sunt: quamquam concedo, qui has litteras docent, aliquid harum genuinae utilitati detraxisse, quod sapientis monitoris Aristotelis obliti, qui ne musicis quidem usque eo erudiri pueros liberaliter educandos vult, quo usque eum, qui ad artem musicam factitandam instituatur, discipulos coeperunt magis subtilioribus artis praeceptis imbuere, quae grammaticis futuris necessaria sunt, quam veterum auctorum lectione ad humanitatem fingere animos. Est vero aliqua huius humanitatis pars oratio culta, quam principes novarum litterarum auctores, si paucos exceperis sola natura doctos, ad Graeca et Romana exemplaria conformaverunt: et mascula potissimum Romanorum oratio, quae virium robore ipsam Graecam superat, etiamnunc mihi videtur optima stili dilucidi, elegantis, exacti, gravis, magistra esse. Quod non eo consilio dico, ut huic Latine dicendi consuetudini a maioribus transmissae patrociner? mea enim, quum praesertim patriae

linguae amantissimus sim, non multum refert, utra lingua dicatur, modo ut bene dicatur, atque ultro laetabor, ubi dura hac Latino ore dicendi, cui nunc plerique aurem aegre praebent, exsolutus necessitate fuero, consimili illa Laberii condicioni, qui eques Romanus anno aetatis sexagesimo mimos agere in ludis coactus est: non eo, inquam, consilio hoc dico, sed quod cum iis dissentio, qui quantum industriae adolescentuli Latinae linguae perdiscendae impenderint, id eos maiore cum fructu in patrio vel Gallico sermone collocaturos fuisse arbitrantur. Iam qui ex gentilium litteris fidei discrimen metuunt, etsi diffido hos meis rationibus vinci vel placari posse, tamen monitos velim, Imperatorem Iulianum Christianis, quo eos affligeret, interdixisse ethnica illa disciplina et institutione, et qui sacra nostra saeculo sexto decimo emendarunt, nulla re magis adiutos esse quam renatis antiquitatis studiis, et qui viri ecclesiae emendationi maxime faverunt atque opitulati sunt, eos fuisse antiquis litteris instructissimos ac politissimos. Meliori exemplo, subactiori iudicio Rex sapientissimus nobis prodest: hic quidquid pulchrum bonumque est, quidquid dignum quod cognoscatur, sive id veteribus Athenis, sive in Aegypto, sive in Gallia vel Britannia, remotissimis temporibus seu mediis saeculis seu nuperrime natum est, mente liberalissima amplectitur, diligit, nobis proponit. Num vero Germani patientur, ut tristis paucorum morositas in neglectum adducat litteras in Germania longo ex tempore imprimis cultas, quae adolescentiam alunt, virilem aetatem confirmant, senectutem oblectant? ut Graecae Latinaeque Musae cogantur perfugium quaerere apud Gallos, ubi iam nunc Henricus Stephanus redivivus maiora in hoc genere molitur quam Germanorum quisquam potest; vel apud Italos, quibus nuperrime Paris Zaiottus Tridentinus, vir et in re publica versatus et optimorum, quae recentior aetas apud quoslibet Europae populos tulit, operum cognitione instructus, libro elegantissimo multosque paedagogicos nostrorum libellos aequiparante, quem de litteratura iuvenili scripsit, veteres auctores eximie commendavit; denique apud ipsos Patres Societatis Iesu Romanos, qui studia haec antiquitatis non sine successu repetunt et ab adversariis tuentur? Porro philosophiae, quam iuxta cum Platone iudico summum bonum esse a Deo mortalibus donatum, monui adversa esse, quae hoc saeculo a litteris postulari soleant. Philosophiam ubi dico, non solum eam dico, cui hoc nomen

proprium est, verum etiam latissimum illum doctrinarum campum, in quo hic ordo, quem philosophorum vocant, exercetur: et horum studiorum etiam reliqui ordines sunt participes, si, quod olim in laude ponebatur, philosopha ut aiunt mente disciplinas suas tractant. Hae doctrinae, si artis vocabulis uti oratorem in hoc quidem conventu hominum doctissimorum licet, partim empiricae sunt, quae in naturae rerum formis, elementis, viribus, legibus sensuum atque instrumentorum ope observando experiendoque inveniendis et constituendis occupatae sunt; partim historicae, quae res gestas et quidquid ab hominibus conditum et effectum est, ex traditis fontibus adhibita interpretatione et critica arte indagant, digerunt, componunt, ad causas suas eadem via inveniendas revocant; ex quo genere est etiam universa philologorum et grammaticorum eruditio sane quam varia: partim mathematicae, quae quantitatem puram animo metiuntur eiusque leges subtili scrutantur inquisitione; partim speculativae, quae principia rerum divina humanaque, purissimas notiones in natura rerum expressas et in mente hominum fundatas, universae vitae civilis ac moralis rationes, causas, fines alta mente complectuntur. Ex quibus disciplinis omnibus etsi egregii fructus in res humanas manant, tamen qui illarum modum usu vitae quotidianae terminari velit, et illas mutilaturum turpiter sordideque, et ipsos quos requirat fructus praecisurum esse non est quod exponam peritis. Non possunt hae disciplinae florere, nisi et unde incipiant, et quo tendant, et quo usque progredi vel liceat vel conducat, ex ipsarum rationibus ipsae constituant. Tollit philosophiam, qui eam lege finiat, quam sibi non ipsa tulerit. At philosophiae officium haud aliud est, inquit, quam quae data sint explicare; hoc est, ut quibusdam placere videtur, ita eorum rationem reddere, ut ea vera et recta esse comprobetur. Audio. Scilicet si superstitio data est, philosophia superstitionem explicabit et magicis theurgicisque placitis et artibus, sicut a divino Iamblicho, exornabitur; si servitus data est, philosophiae est, quod Aristoteles fecit, servitutem explicare, et diversa sunt philosophiae genera, aliud iis temporibus locisque, ubi servitute oppressa magna pars hominum est, aliud, ubi liberi universi sunt. Immo haec est adulterina philosophia, quae nebulis obscuretur rerum quaque aetate praesentium, quae temporibus serviat vel insciens vel de industria, nec quod debeat quaerat, sed fuco mala occulat, nec quod de philosophia pul-

cherrime Cicero praedicat, virtutis sit indagatrix et expultrix vitiorum, sed vitia confirmet ac perpetuet. Neque magis, quod satis superbe olim propositum est, theologiae ancillatur philosophia. Quo quum delatus sim, subit nostra aetate a nonnullis plurimum tribui iis rebus, quas solent positivas appellare, illo autem disciplinarum orbe universo, quem philosophi amplectuntur, non doceri positiva: unde fieri posse, ut si nihil aliud, certe in contemptum adducantur philosophorum disciplinae. Subit vero simul, persaepe nos mortales non rebus duci sed rerum simulacris vocabulis: quo gravior videtur grammatici provincia esse, qui versetur in verborum significatione definienda: profecto enim res probe perspici nequeunt nisi verbis perspectis. Quippe multi, qui tantopere moventur isto vocabulo, imperitiores illi quidem, fateor, sed nihilo minus haud pauci, imprimis ea de causa nihil laudare velle nisi positiva videntur, quod quidquid non est positivum, id censeant negativum esse, cum positione confundentes affirmationem. Valet illa contrarietas in mathematicis et in quibusdam partibus physices, ut in doctrina de electricitate: in rebus humanis, de quibus nos nunc agimus, non negativum contrarium est positivo; sed inde a Graecis, a quibus Latina lingua haec artis vocabula mutuata est, positivum vocatur, quod positum ab hominibus et conventione quadam hominum stabilitum vel sancitum est, contrariumque positivo est, quod ex ipsa rei natura et ratione manat et constat, suaque natura valet. Itaque ut philologus a philologis exemplis exordiar, quae fastidiosis auribus nimium vulgaria et fortasse deridicula esse videbuntur, grammatici syllabis natura longis oppositas fecerunt syllabas positione sive canone longas: et qui voces linguae ex libidine, arbitrio, conventione hominum fortuita fictas censebant, sicuti Democritus et Aristoteles, facticia haec vocabula dixerunt positiva esse; sed qui cum Platone iudicabant voces nativa quadam ratione cum notionibus coniunctas esse, necessitate naturae ac mentis procusas vel potius sponte natas, positivam esse linguam negarunt; similiterque Strabo instituta gentibus alia dicit natura contingere, alia positione et exercitatione atque usu: et tam lex quam religio alia est positiva, quae tradita scriptis esse solet, alia naturalis, non litteris tabulisque perscripta, sed mentibus pectoribusque hominum inscripta sine litteris. Haec positiva igitur nituntur auctoritate: qua auctoritate omnino opus est ad regendos homines et in do-

mesticis rebus et in publicis, quum in pacato civitatis statu tum in commoto ac turbido, praesertim inter arma: quapropter ne liberrimi quidem iidemque cultissimi populi in discriminibus dubitaverunt ad dictaturam confugere, cuius durae necessitati nos eximit summa regiae potestatis auctoritas longe probatissima. Sed scientiae instrumentum est ratio et intellectus; itaque in scientia nullus auctoritati locus est. Quam ut aspernantur philosophi, ita probabunt positiva, quae vera et recta deprehenderint; falsa vero et prava ut laudet, quis est qui cuiquam sustineat praescribere? Quamquam haec ipsa, quamdiu consensum plurimorum ferunt, nisi nimium damnosa sint, cum verecundia respiciet philosophus, ut prisci sapientes, imprimis Socrates, licet de rebus divinis rectius quam vulgus sentirent, tamen deos publice receptos supplicatione et caerimoniis et sacrificiis venerati sunt, atque eas tantum fabulas palam reiecerunt, quae non possent cum maiestate et perfectione divini numinis conciliari: quas ubi negarunt veras esse, non negarunt divinitatem, non sustulerunt pietatem, sed hanc stabiliverunt, de illa statuerunt dignius. Ceterum in rebus, quae ad scientiam pertinent, auctoritatem non sequuntur nisi mentes hebetes, ignavae, ad cogitandum tardae et imbecillae: expeditum est enim in aliena verba iurare; intelligendi via vel potius semita est difficilis et aspera et multae dubitationis sentibus obsita, recteque pridem dictum est nervos atque artus sapientiae esse non temere credere. Quid vero quod litterae universae, etiamsi nolint rerum quotidianarum gurgiti immergi, tamen multas res tractare debent, de quibus positiva auctoritas statuat vel rei publicae vel ecclesiae? Nonne hic iam ad incitas redactam scientiam dixeris? Sed habemus, ni fallor, etiam in hoc discrimine, quo nos consolemur. Vtut namque tenax rerum traditarum genus humanum est, et recte quidem, ne subito momentorum quorumlibet impetu praeceps ruat; tamen quod ii, qui publici et sacri regiminis gubernacula tenent, litteris ipsi excoluntur et ad res gerendas instituuntur, iussa et placita positiva ex praeceptis scientiae paullatim colorem ducunt, et communis gentium consensus, postquam longo temporis spatio quae sanxerat prava vel certe minus probabilia secutus est, multisque parricidiis in homines sapientissimos et innocentissimos commissis inquinati sunt iudices fanatici, ad meliorem frugem convertitur duce ratione victrice, quam a no, ratione summa et absoluta, nobis insitam impie ingratus

fuerit qui calumnietur. Habet igitur quidquid positivum est sua quasi ex Tusca disciplina saecula, suos decursus et profectus, non sine providenti numine; et quaeque gens, quae quidem sapere audeat, quoque saeculo ea sibi per duces suos communiter cum populo eruditos positiva instituta condit, quae quoque saeculo gentis intellectui maxime respondeant. Ita, nisi ad interitum vergant fata populi, efficitur, ut bonis maiorum conservatis iniquitates et mala priorum temporum removeantur. Denique quamquam aliae nationes praecurrunt, aliae relinquuntur, tamen humanum genus universum videtur eo tendere, ut magis magisque obsolescat antiquus iste positionis et naturae sive rationis dissensus: profecto enim, quum ea lex aequissima et iustissima sit, quae minime ad arbitrium et libidinem ficta ipsam rerum quae lege continentur naturam et rationem verbis expressam proponat, aequa et iusta lex non potest cum ratione pugnare, verissimeque Stoici Cicerone interprete statuerunt, legem esse rationem summam insitam in natura, quae iubeat ea, quae facienda sint, prohibeatque contraria, eamque in hominis mente confirmatam et confectam. Quae si recte disputavi, nonne censetis, auditores, magnam litterarum, etiam quae delitescant domi neque in foro declament, ad rerum condicionem corrigendam esse vim et usum? Cur autem in humanarum rerum nulla fere parte inter diversa illa, quae diximus, et quasi hostilia tam difficulter pax concilietur quam in rebus divinis, quae tamen ad pacandum orbem terrarum profanis distractum odiis unice comparatae esse debent, meum non est examinare, qui non sim theologus: unum hoc liceat referre, quod accipi etiam meo ore dictum possit. Luximus nuperrime plures collegas multis nostrum longo usu coniunctissimos et imprimis caros, in his duos theologos: quorum qui prior decessit, positivis fidei sanctissimae placitis haud dubie addictus fuit, sed idem philosopha contemplatione in theologicis uti haud veritus est, magnoque molimine videtur propositum habuisse, ut quantum penes ipsum esset, tolleretur istud triste inter philosophiam et theologiam discidium. Discordia vero quid perniciosius et molestius, quid concordia iucundius atque utilius? Vtinam igitur universi operam demus, collegae et commilitones, ut ea, qua schola nostra olim crevit, concordia tum omnium ordinum, qui quod omnes litterarum partes interiori vinculo nexae sunt, antiquo et probato more in unum hoc atque individuum universitatis corpus coniuncti sunt,

tum docentium et discentium, tum rei publicae civilis et litterariae, maneat et confirmetur, omnesque remoti ab ambitione et cupiditate qualibet verum bonumque et pulchrum appetamus, sectemur, disciplina et moribus exprimamus! Quod ubi facimus, quid aliud quam Friderici Guilelmi Quarti, regis humanissimi, exemplum nobilissimum imitamur? Hunc regem ex quo mihi copia fuit quum in aliis conventibus publicis tum ex hoc suggestu orationibus quotannis celebrandi ac venerandi, nunquam non praedicavi illius ingenium optimis artibus et litteris deditum, et non solum eruditionis, sed etiam, quod rarius in principe, eruditorum amorem, denique studia a vulgaribus deliciis et voluptatibus prorsus remota, ad egregium quidvis et honestum et grave et sublime conversa, quibus sicut ipse excellit, ita populos suos eo perfectionis atque laudis evehi cupiat, ut digni populi rege magnanimo, dignus rex populis cultissimis et fidissimis merito habeatur. Videmus igitur, ut in eo desinam, unde exorsus sum, congenitam principi nostro fortunam nostram faustissima genitura esse. Ex regibus, quibus longum contigerit imperium, saecula populorum ducuntur et numerantur: felicissimum vero iudico hoc Borussiae saeculum, si Deus propitius annuat, etiam inter temporum difficultates esse ac posthac fore duce atque auspice Friderico Guilelmo Quarto. Cuius vita ut ad salutem rei publicae et bonarum artium quam diutissime propagetur, atque ut cum Regina augusta et cum domo regia universa prosperitate summa ac perpetua floreat Rex dilectissimus, hoc die laetanti patriae sacro piis votis et supplicationibus precamur Deum Optimum Maximum. Dixi.

XXXIII.

Oratio nataliciis Friderici Guilelmi IV. celebrandis d. XV. m. Octobris a. MDCCCXXXVII. habita.

Quum plurimis ex causis difficile uni viro sit, auditores, in iisdem sollemnibus, eodem loco, eodem hominum doctissimorum conventu, eiusdem collegii nomine, eiusdem principis quamvis praeclari laudes quotannis celebrare; tum quod varietas, quam contio elegantissima requirit et cupit orator, ne et semet ipsum et audientes taedio afficiat, non potest fere nisi ex argumento peti, summam difficultatem arbitror in argumenti esse delectione positam. Quodsi, quando de Friderico Guilelmo Quarto rege imprimis strenuo disserendum est, oratorem nunquam deficere potest copia rerum affluentissima, tamen nescio an ipsa illa abundantia magis quam penuria hunc impediat delectum. Quid igitur potest dicturo gratius, quid exoptatius esse quam is status, ea condicio rerum, quae nullum optioni locum relinquat? Enimvero haec mihi hodie obtingit commoditas, auditores. Tot enim hoc anno insignia in re publica gessit Fridericus Guilelmus, ut qui in his sollemnibus ipsius nomini dedicatis constituerit alia atque haec publica tractare, debeat ineptus videri, atque ut ne eruditus quidem, licet parum versatus in re publica sit, nisi velit doctor plane umbraticus videri, devitare illa possit, quae universorum non modo civium sed hominum animos adverterunt et commoverunt, denique ut ne hoc quidem verendum sit, ne qui de re publica coram adolescentibus dicat, incurrat in reprehensionem. Transiit namque illud tempus, quo de re publica non posse nisi principum ministri et officiales iudicare videbantur; quo aegre ferebatur, siquis alius de huiusmodi rebus sententiam proferret, quo docti praesertim ad solas suas doctrinas relegabantur, ab iis, quae ad civitatem pertinerent, vel arcebantur vel deterrebantur, et coacti erant, siquando de publicis rebus monendum esset, tegere multa et transire vel magna cum cautione et quasi ex intervallo significare. Intelligitur aliquando, falsum esse Creontis Sophoclei et

Ludovici Quarti decimi Galliarum regis dictum, quod regem pro civitate venditat; intelligitur rem publicam, ut est ex populo appellata, civitatem, ut a civibus nomen habet, ita esse civium et populi, hoc est coetus hominum si non originis ac stirpis communione, quod multo praestabilius est, at certe iuris et legum et utilitatis congregati et coniuncti. Sane Plato recte praecipit, iustum esse ut sua quisque agat, neque infitior aliorum esse imperare et publica negotia gerere, aliorum militare, aliorum opus facere, aliorum sacra curare et litteras artesque liberales exercere atque docere: sed quod res publicae communes universorum sunt, non aliena sed sua agit, qui eas ad sese pertinere putat, neque haec communia ab ulla parte civium sine damno communi negliguntur, ac nemo paullo prudentior, quoquo collocatus loco est, debet huius curae plane expers esse. Quid vero dicam de adolescentibus litterarum studiosis, ex quibus magna pars huius coronae composita est? Hi ut superiore aetate nimis sese rebus civilibus immiscuerint, quod eos non tam sua culpa quam temporum fecisse nuper exposui, ut consiliis et deliberationi et prudenter agendo impares sint atque ad novanda, quae nondum satis cognoverint, civitatis instituta praecipites ac proinde commotis praesertim temporibus magis retinendi quam impellendi; tamen patriae caritate debent imbuti esse et hac flamma eo magis incensi, quo vehementiore ardore ad studia quaevis iuveniles animi feruntur, oportetque eos earum rerum, quae civitati prosperae aut adversae sint, minime incuriosos esse atque imprimis operam dare, ut civili doctrina via tam philosopha quam historica instituantur et recte iudicare de rebus publicis discant. Quapropter non dubito id attingere argumentum, quod hodie unum omnibus sponte offertur et obiicitur, rebusque civitatis nostrae praesentibus accommodare orationem meam, non quo singulas res quaslibet enumerem, sed ut capita aliquot potiora complecti et, quod imprimis scientiae est, ad unum quoddam principium studeam revocare.

Itaque ut ab hoc principio exordiar, non novum aliquid mihi dicendum sumpsi, auditores, sed a plerisque pridem intellectum et a me ipso aliqua ex parte anno superiore propositum. Quippe quum in priori imperio post tot calamitates bellis externis rei publicae illatas ad quietem omnia essent componenda visa; Fridericus Guilelmus Quartus compositum hunc statum moveri voluit: atque effecit et identidem efficit quod con-

stituit. Movetur autem civitas duobus maxime modis, aut bello aut in pace. Et priorem quidem motum mireris quod Socrates ille Platonicus prope solum agnoscat: qui postquam optimam rem publicam descripsit, dicit sibi in ea consideranda idem fere accidisse, quod in spectanda imagine pulchra sive picta sive sculpta utpote immota accidere intuenti soleat, ut cupido eum incedat motam videndi et certamen aliquod eorum, quae corpori conveniant, subeuntem: ita sese libenter aliquem auditurum esse narrantem, quomodo perfecta illa res publica adversus alias civitates dimicatura bello sit et belligerando ea praestatura, quae receptae in praeclara illa civitate educationi et eruditioni conveniant tam in proeliis conserendis quam oratione per legatos cum aliis civitatibus agendo. Sed quod ille civitatem suam solo fere bello motam spectare voluit, nihil mirum est: de perfecta enim civitate dicit, quae nusquam gentium extitit neque extat neque opinor ob mores hominum condi unquam poterit: ea vero quum inde a natalibus summum consecuta sit, perpetua fruitur ac paene divina tranquillitate et stabilitate, nec corrumpitur nec melior fit, motuque caret interno. Alium atque illum, de quo Plato disputat, motum Fridericus Guilelmus excitavit; neque enim perfectam rem publicam traditam accepit, et pacem sese suo saeculo, si licuerit, servaturum in auspicando regno pollicitus est: nec vero segni atque inerti quiete obsolescere per pacem rem publicam vult, sed moveri et promoveri ipsa rei publicae instituta: qui motus si probe regitur, multo salubrior bellico est. Nimirum quum superioribus saeculis res politica ad sola fere externa, ad regnorum inter sese amicitias et inimicitias, ad foedera et pacem et bellum, ad finium propagationem atque acquirendas vel armis vel pactis vel nuptiis terras referretur, atque in scientia hac optimus videretur, qui esset ad fingendum et fallendum sollertissimus et callidissimus, non arte utens sed artibus, iusta vero politices notio, quam Graeci instituerant et praestantissimi quique recentiores auctores excoluerant, in plurimis civitatibus et maxime in Germania esset iamiam prope oblivioni tradita; nostra demum aetate rursum acrius perspectum est, primariam viri politici provinciam ad res civitatis domesticas, ad constituendam et ordinandam rem publicam, ad iura et munia imperii, magistratuum, civium, ordinum pertinere: quam artem in hoc quidem regno Fridericus Guilelmus Quartus potissimum quasi exsulem revocavit atque instau-

ravit. Ita interiorem motum dedit civitati, eumque togatum, non sagatum. Iam hic civitatium motus quam sit multiplex et varius, nemo est quin videat: itaque de eo dicturus immensum ingredior campum disputationis, qua ne longe lateque ferar, pauca tantum et proxima delibabo generatim. Non dicam alium motum esse procedentium, alium retrogradum: nam hunc, qui nihil promoveat, non potest ullus vir politicus adducere de industria velle, quod rem publicam conservari vult, retrogrado autem motu haec ad interitum vergit et labitur in perniciem: ac siquando probus civitatis rector inhibet cursum aut retro vertit, hoc non facit, ne progrediatur res publica, sed ne vehementiore impetu praeceps detur; quemadmodum cautus imperator receptui canit, ne pereant qui longius processerint, atque ut opportuno deinceps loco et tempore tutius progrediantur revocati. Sed operae pretium est paucis describere naturalem quendam et quasi legitimum civitatium motum et conversionem, quam in veterum rerum publicarum fortunis, quo simpliciores illarum rationes fuerunt, eo distinctius perspicere licet; et videtur mihi ex priscarum illarum rerum memoria etiam ad nostras iudicandas aliquid profici in illas tamquam in speculum introspiciendo. Nam quum homo natura sit animal civile, non solivagum, nec quod singuli sibi viderentur imbecilliores, pacto, nec quod praepotentior aliquis reliquos subegisset, vi et armis, in civitatem coacti homines sunt, sed haec communio hominum naturali instinctu nata potius quodammodo quam condita est, et ex sponte coeuntibus stirpibus cognatis conflati populi sunt aliquatenus sibi sufficientes, et ex vicis contractae urbes: tum ad familiarum imaginem regnum quod vocant patriarchicum extitit, in quo rex esset patris loco, idem copiarum dux, sacerdos, iudex. Hi reges ea aetate, qua deos ad homines descendisse et ex hominibus deos factos esse credula sibi multitudo facile persuasit, sunt deorum filii, maxime Iovis, quod Iuppiter rex deorum esset, non solum apud Graecos sed etiam a barbaris habiti. Quid quod ipsum Vetus Testamentum gigantes praepotentes tradit prognatos ex filiis dei angelis, sive ut Graeci auctores Christiani appellant, ex Vigilibus, qui cum hominum filiabus consueverint? Itaque ex diis orti reges visi divina regnabant auctoritate atque unus et alter scilicet divinis adeo consiliis, sicut ille Minos magni Iovis contubernalis, et Numa Egenymphae tori consors. Admixtum igitur regno theocraticum

quiddam erat: nam ubi deus regnare dicitur, regnat sacerdos vel sacerdotalibus et auguralibus auspiciis praeditus princeps quilibet. In hac naturali monarchia parebat populus haud invitus, ut reginam sequuntur apes, ut grex pastorem; dominantis arbitratu et patriis institutis sine legibus administrabatur civitas, si tamen haec administratio vocanda est: nisi quod iam apud Homerum legimus reges deliberare cum senatu nobilium sive heroum, qui et ipsi reges vocantur, et quod in contionem convocatur plebes, ut cum hac consilia communicet rex. Etiamtum ignotum tyrannidis cum notione nomen erat, quod nulla certa nota rex et tyrannus distinguebantur. Atqui ista imperii forma retineri diutius non potuit quam fides esset dominantium divinae origini et divino iuri, quod cultior politice, qualis est Aristotelea, ignorat: eam vero fidem mox sustulerunt flagitia dominorum et gliscens hominum intellectus. Hinc triplex, ut ego arbitror, extitit rerum conversio: aut enim patriarchica dominatio in tyrannidem hereditariam transiit vi et astu omnia gerentem, aut in regnum arte et legibus constitutum, aut in nobilium dominationem. Huius tyrannidis exempla sunt regna Orientis, qualia fuerunt Assyriorum, Persarum, Aegyptiorum, quamquam ne haec quidem sine aliquo legum temperamento: certe Persis habuit suos regios iudices perpetuos, qui non potuerunt removeri nisi ob delictum, interpretes illos legum et institutorum et in hac re ipsius regis arbitrio superiores; et Aegyptiorum regibus nec iudicare nec quemquam punire prout libido esset licebat, sed prout leges de quoque crimine iussissent, iique sese beatos praedicabant, quod hoc instituto cautum esset, ne imprudentia aut cupiditate ab officio aberrarent: iudices quin etiam proditum est a regibus Aegypti sacramento adactos esse, ut ne iussu quidem regis iniquam sententiam ferrent. Apud Graecos vero patrii illi reges paullatim sunt legibus adstricti; ac ne sic quidem, si Spartanorum regnum inter duos divisum et paucas Spartae colonias exceperis, diu permanserunt, et Laconicorum regum potestas ita imminuta est, vix ut regiam agnoscas. Nam in civitatibus plerisque omnibus regia dignitas abolita est, partim quod abusi reges potentia erant, partim quod optimates potissimum, plebis viribus nondum confirmatis, aegre ferebant rem publicam ab uno regi: successit igitur regno paucorum dominatus, et proxime nobilium, hoc est, ut definitione Aristotelis et Friderici Secundi, magni Imperatoris Germanorum utar, eorum,

qui vetusta maiorum virtute et vetustis familiarum opibus, imprimis latifundiorum possessione valerent: quam imperii formam comitari servitus publica solet, sive hos servos agricolas Helotum, sive Penestarum, sive clientium, sive glebae adscriptorum, seu quovis alio nomine appellare placuit. Tum postquam vel magna pars nobilium desiit opulenta esse, vel nobiles deseruit virtus, multi vero, qui mediocri aut obscuro loco nati essent, coeperunt opibus, partim etiam virtute pollere, imperium ad locupletes translatum est, et iura civium ex censu et classibus descripta sunt: cui rei publicae proprium nomen est timocratiae, in qua fere plurimum valuerunt equites: donec non sine seditionibus factionum, sublatis prope omnibus classium praerogativis, summa potestas cederet in plebem, civesque universi, nullo nec generis neque opum discrimine, aequo censerentur iure. Accidit etiam, ut inter optimorum et plebis contentiones insurgeret homo praepotens, qui specie tuendae plebis potiretur tyrannide iniusta quidem illa sed haud raro fructuosa: in Graecia tamen paucae eaeque mitissimae tyrannides diuturnae fuerunt; Romae sero, fessa armis civilibus re publica, principatus nomine tyrannis militari imperio confirmata est. Absoluta vero illa libertas, qua cuiusvis fortunae cives aequales habentur, non solet nisi aucta incolarum, opificum maxime, frequentia et per magnos motus adduci, bellis potissimum, quibus plebeia multitudo de salute civitatis egregie meruerit, quibus universorum incendantur animi, universorum augeantur vires, et intendatur ambitio pro praemio virtutis honorum postulans communicationem; sicut Athenis democratiam maturarunt bella Persica: ac siqua civitas libertatis signum sustulit, cito sequuntur aliae; ut eodem fere tempore Athenis expulsis Pisistratidis liberiorem rei publicae statum instituit Clisthenes, et Pythagoreorum in Italia concilia aristocratica deleta, et Roma reges expulsi sunt, et mox Iones in Persas rebellarunt. Iam populare hoc imperium, cui veteres philosophi vehementer irati sunt, Plato quidem unum censet, nec quemquam ei dicit diversa nomina tribuere, sive violenter sive temperate opulentis imperet vulgus, ac rursum sive leges diligenter servet sive negligat: plerique tamen democratiam eam popularem civitatem appellant, in qua leges valeant legibusque et magistratibus et bonis moribus honos sit, ochlocratiam vero, in qua ex plebiscitis geratur res publica et plebs decernat quidquid libuerit. Nec diu perstare moderata populi dominatio potest;

solet enim plebs insolenter lascivire et legum contemptu ad iniurias quasvis prolabi tyrannicamque exercere potentiam: adsunt ut tyranno adulatores, ita plebi duces, quos demagogos vocarunt, vulgi blandientes cupiditatibus et servientes iniquitati, a legibus et magistratibus cuncta ad turbulentae revocantes multitudinis libidinem: ex qua plebis tyrannide proclivis ad tyrannidem singulorum transitus est. Ita nimia libertas non solum populum, dum sibi liber videtur, servitute indigna afficit, quod vulgi eiusque ducum effrenatae licentiae ac furori paret, sed omnis etiam libertatis interitum adducit. Hi fere apud veteres, ut cum Polybio et Cicerone loquar, orbes et circuitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum fuerunt, hic naturae ordo, secundum quem earum status mutatus est ac rursus eodem revolutus. Sunt quidem qui negent, nostrae aetatis civitates posse iis, quae veteres statuerunt, rei publicae generibus comprehendi; sed ego cum aliis viris prudentissimis recentiorum quoque civitatium rationes censeo ad illas formas commode comparari posse, quae si nunc non solent purae reperiri, etiam apud veteres haud uno modo mixtae et compositae erant: proinde ne conversiones quidem recentiorum civitatium arbitror ab illis, quos descripsi, orbibus magnopere diversas esse, nisi quod novo fere instituto, ad quod mox pervenero, recentiora regna eximie confirmata sunt.

Nunc quo fine haec proposuerim, explicandum est, auditores. Nam quum hi motus et conversiones partim necessariae atque utiles sint, partim naturales quidem sed damnosae neque tamen inevitabiles, summum rei publicae rectorem oportet providere, ut necessarias, quum primum earum opportunitas venerit, ne sero vi extorqueantur, via quam tranquillissima et expeditissima adducat, damnosae vero arceantur et propellantur; deinde ut singula civitatis elementa, quae in singulis illis formis praevalent, ita inter sese connectantur, ut quaeque forma quamque contineat et concludat; denique ut harum formarum coniunctione quantum fieri potest perfecta et firma efficiatur civitas, neque haec quiescendo languescat, sed salubri vigeat motu. Haec sibi consilia Fridericus Guilelmus Quartus, quantum video, proposita habet; hunc cursum in illo, quem excitavit, motu teneri vult. Ex illis autem, quas dixi, formis aliquot non possunt pro rebus publicis haberi, sed sunt iustarum formarum degeneres, et morum perversitate, animi impotentia luxu-

que et avaritia et ambitione corruptae: sic tyrannis regni depravatio est modum excedens; timocratia sive plutocratia et oligarchia quaevis sunt imperfecta vel vitiosa verae aristocratiae imitamenta, hoc est principatus probatissimorum et sapientissimorum hominum lectione constitutorum, quem supra de industria omisi; denique ochlocratia est pessima popularis imperii egressio. Praeterea etsi regnum et optimorum dominatus et populare imperium iustae formae rei publicae plurimis videntur, tamen inter has ipsis veteribus philosophis, qui in popularibus civitatibus educati et formati erant, si singula genera cum singulis comparentur unumque per se separatim probandum sit, regnum legitimum est optimum visum. Postremo et veteres sapientes et recentiorum prudentissimi praeter aliquot nimiae aut principum aut plebis potentiae laudatores eo pervenerunt, ut quartum genus maxime probarent, quod conflatum et temperatum ex illis tribus esset. Huius constitutionis semina quaedam et germina admodum imperfecta in Laconica civitate videas, etiam imperfectiora in aliis veteribus; hac nostra aetas superavit antiquitatem, quae hoc genus invenit cogitando, sed parum excoluit experiendo. Haec una aequissima et firmissima est, et firmissima quidem, quod licet vel maxime commóta sit, non movetur in aliud transeundo, sed motum habet caelestium globorum instar quasi orbiculatim in sese redeuntem atque in uno constantique centro gravitatis defixum. Haec regiae auspiciis auctoritatis singulorum generum comprehendit commoda, devitat mala et pronum ad finitima vitia lapsum; quin ex ipsis istis praviorибus formis, si ochlocratiam exceperis, potest quandoque aliquid recipere, quod bonis permixtum salutare sit, quemadmodum venena innoxiae admixtione speciei moderata efficacissimam medicinam afferunt. Fridericus Guilelmus Quartus igitur quum rem publicam accepisset prudenter administratam, valido instructam exercitu ex ipsis civibus conscripto, agricolarum et opificum industria, commerciis, vectigalibus, litteris artibusque florentem, quod noluit omnia pro populo, ut aiunt, nihil per populum fieri, post tenuia patris beatissimi initia institutorum vere politicorum fundamenta iecit: puberem populum et adultum iudicans produxit in lucem et in palaestram deduxit; sed quod usu rerum et experientia opus est neque omnia uno tempore prospici ne a prudentissimorum quidem hominum concilio possunt, non immotis rem publicam institutis componere decrevit,

sed haec ipsa vult arboris instar ex surculo adolescentis et confirmata stirpe ramos pandentis paullatim crescere et explicari. Hic Borussiae regum primus, ut omnes rei publicae partes coniunctim agerent, magna illa omnium provinciarum atque ordinum comitia in sua urbe et in suo palatio habuit, ad quae cives atque exteri omnes converterunt oculos: vidimus et audivimus Regem non sua tegentem consilia, sed summa qua pollet facundia sincerissime aperientem; et liberrima dicendi facultate data secuta sunt paria legatorum populi studia, fervor, cum temperantia et moderatione strenuitas et ingenua audacia oris. His contentionibus legitimis salubriter movetur civitas, ut aer flatu ventorum; corroborantur vires et concordia potius conciliatur quam alitur discordia, sicut diversi soni, graves et acuti, miscentur ad concentum; et minuitur difficultas ineundi consilii et cavetur temeritas decernendi. Non gignitur quidquam nisi ex contrariis. Sed retinendas ob rei publicae securitatem et potentiam habenas imperii esse omnes consentiunt: et quod in patriarchico regno religione aliqua principi tributum est, ut divino iure regnare videretur, id in optima civitatis forma recta ratione eatenus retinetur, ut regia maiestas supra partium certamina quaelibet collocata neminique obnoxia et sacrosancta sit; nec quod in eadem illa patria dominatione rex parentis loco habitus est, hoc quem ingressi sumus rei publicae statu debet indignum videri, sed veteri instituto rex etiamnunc pater patriae iudicandus et dulcissimo affectu caritatis ac pietatis ut pater a liberis diligendus est atque apud nos diligitur. Iam quantum Fridericus Guilelmus nobilibus et ceteris populi legatis concesserit, quo res publica ad eam, quae ex tribus illis generibus temperata est, propius accederet, non est huius loci singillatim commemorare et examinare: satis habeo memorasse esse aliquid de summa potentia remissum et iis concessum, qui clari vetustate familiarum et qui opibus instructiores sunt: et timocratico elemento ultro admixtum quiddam ex iustissima aristocratia est, quod non ditissimi propter maximas opes ad munus legationis vocantur, sed delecti a civibus locupletium probatissimi. Quod siquibus placet, opulentiam non ex solis fundis sed etiam ex mobilibus pecuniis, qui nunc quum maxime nervi rerum sunt, censendam atque insuper primoribus ecclesiae et litteratorum collegiorum legatis aditum ad summum civitatis concilium dandum esse, quoniam de his rebus in utramque partem disputari

potest, futuri eas temporis iudicio relinquimus. Vtut est, iuxta cum prudentissimis Regis sapientia iudicat non omnes esse gradus ex re publica tollendos nec parem honorem tribuendum summis et infimis, et aequanda quidem iura esse sed secundum dignitatem et proportionem, non secundum numeros, ne aequitas ipsa sit iniquissima. Denique mihi nec ridiculus nec temerarius videor, si vel populare aliquid huic regno inesse dico. Nonne enim hoc popularis regni est, allevari onera et miseriam pauperum, non bonis divitum diripiendis, sed quod Rex agitaverat, tributa in locupletes potissimum transferendo et quaerendo paupertatis ingravescentis latiusque in dies grassantis remedio? Nonne populare est urbanis collegiis, quae liberis civium universorum suffragiis constituuntur, permulta committi, quae olim per principum officiales imperata sunt? Quo simul fit, ut amplus civibus aperiatur campus, in quo sua et minora tractando periculum faciant prudentiae civilis, paratiores mox accessuri ad publica et maiora. Quid si illud populare est, quod qui artem quaestuosam faciunt, admittuntur ad legationem comitialem? Qui enim plebi infensiores sunt, prohibent hos a re publica gerenda; quemadmodum Thebis olim lege cautum erat, ne cuiquam liceret magistratum capere, nisi decem per annos a foro rerum venalium et ab arte quaestuosa vacasset. Imprimis vero populare iudico, quod in hoc regno Friderici Guilelmi beneficio iam coeptae sunt res maximae palam agi: nam regnum nullis aliis temperatum formis et optimatium imperium tegere cuncta tenebris amant, quod rationem imperandi censent constare non posse, si universis reddatur: et clandestina iudicia potissimum iniquae saepe potentiae instrumenta fuerunt. Vidimus acta comitiorum celerrime et plenissime et exactissime cum omnibus quotidie communicata; scimus oppidorum collegiis concessum esse, ut coram civibus res suas municipales tractent; videmus in hac urbe regni sede iudicia quaevis et maxime publica longe gravissima, ubi de proditione et perduellione agitur, apertis foribus haberi, concessa simul tanta reorum et patronorum libertate defensionis, ut mirentur et stupeant rerum publicarum quae sibi liberrimae videantur cives, et agnoscant, quantum in hoc regno distemus a servitute, qua nos oppressos esse olim clamitabant obtrectatores. Nimirum tam securum, tam firmiter suffultum caritate subiectorum Regis clementissimi imperium est, ut ferre possit, quae in aliis regnis videantur esse intolerabilia.

Hoc uno palam agendi instituto acceptissimo haud dubie plurimum profecimus: hoc iustae pignus libertatis est; hoc motu prosperrimo auget atque ornat rem publicam. Locus tandem in civitate datus etiam eloquentiae, quae prius sacerdotum homiliis relinquebatur. Nec vereor pronuntiare, etiam scribendi libertatem atque ipsarum ephemeridum magnopere auctam hoc Rege esse, censori quamquam nondum exemptam. Quippe novit enim Rex sapientissimus, post divinam providentiam mente et cogitatione res humanas moveri et gubernari; mentis autem cogitatio libere fertur, neque eius cursus, quum primum saeculi ingenio confirmatus fuerit, ulla vi inhiberi potest, sed temere obnixos secum rapit prostratos: vitia tantum, quae vel bonis adhaerere inceptis solent, corrigenda nimiique impetus moderandi et reprimendi sunt. Hac via Fridericus Guilelmus cives format et impellit ad communem salutem adiuvandam otiique inertis et voluptatum blandimenta superanda, atque efficit, ut qui antea, quod in regnis potissimum fit, rei publicae incuriosi erant et virtutem in remotissima ab huiusmodi curis vita quaerebant, iam virtutem in usum publicum convertant et in occupationibus exerceant, studeantque cives suo quisque loco consiliis ac laboribus suis civitatem reddere tutiorem et praestantiorem.

Sed contrahenda iam vela sunt, auditores, nec licet latius exspatiari, quum praesertim post regii nominis venerationem longe gratissimam, quae communis universorum est, et mihi et successori meo ea dicenda et agenda supersint, quae proprie ad hanc litterarum scholam pertinent. Et effecisse mihi videor quod volebam; uniceque exopto meae mihi tenuitatis probe conscius, ut quae dixi videantur vobis esse probabiliter atque ad tempus et ad rerum dignitatem apte disputata. Ingratus certe fuerit, qui non agnoscat, quam sint multa et magna, quae Friderici Guilelmi Quarti debeamus sapientiae, benignitati, industriae, optimum quidque in re publica perficiendi studiis curisque indefessis, et qui haec ex suis potius vel alius cuiuslibet consiliis ac desideriis singularibus aestimet, quam ex iis quae Rex optimus reapse perfecit. Demus igitur operam, auditores omnium ordinum suo quisque loco ornatissimi, ut Friderico Guilelmo Quarto debitam pro beneficiis in civitatem universam et in singulos quosque collatis gratiam et habeamus et quoad eius fieri a minoribus potest referamus, atque ut rei publicae concordia et salus regnique maiestas, splendor, potentia perpetue-

tur et confirmetur. Postremo mecum precamini Deum Optimum Maximum, ut cultorem suum religiosissimum pieque devotum, tot et tantis ornatum virtutibus tantorumque nobis auctorem bonorum Regem clementissimum cum Regina augusta et universa domo regia tueatur ac servet quam diutissime. Dixi.

M.S.
5

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

JAN 1 8 1967